IN HYMNOS ECCLESIASTICOS FERME OMNES MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS V. I. D.

Breuis elucidatio.

Libris quatuor distincta.

OPVS LONGE VTILISSIMVM, NVNC fecundo in lucem editum.

Hic liber est Conv.tus S. Mariae de Urbe fr.um Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Cong.nis Italiae

Orate pro datore



Ad usum fratris Laurentij à S.ta Fran.ca Romana.

ROMAE,

Ex Typographia Guillelmi Facciotti.

M. DC. II.

SVPERIORVM PERMISSV.

CLEMENTI VIII. PONT. OPT. MAX.

MICHAEL TIMOTHEVS.

DEI Optimi Maximi, ac Sanctorum laudes à vatibus, vt credere par eſt, diuino numine afflatis, decantatas, à me breui commentario explicatas, Optimo Max. Dei Vicario CLEMENTI VIII. ea confidentia nuncupo, ac dico, qua ipſius operis elucubrationem ſum aggreſſus. Sicuti enim ea tractatio minime viriũ mearum eſſe opus, ſic etiam hæ meæ vigiliæ tantum mereri patronum nullo pacto videbantur. Attamen cum in-

telligerem,eũ,qui magna (modo laudabilia) audeat, vel hoc ipso, quod illa audeat, & si nihil promoueat aliud, gloriam aliquam mereri, eum igitur etiam putaui, qui maximos mortaliũ adire non dubitet, vt honestos ipsius conatus foueant, laude etiã aliqua dignum esse. Tuum est ergo, gloriosissime Pontifex, & omni iam maior inuidia, hæc, quæ Sãctitati Tuæ sacro, lætã excipere fronte, & meã boni consulere audaciã, vt secunda fauoris tui afflante mihi aura, multo altiora possim maria mei ingenioli nauicula, tuto nauigare, & optatum magna cum animi mei lætitia, ac maiori quoq; aliorum fructu tenere portum. Sic te nobis Deus incolumem diutissime seruet.

LECTORI.

ECCE conuiuium, prudentissime Lector, à Michaele paratum; ad quod tria hominum genera inuitantur, pauperes, diuites, ac proceres: in quo pauperibus tanquam infantibus lac præbetur; quibus ordo, sensusq; verborum ostenditur. Diuitibus vero tanquam adultis cibus paratur; quibus ea, quæ latent, documenta promuntur: proceribus demum lautas vndequaque epulas proponit, quibus diuina mysteria, horumq; mysticæ hymnorum significationes patefiunt. Quantis autem hæc mensa redundet, satis huius operis Index indicabit.

ANTONII HORTENSII.

QVatuor hymnorum preciosa volummina tanquam
Quatuor auricomo radiantes flore corollas
Nectimus. E somno primum ciet, atq; secundum.
Tertia pars superis immiscet sedibus: acri
Quartus agit stimulo liber, & præclara priorum
Facta patrum recolens, exemplis auget opimis.
His vtinam, pater alme, caput, crinemq; decorum
Floribus aspergens, seruorum vota benignis
Auribus excipias. Nos contra dulcibus hymnis
Te veniente die, te decedente canemus.

AD MICHAELEM TIMOTHEVM EPIGRAMMA.

DIuinos inter Micheal numerabere olores,
Qui primum sacros institueis choros.
Ac velut vnus eris, diuum qui mentibus hymnos
Præcinit, & docta temperat aure melos.
Tu patrum reparas cantus. Tu dogmata verbis
Elicis, antiquis restituisq; modis.
Hinc toto, merito, celebraberis orbe; tuosq;
Dum canet hos hymnos, te quoq; Roma canet.

INDEX HYMNORVM ECCLESIASTICORVM

IN HIS QVATVOR LIBRIS CONTENTORVM Alphabetico collectus, atq; dispositus ordine.

Lustris

ANTONII HORTENSII.

QVatuor hymnorum precioſa volummina tanquam
Quatuor auricomo radiantes flore corollas
Nectimus. E ſomno primum ciet, atq; ſecundum.
Tertia pars ſuperis immiſcet ſedibus: acri
Quartus agit ſtimulo liber, & præclara priorum
Facta patrum recolens, exemplis auget opimis.
His vtinam, pater alme, caput, crinemq; decorum
Floribus aſpergens, ſeruorum vota benignis
Auribus excipias. Nos contra dulcibus hymnis
Te veniente die, te decedente canemus.

AD
MICHAELEM TIMOTHEVM
EPIGRAMMA.

DIuinos inter Micheal numerabere olores,
Qui primum ſacros inſtituere choros.
Ac velut vnus eris, diuum qui mentibus hymnos
Præcinit, & docta temperat aure melos.
Tu patrum reparas cantus. Tu dogmata verbis
Elicis, antiquis reſtituiſq; modis.
Hinc toto, merito, celebraberis orbe; tuoſq;
Dum canet hos hymnos, te quoq; Roma canet.

INDEX HYMNORVM
ECCLESIASTICORVM
IN HIS QVATVOR LIBRIS CONTENTORVM
Alphabetico collectus, atq; dispositus ordine.

Lustris

MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS V. I. D.

IN OMNES FERME ECCLESIATICOS HYMNOS BREVIS ELVCIDATIO.

Diebus Dominicis Hyemalibus ad Nocturnum Hymnus Primus.

PRIMO dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor,
Nos morte victa liberat.
Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus pium;
Sicut prophetam nouimus.
Nostras preces vt audiat,
Suamque dextram porrigat,
Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Vt quique sacratissimo
Huius diei tempore,
Horis quietis psallimus

Donis beatis muneret.
Iam nunc paterna claritas.
Te postulamus affatim
Absit libido sordidans,
Omnisque actus noxius.
Ne fœda sit, vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per quam aueçni ignibus
Ipsi crememur acrius.
Ob hoc redemptor quæsumus,
Vt probra nostra diluas;
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.
Quo carnis actu exules
Effecti ipsi cælibes
Vt præstolamur cernui
Melos canamus gloriæ.
Præsta pater piissime
Patrique compar vnice.
Cum spiritu paraclyto
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Cap. omnis Christianus de conf. dis. 1.
Colos. 3.
Cap. decet de immun. Ecclesiæ
Author diuinum inuocat adiutorium in exponendis Ecclesiasticis hymnis.

CVm præposterus sit ordo prius humana subsidia petere, vt illis deficientibus, diuini fauoris gratia postuletur: idcirco ego Michael Timotheus inter omnes sacerdotes minimus, cupiens huius exigui operis mei principium fore ad inuocationem, honorem, & laudem nominis Iesu Christi: quod dum recolo, flectere genua, corde saltem, debeo; vt moneor post Paulum etiam à Gregorio; prius ad eum inquantum possum humilis porrigo preces; vt, non ponderatis meis demeritis sua sola clementia in me cælestis irrigui gratiam influat: scientiæ, & eloquentiæ supplendo defectum: augendo ingenij modulum, & memoriæ quantitatem: vt horum Ecclesiasticorum hymnorum veritatem, intelligentiamque, pandere possim: eorumque ænigmata reserare, nodos soluere, obscura dilucidare, dubia declarare: vt sic augumentetur scientia, virtus, & gratia in me ipso. ¶ Ad intelligentiam ergo huius primi hymni in genere præmittendum est, quod huius hymni Author; secundum communem omnium Theologorum scribentium, sententiam; est Beatus Gregorius. In quo hymno, & per quem doctorem, exhortamur à sancta Dei Ecclesia primo, vt in sacratissimo die Dominico de nocte, excusso somni torpore, surgamus ad dandum Deo laudes: vt per eas nos cælo dignetur. Secundo fit ad ipsum mundi conditorem, ac Dei filium deprecatio; vt ab omni libidine liberemur. Tertio petimus remitti nobis probra, id est, peccata: vt domum nos perducat ad cælestia; vbi perpetuo eius nomen laudemus. Secunda pars est ibi. Iam nunc paterna claritas. Tertia est ibi. Ob hoc redemptor. ¶ Ad intelligentiam vero primorum quatuor huius hymni versuum; qui sunt isti, scilicet; *Primo dierum omnium; Quo mundus extat conditus; Vel quo resurgens conditor; Nos morte victa liberat.* ¶ Ante omnia discutiendum

Huius hymni Author

Hymni diuisio, & summa.

dum est verbum hoc: primo, quod in huius hymni principio positum esse videmus. Videndum est secundo, quis sit primus dies omnium dierum; & quotis horis dies numeretur, ac constet; & cur dies hic primus nuncupetur, qui in Genesi dicitur vnus: & quomodo dies in hoc mundo inferiori numeretur. Tertio sciendum est, quo die, & mense sit conditus mundus; & quid sit mundus, & quotuplex; & quibus constet. Quarto notandum est, quo die resurrexit Christus; & quomodo victa morte liberauit nos. Quinto facienda, & ordinanda est hymni verborum constitutio. ¶ Ad primum ergo propositum dicimus, quod hæc dictio, Primo, ante alia ab Auctore huius hymni pronunciata, & aduerbij, & nominis vim solet habere: Aduerbij quidem vim hic haberet, si non haberemus respectum ad verba sequentia, nempe, dierum omnium: tunc enim staret loco aduerbij significans id, quod dicimus in principio, primitus, & primiter, principaliter, & à primo. Si autem consideremus illam prout sit adiecta alicui nomini substantiuo, sicut hic; tunc vtique locum nominis habebit, vt hoc sibi velit: In primo die dierum omnium, in quo scilicet, Deus decreuit se manifestare, seu communicare creaturis. Ad secundum dicimus, quod dies, qui appellatur in hoc hymno primus, dicitur esse dies dominicus: Qui ideo dicitur primus; quia reuera ipse primus sæculi dies fuit: & ante se nullus alius dies factus est: nec illum nox præcessit, aut illi nox vlla non successit. Merito ergo hic dicitur primus, qui primum obtinuit locum, quo ad alios in Genesi factos. Sed cur hic primus dies, qui hic primus dicitur, vnus appellatus est in Genesi, & non primus? Respondet sanctus Basilius in exameron num. 2. Homil. dicens: Quamobrem caput ipsius temporis non diem primum, sed vnum appellauit: vt ex appellatione etiam affinitatem ad ipsum sæculum haberet. Is enim, qui vnici principij, ac incommunicabilis ad aliud præsefert formam, accommodatè, atque appositè vnus est nuncupatus, & quamquam, inquit ipse, scriptura nobis afferat plura sæcula dicens in pluribus locis: sæculum sæculi, & sæcula sæculorum: tamen, & illic, nec primum, neque secundum sæculum nobis enumeratur: vt statuum potius, variarumque rerum differentiæ, sed non descriptiones, ac fines, successionesue sæculorũ ex eodem demonstrarẽtur. ¶ Dicitur vero hic primus dies, dies Dominicus primo ratione sui conditoris, qui fuit diei huius Dominus, & hunc diem, immo & alios ipse fecit, iuxta illud psal. 117. Hæc dies quam fecit Dominus &c. Ideo hic dies dicitur Dominicus à Domino, qui fecit illum:

Genes. 1.

Primum dies sæculi cur primus appellatur.

Quæstio.

Basilius magnus.

Solutio.

Primus dies sæculi cur dies Dominicus appellatur.

Psal. 72.

propter quod clamat Propheta dicens: tuus est dies, & tua est nox; tu fabricatus es auroram, & solem, tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem, & ver, tu plasmasti ea. Secundo, quia in eo Christus se dominum declarauit cæli, & terræ esse, resurgendo à mortuis, & verificando se habere potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Nam, & in hac die primo sic in litera hymni dicitur Christus resurrexisse. Tertio hic dies primus; si gentiles audimus; denominatur Dominicus à sole, qui dignior est planetarum. Dies enim ab illo planeta, in quo ipse dies habet suam primam horam, nomen desumpsit: non quod huius diei sol author sit: huius enim diei, vt dictum est, non sol corporeus sed solis author Deus: qui quarto die ad hanc tollendam perplexitatem, solem fecit. Præterea dies iste primus, qui ex nocte etiam componitur, ideo naturalis dies dicitur: quia viginti quatuor horas habet. Nam naturalis dies, est spacium, quo sol ducitur circa totam terram ab Oriente vsque ad Occidentem, scilicet, spatium diei, & noctis, quod semper continet viginti quatuor horas. Sol ergo per suam lationem, & præsentiam super nostrum emisphęrium causat nobis diem; & per suam absentiam, dum fertur super aliud emisphęrium, causatur nobis nox: & sic aduentus eiusdem solis ab oriente causat nobis aliam diem: & sic numerantur in hoc inferiori mundo dies, & noctes; sed dies per successionem noctis vocata tamen est dies, & non nox à meliori parte sine commemoratione noctis, iuxta illud, & factum est vespere, & mane dies vnus, & iste dies dicitur vsualis, siue artificialis, quia solum hoc tempus aptum est vsibus & artificijs exercendis. *Quo mundus extat conditus.* ¶ Ad tertium dicimus, quod dicendo Pater per verbum suum: fiat lux; facta est lux: & dicendo: fiat firmamentum, factum est firmamentum. Dicere enim Dei ad extra nihil aliud est, nisi multiplicare similitudines idearum, existentium in verbo spirando existentiam. Et sic per verbum factus est totus mundus materialis, qui est creatorum vniuersitas, quæ ex omni eo constat, quod cæli, & terræ ambitu continetur; quia ipse pater dixit, & facta sunt omnia in illo primo dierum omnium. Et sic in die Dominico totus mundus extitit conditus, scilicet, in æquinoctio vernali, & per consequens in mense Martij, quia fuit ille mensis, primus mensis anni. Mensis enim iste, inquit scriptura, Exod. 12. primus erit vobis in mẽsibus anni. Ad cuius mũdi, & creationis rerũ euidentiorem intellectũ notandũ est, quod quadruplex reperitur in scriptura mũdus. Primus dicitur mũdus exemplaris, & æternus, & increatus, & idealis existens ab æterno in mente, & verbo diuino: ad cuius exemplar Deus ex tempore produ-

Ioan. 10.

Azo in sum. de fer.

Genes. 1.

Solẽ quando fecit Deus.

Dies naturalis quos horas habeat. & quid sit.

Sol est causa quare in hoc inferiori mundo numeratur dies.

Dicere Dei, seu loqui est facere.

Mundus quid.

Psal 148.

Mundus quo die & mense fuerit conditus.

Mundus quadruplex.

produxit hunc mundum ſenſibilem: de quo mundo dicitur apud Ioannem: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipſum facta ſunt: quod factum eſt in ipſo vita erat. ideſt, totus mundus, qui factus eſt ex tempore, erat vita ab æterno in ipſo idæali, & verbo æterno. Secundus dicitur mundus ſenſibilis, & materialis, & creatus factus ad exemplar primi: De cuius creatione, & diſpoſitione agitur in Geneſi, & hic in noſtro hymno. Tertius dicitur mundus ſpiritualis,& creatus, figuratus per mundum materialem, qui eſt Eccleſia Chriſti: cuius habitatores ſunt omnes Chriſti fideles, in Chriſto regenerati, vnde de mundo ſupradicto materiali dicit Ioannes: Mundus eum non cognouit. ſed de mundo hoc ſpirituali dicit: quot quot autem receperunt eum; dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt. De cuius mundi ſpiritualis recreatione dicit Dominus: Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora. Quartus dicitur mundus gloriæ, & perpetuus, de quo pſal. Beati qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te. De cuius fabricatione, & ædificio dicit Ioannes: Vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum, & prima terra abijt: & mare iam non eſt. Secundo notandum eſt, quod totus mundus conſiſtit in triplici natura: conſtat enim ex natura Angelica, quæ eſt incorporea, & incorruptibilis: & ex natura cæleſti corporea, & incorruptibili, & ex natura elementali; quæ eſt corporea,& corruptibilis. Innumerabiles ergo Angelos, qui Deo adſiſterent, creauit primo Deus præter cælos, quos opera digitorum eius Dauid nuncupauit; quibus ſolis ſplendorem, cæterorumque ſyderum ornatum addidit. Terram etiam ſuper ſtabilitatem ſuam Deus verbo ſuo præcepit in media mundi parte conſiſtere: effecitque, vt aſcenderent montes, & deſcenderent campi in locum, quem fundauit eis: præterea non ſolum arboribus, omnique herbarum, & florum varietate conueſtiuit, atque ornauit, ſed innumerabilibus etiam animantibus, quemadmodum aquas, & aera; ita terras compleuit. Vltimo hominem ex limo terræ, corpore ita effectum, & conſtitutum, ita effinxit, vt non quidem ipſius naturæ; ſed diuino beneficio immortalis eſſet, & impoſſibilis: ſi Domino creatori ſuo pareret. Quia vero non ſatis erat Deum mundum creaſſe, niſi etiam, & illum conſeruaſſet, ac redimeret opportuno tempore: quod quidem fecit in ſua paſſione, & eius glorioſa reſurrectione; ideo poſt myſterium creationis mundi, de alio reſurrectionis myſterio ſubdit ſancta Dei Eccleſia, dicens: *Vel quo reſurgens conditor, Nos morte victa*

Ioan. 1. *Geneſ. 1.* *Nota.* *Eſai. 66.* *Pſal. 83.* *Apoc. 21.* *Mundus conſiſtit in triplici natura.* *Pſal. 32.* *Declarantur duo myſteria magna in principio hymni.*

 liberat.

liberat. ¶ Ad quartum dicimus, quod aduertendum est hic, quod mundi conditor est illa manus, illa dextera, atque illud bracchium, quo quaque Deus creauit mundum, & recreauit humanum genus, idest, per quam, & diem hunc, & omnia sæcula fecit Deus, & qua cæli firmati sunt: & ille, quem propter peccatum populi sui percussit pater, & quem Deus fecit peccatum, idest, sacrificium pro peccato; vt in semetipso peccatum Adæ, & omnia nostra delicta puniret: vnde propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis; assumens carnem humanam, in qua crucifigi pro nobis, mori, & sepeliri, ad inferosque descendere, ac tertia die à mortuis resurgere voluit, vt animas sanctorum patrum ab eis eriperet, ac nos peccatores liberaret. Ad cuius rei euidentiorem intelligentiam notandum est, primo, quod dupliciter Christus vicit mortem: vno modo in quantum destruxit eam: quia mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo, reparauit. Nam moriendo absoluit nos à debito mortis datæ, & relictæ nobis in pænam ex peccato Adæ. Et sic ex mortalibus fecit nos immortales, & impassibiles, quam quidem immortalitatem, & impassibilitatem, licet non possideamus in actu, tamen iam possidemus eam in habitu, & in merito, ex meritis passionis Christi. Secundo modo deuicit Christus mortem: quia eam peruiam fecit, idest, super eam incessit, quando per ipsam transiuit, & descendit, & expoliauit infernum; & ex ipsa resurrexit: ac deuicta morte nobis æternæ vitæ aditum reparauit; & sic moriendo Christus vicit mortem nostram, & destruxit eam, & vltra hoc destruxit infernum: quia per mortem descendit ad inferos, & expoliauit eum, & fecit, vt per ipsam esset nobis transitus, & aditus, & ingressus ad Regna cælorum: nam propter peccatum primorum parentum data est nobis mors, vt esset terminus vitæ corporalis; & principium mortis æternæ ipsius animæ: sed venit Christus, qui moriendo, & resurgendo fecit illam peruiam. Notandum est secundo, quod Christus liberauit nos à tribus damnis in aduentu suo; à morte æterna, in passione eius; à captiuitate Diaboli; & à carcere inferni in descensione eius ad inferos, & resurrectione eius à mortuis. Aduertendum est ergo primo, quod totum genus humanum olim tria damna incurrit ex parte primorum parentum: nam exilium quando fuit homo expulsus ab vtroque paradiso in hanc vallem lachrymarum inter bestias, & vepres, primo incurrit: ex quo exilio incurrit famem, & sitim, errando per hanc vallem lachrymarum. Secundo incurrit infirmitatem, & ægritudinem tam animæ quam corporis: nam in anima perdidit iustitiam originalem, & in corpore

Heb. 1. Psal. 32. Esai. 2. Cor. 5.

Dupliciter Christus vicit mortem.

A quibus liberauit nos Christus.

Tria damna ex peccato Adæ.

corpore recepit omnes pænalitates. Tertio fuit condemnatum totum genus humanum ad captiuitatem, & carcerem perpetuam Diaboli hic per culpam, & in futuro per pænam. Et sic homo fuit exul, fuit æger, fuit & captiuus. Sed ab his tribus damnis nos Christus liberauit in suo aduentu: primo ab exilio: quia nos in vnam Ecclesiam ex diuersis locis, & nationibus congregauit, hic per gratiam, & in futuro per gloriam: secundo nos liberauit à captiuitate. cum per suum sanguinem nos redemit, & de inferno abstraxit. Tertio nos liberauit ab ægritudine peccati, cum ex sua passione virtutem contulit sacramentis ad nostras infirmitates sanandas. Vnde per suam passionem nos redemit à captiuitate: per suam ressurrectionem nobis recuperauit immortalitatem: & per ascensionem nos ab exilio reuocauit, & introduxit in cælum. Habes quomodo liberauit nos Christus à tribus damnis. Nunc aduerte, quomodo nos liberauerit à morte æterna. Sciendum ergo est. quod tribus modis potest aliquis aliū protegere, ac liberare. Primo inter ipsum, & inimicum se obijciendo, & interponendo: sicut facit vacca, & bos; quando vident lupos venientes ad se: tunc enim remittit filios à tergo, siue ad scapulas: & obijcit se lupo, & morsibus eius, & defendit filios cum cornu, & sic sub vmbra scapularum bouis defenduntur filij: & cum cornu bouis vulneratur lupus, & fugit. Secundo potest quis aliūm protegere sub alis recipiendo, & cooperiendo, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & liberat eos à miluo: & fouet, & nutrit eos sub proprio calore. Tertio sicut quando quis cooperit amicum suum scuto; & obijcit scutum contra inimicum. Istis ergo tribus modis liberauit, & protexit nos Christus de potestate Diaboli, & à morte perpetua. Nam ipse posuit scapulas suas in cruce: & posuit nos à tergo suo, & obiecit se morti, & passioni contra Diabolum, & recepit in se ictus; & verbera, & vulnera inimici; vt nostra vulnera sanaret: & cum cornibus crucis percussit inimicum Diabolum, & fugauit eum, & confregit portas inferni: & liberauit sanctos patres, & attraxit prædam. Secundo liberauit nos sub alis, & pennis suis, sicut gallina protegit pullos suos. Nam quatuor facit gallina: primo recipit oua aliarum gallinarum, siue oua aliena sub alis, & pennis eius: secundo proprio calore fouet, & excitat fœtum ex ouo; & ita viuificat multos pullos: & ex alienis facit proprios; & tantum diligit eos, quod tota liquefit in sudorem ad fauendum pullos suos: & sic consumit proprium sanguinem, & substantiam, intantum quod mutat vocem, & perdit plumas, & efficitur pallida consumpto, & exhausto sanguine, & substantia, & sic fouet filios. Tertio protegit eos

Protegere, & liberare aliquē potest quis tripliciter.

Quatuor facit gallina.

Nota.

à miluis, & cæteris animalibus, & nocumentis. Quarto pascit eos, & dirigit in pastum. Ita simili modo Christus, cum nos essemus oua aliena: quia filij carnales ipsius Adæ, & mortificati per culpam: ipse Christus congreganit nos per sacramenta sua, quæ habent virtutem, & calorem ex passione, & sanguine suo. Nam liberauit nos per passionem, & effudit totum sanguinem suum pro nobis; vt daret virtutem sacramentis ad sananda vulnera nostra; & remansit pallidus in cruce, & nudus: vbi tantam dilectionem osten dit erga nos: quod totum se in nobis transformauit; nostros defectus, & carnalitates in cruce secum affixit. Tertio nos protexit cooperiendo scuto gratiæ, & doctrinæ, & legis euangelicæ: & contra Diabolum ipsum scutum obiecit ad repellendum eius incursus, & ictus. Nam sicut scutum materiale repellit omnes ictus inimici; & protegit pugilem: ita lex euangelica, quæ præcipit omnem iustitiam, & prohibet omne vitium, simul cum gratia septem donorum spiritus sancti protegit nos, & repellit omnem tentationem inimici. ¶ Notandum est tertio loco, quod Christus per descensionem suam ad inferos: & per resurrectionem eius à mortuis liberauit nos à captiuitate, & à vinculis Diaboli, & de carcere inferni nos abstraxit; effecitquæ vt dictum est, vt esset nobis aditus in Regna cælorum. ¶ Nunc ipsius hymni verba construentes quintum absoluamus propositum, ac sic dicamus: Pulsis procul corporibus, surgamus omnes ocyus, scilicet, in hoc primo die dierum omnium: in quo creatus fuit mundus: vel etiam in quo Christus eiusdem mun di factor, ac conditor (morte iam per eum victa, idest, diabolo, & principe huius mundi foras eiecto, qui diabolus, & princeps huius mundi, seu quæ mors regnauit ab Adam, vsquæ ad Christum) resurgens à mortuis, liberauit nos ab omni iniquitate, & pec cato, ab omnio damno, & morte æterna, ac de omni carcere infer ni: vt mundaret sibi populum acceptabilem, & sectatorem bonorum operum. Ad quorum sectationem nunc, & quotidie nos vocat per suam Ecclesiam dicens: *Pulsis procul torporibus, Surgamus omnes ocyus; & nocte quæramus pium: Sicut prophetam nouimus.* ¶ Vbi, & quibus verbis damnat in nobis peccatum accidiæ: & reprehendit omnem morositatem, ac omnem pigritiam in surgendo ad dandum Deo laudes: quia accidia est contra fortitudinem. Secundo nos ad vigilias animat: vtpote quæ ad vitam viuendam conferunt: Nam ex somnum rumpunt; qui mortuum, cum occupat, hominem tenet. Tertio vocamur nocte ad laudandum Deum non secus ac surgebat propheta Dauid. ¶ Ad quorum trium euidentiorem notitiam aduertendum est, quod de tepidis multum Deus conqueritur; di-

Cōstructio verborum hymni.

Ioan. 12.

Rom. 5.

Accidia est contra fortitudinem.

tur; dicens: Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es: ideo incipiam te euomere ex ore meo. Præcipit ergo nobis Deus, vt hanc tepiditatem procul pellamus, & velociter expergiscentes surgamus: vt seruiamus Domino in lætitia: quæ enim cum letitia fiunt, celerrime fiunt. Nam & hilarem datorem diligit Deus. Iubemur hic ergo cum celeritate à somno expergisci, ac surgere: causam nobis afferens, vt scilicet pium Deum quæramus, non aliter atque quæsiuit ille amicus euangelicus: qui media nocte surgens conquisiuit amicum suum, vt accomodaret ei tres panes. Sciebat enim amicum suum pium esse, & in die, & nocte, & in tempore egestatis suæ. Nocte ergo omni quæramus Deum, & præoccupemus faciem eius, ei psallentes, eum laudantes, ipsumque Deum esse confitentes: sicut nouimus prophetam, antonomatice, Dauidem, nempe, quæsiuisse, laudasse, ac confessum fuisse: qui de se ait: Media nocte sergebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ: & alibi ait: Memor fui nocte nominis tui, &c. q. d. nobis ergo sancta Ecclesia: Ad instar illius tanti Regis, & Prophetæ, qui nocte surgebat ad laudandum Deum: quinimo ad ipsius Domini Nostri Iesu Christi exemplum: qui erat in oratione pernoctans, cum in carne erat; surgamus & nos nocte: in qua & si pernoctantes esse semper in oratione non possimus: (pernoctare enim est tota nocte vigilare secundum humanas leges:) in parte tamen, & partibus nostris ipsius noctis, quæ nobis ad laudandum Deum contingunt, secundum diuisionem vigiliarum noctis, euigilemus; & Deum in nostra vigilia laudemus: quoniam beatus ille seruus, quem cum ma ne venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem: quia super omnia bona sua constituet eum. ¶ Nunc ad quid quærendus Deus sit subbit Beatus Author dicens: *Nostras praces, vt audiat: suamque dextram porrigat: Et expiatos sordibus; Nos reddat polorum sedibus.* ¶ Hoc loco tria petimus à Deo; primo nostras exaudiri preces. Secundo dexteram eius nobis porrigi. Tertio petimus nos purgatos reddi polorum sedibus. ¶ Ad quorum euidentiorem elucidationem aduertendum est primo, quod quicquid hic nos petimus, est totum illud, quod postulabat leprosus ille euangelicus: aut ille alter amicus, qui supra postulabat sibi accōmodari tres panes. leprosus ille quæsiuit Deum, & precatus est eum, vt extenderet manum eius, qua mundaret eum à lepra: vt postmodum se ostenderet sic mundum sacerdoti. Ita nos postulamus audiri ab eo: & porrigi nobis eius dexteram, qua mundet nos sordibus, & peccatorum maculis: vt post huiusmodi expiationem in cælestibus collocet nos sedibus. Alter ille euangelicus amicus nocte abijt ad amicum

Marginalia: Apoc. 3. — Luc. 1. — 2. Cor. 9. — Luc. 2. — Psal. 76. — Pernoctare quid est. L. Vrbana. ff. de verb. signif. — Luc. 12. — Math. 8. — Luc. 11.

amicum suum, vt suas audiret preces: ac vt dexteram eius extenderet ad eum: in qua haberet tres illos panes, vt daret illi eos. Ita nos hic nocte surgentes, imus ad amicum nostrum, & fratrem nostrum Christum: vt audiat nostras preces ad instar dicti illius amici: ac vt eius dexteram nobis porrigat; in qua habeat tres panes, & accomodet nobis illos: idest, imbuat nos sanctæ trinitatis intelligentia, doceatque nos legem, & prophetas, & euangelium: per quæ nobis in fide edoctis, & in charitate exercitatis, tribuatur sedes in cælis. (Secundo aduertendum est, quod prædicti quatuor versus possunt sic etiam intelligi, nempe, quod ideo surgendum est nobis, ac Deus quærendus est: vt non solum audiat preces notras: sed etiam, vt porrigat nobis suam dexteram, qua sub leuemur ex hac lachymarum valle, in quam misit nos Adæ peccatum: per quod iustitiam, & sanctitatem amisimus: & sordibus omnibus, ac peccatorum maculis purgatos, reuocet nos in domum nostram, nempe, in paradisum: à qua eiecti errantes exules diu fuimus in hac lachrymarum valle. Petimus ergo diuina subleuari dextera, & nos restitui pristinæ sanctitati, & iustitiæ originali: vt ijs nos præditos, ac per eas sordibus purgatos, & expiatos, reddat polorum, seu cælorum sedibus: Nec non: *Vt quique sacratissimo Huius diei tempore, Horis quietis psallimus, Donis beatis muneret.*

Quid per tres panes intelligitur.

Rom. 5. 1. cor. 15.

¶ Vt autem nos excitet magis, ac magis sancta Ecclesia in Deum laudandum; præcipue in tali hora, in qua corpus magis quiesceret, dulcique somno sterteret: dona promittit beata. Vbi aduertendum est, quod hic subditur altera causa, ob quam surgendum sit nobis ab laudandum Deum, nempe: vt donis ditemur beatis. Si ergo surgemus nocte singuli nos Deo dicati in hoc sacratissimo tempore huius diei Dominici: & in illius sacri diei horis magis quietis; puta in conticinio noctis eiusdem sacri diei Dominici: quando omnia quiescendi gratia conticescunt: & Deo iugi psalmodia psallemus: munerabimur profecto, si Deo psallemus, & hic in mundo primo donis, ac pramijs gratiarum, & meritorum; sed in futuro post mortem remunerabimur præmijs, ac donis beatis, ac gloriæ immortalis. ¶ Ad cuius rei euidentiorem intelligentiam notandum est, quod tria sunt genera bonorum, quæ nobis confert, & donat Deus, & in hoc mundo, & in futuro sæculo: & ideo ista bona dicuntur etiam dona; quoniam ea nobis donat, & ijs nos ditat, ac beatificat nos Deus, Nam quædam dicuntur bona, & dona gratiæ sacramentorum, quæ sunt septem iuxta numerum septem sacramentorum: quæ dantur nobis in susceptione cuiuslibet sacramenti. Quædam vero dicuntur dona donorum spiritus sancti:

Qua hora noctis surgẽdum sit ad dicendum diuinum officium.

Trium bonorum genera.

quæ

quæ receperunt Apostoli pro se,& pro nobis in die Pentecostes. Quę etiam ipsa sunt septem. Quædam autem sunt bona,ac dona,quæ dicuntur bona gloriæ, quibus nos Christus, ex decantatione, & psalmodia horarum canonicarum,ditabit,ac munerabit. Ditabimur enim in cælis clara,& facili visione diuinæ essentiæ, & indiuiduæ trinitatis. Ditabimur insuper perfecta,& secura possesione illius summi boni. Item ditabimur sufficienti,& perfecta fruitione Dei. Item munerabimur æternitate,immortalitate cum impassibilitate,& subtilitate,& agilitate:in quibus consistit honor, beatitudo æterna, & gloria æterna;quibus,inquam, ditabimur: si diuinum nostrum officium in noctis quieto tempore exoluemus singulis diebus. ¶ Dicit ergo litera hymni: Quæramus nocte Dominum: vt nostras audiat preces,atque nobis suam porrigat dexteram:qua à peccatis absolutus,ac purgatos, nos constituat in cælestibus patris sui mansionibus:in quibus, donis beatis ditati,æternam nos viuamus vitam; quique,idest,quicunque in sacratissimo huius diei dominici tempore,& in horis noctis magis quietis omni altera parte noctis, puta,vt dixi, in conticinio;Deo psallimus,seu officium nostrum cantamus.

Dona spiritus sancti sunt septem.

Bona, & dona gloria quæ.

Ioan. 14.

Constructio verborum hymni.

¶ Quia vero superiora per nos habere nequiuimus: imo in nobis cognoscimus multa,quæ nos impediunt,& auertunt Deum à nobis, iuxta illud Isaiæ: Iniquitates vestræ diuiserunt inter nos,& Deum vestrum:& peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret: & quia Deus spiritus est, nos vero caro: rogamus abesse vitia: & ad filium versi,ita dicimus. *Iam nunc paterna claritas, Te postulamus affatim: Absit libido sordidans; omnisque actus noxius.* Vox captandæ beneuolentiæ ex parte illa diuinitatis: quæ æqualis est patri: sicut claritas semper fuit cum sole: ita paterna claritas semper est cum patre. Nos ergo hic filium Dei inuocamus: qui dicitur paterna claritas. Splendor enim,& imago patris est. Vapor enim, ait sapiens, est virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera. Et Paulus,qui,inquit, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,portansque omnia verbo virtutis suæ,purgationem peccatorum faciens; sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. ¶ Ad cuius rei clariorem elucidationem notandum est, quod Christus non solum dicitur paterna claritas, eo quod sit splendor gloriæ patris, & figura substantiæ eius: sed dicitur etiam paterna claritas;quia clare declarauit nobis voluntatem patris sui,& interpretatus est nobis legem veterem, eius verum intellectum aperiendo,sicut promissum fuerat Moysi. Deut. 18. Suscitabo, inquit Pater æternus,de medio fratrum tuorum similem tui,&ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos quæcunque dixero tibi.& hoc impleuit

Isai. 10.

Ioan. 4.

Sap. 7.

Deut. 18.

uit Christus. Matth.5.exponendo legem. Item Luc. 24. Incipiens à Moyse,& prophetis interpratabatur duobus discipulis omnia, quæ de ipso scripta erant.Item aperuit librum scriptum intus, & foris: ita vt dixerit aliquando ad patrem: Pater manifestaui nomen tuum hominibus.ex quibus supradictis patet, quod filius Dei; ex quo voluntatis patris sui fuit manifestator: imo lumen de lumine; dicitur vere paterna claritas,& splendor patris,quia in mundo resplenduit omnibus, non aliter, ac ipsa ipsius patris realis, & vera voluntas splenduisset. ¶ Notandum est secundo loco ad intelligentiam secũdi versus,qui sequitur,scilicet, *Te postulamus affatim*:quod vbi magna necessitas,magna debet esse, & larga, & abundans postulatio. Sed vbi est maior necessitas, quàm ipsius animæ, quæ aggrauatur, & deprimitur suo pondere? cum ei,& velle adsit, sed perficere aliquando non possit?& nunc maxime;quæ actu carnis; vt infra dicitur;exul est? Affatim ergo, idest, generaliter, facundeque te postulamus omnes hic psallentes in hac sacratissimi diei Dominici nocte, vt absit libido sordidans, ac omnis actus nobis noxius. Ad cuius postulationis nostræ maiorem euidentiam, præsupponendum est, quod anima nostra, vt dictum est, habet quidem velle:sed fine gratia Dei perficere non potest: & ideo nullus homo potest vitare peccatum:nec implere diuina præcepta, nisi per gratiam Christi fuerit adiutus:cuius rei ratio est duplex:vna est ex parte nostra;alia se tenet ratione inimicorum, ac impugnatorum nostrorum.causa prima est corruptio nostræ naturæ;nam taliter caro nostra fuit corrupta in Adam,quod omnes potentiæ fuerunt vulneratæ,& debilitatæ:intantum,quod homo mansit pronus ad cadendum in omne vitium, & infirmus ad resistendum, & magis infirmus ad resurgendum: eò quod liberum arbitrium nostrum manet claudicatum; sicut homo claudus,quem impossibile est rectè ambulare, nisi sanetur. Vnde sicut homo claudus semper cadit ad partem pedis læsi: & est pronus ad illam inclinare,& non ad aliam:ita liberum arbitrium nostrum est pronum ad cadendum ad partem peccati: & non ad seruandum præcepta diuina.Secunda ratio est triplex, ratione trium impugnatorum nostrorum,qui continue surgunt,& impugnant ad malum. Primus suggestor,& impugnator dicitur intrinsecus,&occultus:qui est libido, & concupiscentia in carne nostra, ex peccato primorum parentum inflicta. Quæ duo facit:nam primo infirmat, & debilitat omnes potentias. Secundo insurgit,& luctatur aduersus spiritum: infligens in eo omnem inordinatum appetitum; à qua quidem libidine omnia mala oriuntur. Nam primo ista libido infligit appetitum propriæ excellentiæ in honoribus, cui voluntas consentiens,

non

Apoc. 5. *Ioan. 17.* *Cap. 9.* *Affatim qualiter exponatur. cap. 1. de reli. dom.* *Quare sine Dei gratia non possumus vitare peccata.* *Similitudo.*

non patitur maiorem, nec æqualem: & sic incidit in peccatum superbiæ: per concupiscentiam carnis incidit in gulam, & luxuriam: ex appertitu vindictę incidit in iram, & odium: & sic de singulis. Hunc ergo appetitum, hanc libidinem carnis, hunc occultum, & intrisecum inimicum nostrum, & impugnatorem, petimus hic primo abesse à nobis, & tolli per Christum; quia sine eius adiutorio nos eam abijcere, & sine ea esse non possumus: sed præter istum suggestorem intrinsecum sunt duo alij suggestores exteriores, intellecti hic per actum noxium: quoniam primus est Diabolus: qui nos semper tentat: vt inducat ad perpetrandum aliquem actum voluptuosum, & noxium: Habet enim ex sua astutia infinitos modos, & laqueos ad inducendum hominem ad noxie agendum. Nam si non potest hominem capere in vno hamo: aut eijcere per vnum peccatum; tunc assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant in homine. Tertius impugnator est mundus, qui mundus sollicitat semper hominem ad omnia mala, & actiones noxias. Petimus ergo hic in quarto versu abesse à nobis per Christum, omnem actum, vsum ve, aut opus malum, & noxium, per suggestorem Diabolum, & mundum suggestum, aut suggerendum forinsecus: ita quod possumus cantare cum Dauid: Ab occultis concupiscentijs, & ab omni libidine, quæ nos semper impugnat in occulto: & ab alienis noxijs actibus: qui ab extrinsecis nempe & alienis impugnatoribus nobis perpetrandi suggeruntur; munda nos, vt post hac absint à nobis. *Ne fœda sit, vel lubrica Compago nostri corporis: Per quam Auerni ignibus Ipsi crememur acrius.* ¶ Rogamus hic duo per gratiam Dei, aut per paternam claritatem fugere, siue euadere: vnum, quod corrumpit, & vitiat corpus nostrum: alterum, quod lædit, & cruciat animam nostram: vnum, quod iam petiuimus: alterum, quod nunc petimus. Illud, quod corpus nostrum corrumpit, sordidatque, & quod iam petiuimus est; vt absit à nobis libido, omnisque actus noxius, & voluptuosus: ne fæda, idest, sordida, seu sordibus vitiata: aut lubrica, idest, labilis, & facilis, & fluens in luxuriam; sit compago nostri corporis, seu coniunctio, aut concretio corporis nostri cum ipsa anima. Alterum, quod nunc petimus est: ne per huiusmodi libidinem, actumue aliquem noxium: aut fæditatem, aut lubricitatem cremetur acrius, duriusue anima nostra ab ignibus Auerni, seu inferni. ¶ Ad primæ autem huius petitionis nostræ euidentiorem elucidatiorem, notandum est ad tollendum, ad extinguendum ve omnem cordis libidinem, & ad expurgandum omnem corporis nostri sordem, & fæditatem, idest, vt absit libido à nobis: ne fæda sit, vel lubrica compago nostri corporis;

Actus noxius qui.

Math. 12.

Psal. 18.

Caput serpētis quid significet, & quid eius corpus.

poris; quod vitare debemus primo serpentis noxium caput, idest, malarum cogitationum principia: quibus serpere in animam nostram serpens, seu Diabolus tentat: nec non, & reliquum eius corpus, idest, oblectationis assensum, intrare in cor nostrum non sinere debemus: qui assensus, si fuerit intromissus, morsu virulento mentem interimet captiuatam. Secundo euitare debemus emergentes peccatores terræ nostræ, idest, sensus carnales: quos in principio sui ortus nos oportet extinguere: & dum adhuc paruuli sunt, allidere eos ad petram: qui nisi dum tenerrimi sunt, fuerint enecati, adulti per cohibentiam in pernitiem nostram validiores insurgent: aut certe non sine magno gemitu, & labore vincentur. Dum enim, fortis, scilicet, spiritus noster domum suam custodit armatus; recessus cordis sui muniens: in pace erit omnis substantia eius; si autem fortior superueniens eum, idest, Diabolus cogitationum consensu, arma eius diripiet, in quibus confidebat. Tertio euitare debemus omnium capitalium vitiorum fomites, & desideria. Nam quis poterit vnquam huius ardentis libidinis stimulos inhibere, si desideria gulæ refrenare nequiuerit? aut quis flagrantes æstus huius libidinis, qui non solum instigatione corporis, sed etiam mentis vitio succenduntur, credendus est extinxisse, si aculeos iræ, qui in temperantiam prorumpunt, mitigare non potuit? aut quonam modo putandus est carnis, animæque lasciuientes stimulos retudisse, qui superbiæ vitium non quiuit vincere? Aut quomodo credendus est, incertam carnis luxuriam conculcasse; qui pecuniarum concupiscentiam, forinsecus sitam, atque à nostro corpore alienam, non valuit abdicare? Qua inquam ratione bellum carnis, & animæ triumphabit, qui idoneus non fuit morbum curare tristitiæ? Impossibile est ergo, secundum dictum Cassiani, extingui ignita corporis incentiua priusquam certorum quoque principalium vitiorum fomites radicitus excidantur. Si ergo hæc supradicta vitabimus, ac fugiemus: nec corpus nostrum erit fœdum, sordidumue; quinimo nec facile ad luxuriam. Nec minime etiam cruciabitur per consequens in ignibus inferni anima nostra. Habemus ergo hic ex supradictis corporis, & animæ tutelam: quam nos iam petiuimus; cum inuocauerimus Christum, ex æterna generatione illum nominantes paternam claritatem: vt à vitijs carnis nos purgare: cum solus Deus possit mundum facere de immundo conceptum semine. Nunc vero petentes dimitti nobis peccata, inuocamus eum alio nomine, hoc sequenti, scilicet. *Ob hoc redemptor quæsumus: Vt probra nostra diluas: Vita perennis commoda: Nobis benigne conferas.* ¶ Et ratio quidem est, quoniam secũdum hoc nomen redemptoris Christo proprie com-

Extinguēda libidinis remedia.

Ad extirpandam libidinē capitalia peccata sunt primo tollenda.

Cassianus heremita.

Iob. 14.

Christus quomodo sit redemptor appellandus.

pric competit peccata dimittere: Nam suo sanguine; quem totum pro nobis effudit in sua paßione; redemit nos non solum ab vno peccato tum; sed ab omni peccato tam mortali, quam originali, & veniali, vt & ipse Christus aliquando dixit: vt sciatis, inquit, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Et non solum illius est peccata dimittere, probraque tollere, ac diluere; sed etiam illius est vitam donare æternam, omniaque vitæ æternæ commoda conferre: quibus commodis nos ditari, & nobis conferri etiam supra iam petiuimus. Nam quæ & ibi dona petiuimus; eadem hic commoda vitæ perennis nobis conferri desideramus. Ob hoc igitur, scilicet, ne perenni crememur igne, rogamus te, ò benigne redemptor, vt omnia nostra probra, ac omnia carnis vitia diluas, abluas, purges, ac proijcias. Item te è contra quæsumus: vt nobis dones, & conferas commoda æternæ vitæ, sine omni caritura; illa scilicet: quibus redemptorem nostrum facie ad faciem videamus; & quibus perfecta summi boni possessione gaudeamus in perpetua æternitate. *Quo carnis actu exules: Effecti ipsi cælibes: Vt præstolamur cernui: Melos canamus gloriæ.* ¶ Vt sic per carnis vitium, & operationem, in exilium pulsi: nunc demum reuocati in patriam cælestem, in ea efficiamur, & simus non amplius exules in hac lachymarum valle: sed cælestes in cælis: vt sicut cernui, nunc, & genuflexi in orationibus dicendis, & in psalmis, & in hymnis, & canticis spiritualibus hic in mundo expectamus: & nos quoque cum Angelis, ac beatis omnibus canamus gloriæ canticum in cælis post huius vitæ finem, idest, in cælesti patria: vbi sic nos cælibes effecti, ac magis perfecti, canamus hymnum sempiternæ gloriæ, multoque suauiorem, ac dulciorem hoc præsenti, ac temporali hymno: magisque cum clara Dei visione, fruitione, & felicitate, quàm, quem hic in mundo concinimus nos in ecclesijs orbis terrarum. Sed vt hæc supradicta præstet, & concedat nobis Deus, hac sequenti oratione ad Deum pro nobis subdit Ecclesia, scilicet. *Præsta pater pijssime, Patrique compar vnice: Cum spiritu paraclyto: Regnans per omne sæculum: Amen.* ¶ Vbi aduertendum est, dum patrem nominamus pijssimum: quod per huiusmodi nominationem, seu inuocationem ostendimus esse Deum pium, magisque pium, ac etiam pijssimum. Deum esse pium ex admiranda pulchritudine, ordine inæstimabili, mole magna, continua duratione, vtilitate fæcunda, & delicijs: quibus totam abundanter condidit creaturam, manifeste patet: cælum enim, & terram fecit, & omnia, quæ insunt. Quod & si nunquam satis laudatum, aduertamus conseruationem rerum creatarum; multo magis eum pium, patremque magis dicemus: nisi enim

Mar. 2.

Sensus verborũ qui.

Coloss. 3.

Pater cur pius, magis pius, & pijssimus nuncupetur;

Genes. 1.

nisi enim conditis rebus diuina sua prouidentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutæ sunt, illos conseruaret; statim ad
Sap. 11. nihilum reciderent. Quomodo, inquit sapiens, posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod à te vocatum non esset conseruaretur? Deus ergo eius occultissima vi ad singula pertinet: imo
Act. 14. non longe ab vno quoque nostrum est: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus: ac omnia ei, & in eo viuunt. Nos vero Christiani, qui gratiores æterno patri sumus præ cæteris alijs nationibus: propter enim nos homines; & propter nostram salutem descendit de cælis, & passus est, crucifixus, ac mortuus est: Ideo vere, & ex corde clamare possumus. O Pater pijssime, qui piasti, ac mundasti nos à vitijs: & ò vnice, & dilecte fili Dei Christe, qui patri secundum diuinitatem es æqualis, & qui cum spiritu paraclyto, consolatore regnas per omne sæculum, per omnem Ecclesiæ sanctæ statum, & ætatem: præsta, ac concede nobis; quæ supra orantes à te petiuimus. Amen, hoc est, fiat per te nobis, quod petitum est.

Diebus Dominicis æstiuis ad Nocturnum Matutinum Hymnus Secundus.

Nocte surgentes vigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur, atque
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.
Vt pio Regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, simul, & beatam
Ducere vitam.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac nati, pariterque sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

Iacob. 5. Sancta nostra mater Ecclesia agnoscens cum Beato Iacobo Apostolo, deprecationem iusti assiduam, multum valere, & vigiliam (intendendo soli Deo) ad aures Dei procul dubio peruenire:
Hymni huius Author. hortatur nos per Beatum Gregorium, qui huius hymni est author; secundum communem omnium scribentium opinionem, ac sententiam; primo ad sacras vigilias nocturnas. Secundo monet nos in
Hymni diuisio, & summa. psalmis meditari, ac Deo laudes dare. Tertio ponit causam suæ exhortationis: vt nempe, beatarum animarum consortium assequamur, ac vt fælicem vitam cum eis perpetuo viuamus. Secunda est ibi: Semper. Tertia ibi. Vt pio. ¶ Ad cuius hymni

veram,

veram, ac realem intelligentiam, notandum primo, qua hora, & quo tempore sit nobis surgendum ad psallendum, ac cantandum dulciter hymnos. Secundo videndum est, quomodo sit intelligendum, quod dicitur: vt in psalmis semper meditemur. Tertio aduertendum est, cur potius in psalmis meditandum sit, & non in alijs scripturis sacris. Quarto considerandum est, cur Ecclesia dixerit nobis, meditemur, & non dicamus, aut legamus. Quinto dicendum est, cur hortemur canere & hymnos: & quid sit hymnus: & hymnorum decantatio vnde ortum habuerit; & quæ sit vtilitas decantationis hymnorum. Sexto loco consideranda est etiam mystica noctis huius intelligentia. Adsit igitur mihi Deus adiutor, vt congrue loquar de supradictis. ¶ Quantum ad primum ergo dicimus, quod sancta Dei Ecclesia certe non sine magna ratione se mouet ad vocandum nos, vt de nocte surgentes Deo laudes dicamus. Ea enim à spiritu sancto edocta considerans, quæ Deus, & Dominus noster Iesus Christus fecit, ad nostram instructionem, & doctrinam illa omnia eum fecisse: iccirco ad modum pastorum custodientium gregem: vel secundum morem exercitus armorum: quorum consuetudo est facere quatuor vigilias in nocte, & quatuor in die. Nam prima vigilia est, & incipit post occasum solis, & durat per tres horas. Secunda durat à tertia hora noctis, vsque ad mediam noctem. Tertia vigilia à medietate noctis, & durat per tres horas. Vltima autem vigilia est totum residuum vsque ad auroram: & sic diuidunt pastores totam noctem per quatuor vigilias secundum proportionem temporis: vnde quando vna pars eorum vigilat, alia dormit, vt defendat gregem suum de faucibus luporum: & ita pariter diuidunt diem per alias quatuor vigilias. Et eandem consuetudinem seruant pugiles in exercitu armorum; & etiam in oppidis obsessis. Et sicut etiam Deus omnipotens ordinauit quatuor vigilias in tota nocte legis veteris: nam in prima vigilia posuit Patriarchas, ab Adam vsque ad Iacob, & etiam Moysen: qui custodierunt populum Domini: in secunda vigilia posuit Moysen, & omnes Iudices, qui custodirent gregem Domini per legem scriptam vsque ad Dauid: in tertia vigilia posuit Dauid, & omnes Prophetas, & Reges, qui custodierunt gregem Domini vsque ad transmigrationem Babilonis, & finem primi templi: in quarta vigilia posuit Esdram & alios Sacerdotes, qui custodierunt, & rexerunt populum Domini vsque ad aduentum Christi: in quo postea fuit dies gratiæ, & iustitiæ: Rursus, & sicut Christus istum diem diuisit per quatuor vigilias: nam à prima vigilia posuit Apostolos, qui rexerunt, & custodierunt

Quare hora noctis sit surgendum ad psallendũ & cantandum officium.

Pastorum quatuor vigiliæ.

Ecclesiam Domini de manu Diaboli, & Iudæorum: in secunda vigilia posuit Martyres, qui defenderent Ecclesiam Domini de manu Tyrannorum vsque ad conuersionem Constantini: in tertia vigilia posuit Doctores, qui defenderunt Ecclesiam Dei ab incursu hæreticorum: in quarta vigilia tempore Antichristi ponet viros fortes, & charitatiuos, qui multo sanguine defendent Ecclesiam Christi ab immanitate, & sæuitia Antichristi: ita etiam Ecclesia ex dicto exemplo, & pastorum, & militum, & Dei, & Domini Nostri Iesu Christi sumpsit, & ordinauit officium canonicum diuinum per has horas, & vigilias nocturnas pariter, & diurnas. Nam sicut pastores diuidunt totam noctem per quatuor vigilias, vt defendant gregem suum, ne rapiatur à lupis, aut dispergatur: ita pariter Ecclesia, cui est cura de ouibus Christi, ordinauit, & diuisit totam noctem per quatuor vigilias in officio matutino. Nam totum officium nocturnum diuiditur in quatuor partes, scilicet, in tres nocturnos, & laudes. Nam in primo nocturno cantat tres psalmos, & tres lectiones, iuxta tres horas primæ vigiliæ: in secundo, & tertio totidem. Laudes vero cantat pro quarta vigilia noctis. In die vero celebrat alias quatuor vigilias, scilicet, primam, Tertiam, Sextam, & Nonam: In quibus includitur tota dies, sumendo, & includendo tres horas diei pro qualibet, & in qualibet hora, seu vigilia. Nam Vesperæ cum Completorio fuerunt adiectæ ratione depositionis Christi de Cruce, & repositionis in sepulchro. Sed cum feriale officium dicitur, quatuor Psalmi iuxta ordinem primi nocturni Dominicæ, dicuntur cum vna lectione pro prima vigilia: quatuor pro secunda, & quatuor pro tertia vigilia cum lectione. Laudes vero pro quarta, & vltima vigilia ponuntur. Cum ergo Ecclesia ad expergiscendum nos à somno nocte monet, & ad vigilandum, & meditandum in psalmis exhortatur: per noctem intellige in prædictis, scilicet, singulis quatuor vigilijs noctis, in quibus videlicet, & singulis deberemus surgere secundum exemplum non tantum pastorum, ac militum: sed & ad exemplum prædictorum sanctorum illorum patris veteris, nouique testamenti: quinimo, & iuxta præceptum hic in scriptura præsentis hymni positum: quod est, vt semper vigilemus, & meditemur in psalmis. Verum considerata humana fragilitate, quæ est multa, ab Ecclesia: ideo ordinauit, vt ad minus saltem ad medium, vel post parum noctis ad celebrandum totum nostrum officium nocturnum cum laudibus surgamus:

Tempus dicendi officium unde sumpsit exemplum.

Quatuor Ecclesiæ vigiliæ.

Officium nocturnum diuiditur in quatuor partes.

surgamus: in quibus denotantur quatuor supradictæ vigiliæ noctis. ¶ Nocte igitur, media, scilicet, surgentes, vigilemus omnes semper in psalmis meditemur. Semper, inquam, nocte hic iubemur in psalmis meditari. Nam sicut apud Aegyptum sancti patres primitiuæ Ecclesiæ per totam noctem perorabant in hymnis, & psalmis successiue vigilias noctis custodientes: siquidem vna pars perorabat per totam primam vigiliam: & alia pars surgebat, & orabat in secunda vigilia: & alia vigilabat in tertia: & alia in quarta, & nullo modo cessabatur à laudibus Dei per totam noctem: ita & nos surgere, & vigilare in meditatione psalmorum, hymnorumque etiam debemus semper. Vel iubemur hic in psalmis meditari semper, eo quidem modo, quo iussi sunt à Christo discipuli eius: quibus præcepit, vt semper orarent, & nunquam deficerent: quæ quidem iussio obligat profecto semper, sed non ad semper. ¶ Nam hæc dictio, semper, non importat continuitatem temporis: quia necesse est orationem aliquando interrumpi tempore dormitionis, & aliquarum aliarum necessitatum: sed bene importat constantiam, siue insistentiam orationis temporibus, & horis ad orandum congruis. Hinc Basilius Magnus dicebat: Refectioni vna hora ordinata, quæ eadem suo recursu certa seruetur: ita ex viginti-quatuor horis diurnis, ac nocturnis vix liceat ista ad corporis alimoniam impendere; reliquis vero mentis exercitio vocatur: sic hoc loco dicemus etiam nos semper in psalmis meditari, & non deficere: quando horis canonicis rogare non desistimus: & distinctis horis tam nocte, quam die, competenter septem vicibus horas canonicas persoluimus. Vel certe proprie, & vere loquitur, quod semper in psalmis meditari debemus: quia Ecclesia per singulos dies, horas & momenta nunquam cessat laudare Deũ, & hoc fit semper & vbiq; Nam cũ in nostro emisphærio est dies, in alio est nox & è conuerso. Et sic cum hic dicitur officium diurnum, ibi dicitur nocturnum; & è conuerso. Item cum in vna regione est hora prima, in alia est est hora tertia, & in alia sexta. Et sic quando nos dicimus primã; apud Persas dicitur tertia; & apud Indos dicitur sexta: & apud regionẽ Synarum dicuntur vesperæ. Ex quo patet, quod nullibi, & nunquã cessatur à Dei laudibus; sed semper, & vbiq; laudatur Deus, & nomẽ Christi; & etiã inter infideles, vbi habitãt Christiani. Nõ est ergo impossibile, vt nos Christiani sẽper meditemur in psalmis. Sed cur potius in psalmis meditari iubemur, quã in alijs sacris scripturis? & quidem psalmos, quos Dauid prophetice cãtauit, euangelice nos cantamus, quia tota lex euangelica cõtinetur prophetice

Propositio secunda examinatur.

Luc. 18.

Semper, dictio, quid importet.

In epistola ad S. Greg. tom. 2.

Sẽper laudatur Deus.

Cur in psalmis potius meditã dum sit quã in alijs scripturis.

Tertia propositio discutitur. Ratio diuini officij instituti.

in li. psal. Ideo Ecclesia in omnibus officijs frequentat, & cantat psalmos Dauid com euangelio. Nam in officio matutinali cantat tres nocturnos cum psalmis Dauid, & lectionibus de veteri testamento, vel de aliquorum antiquorum patrum doctrina, vel vita: vt nos viuere doceat ad illorum sanctissima instituta correspodentia moribus patrum veteris testamenti. Sed in tertio nocturno cantat euangelium: per quod denotatur concordia, & consonantia legis euangelicæ cum veteri testamento. Meditari igitur in psalmis, non in lasciuijs cantilenis, non in comædijs, non in choreis, non in ludis oportet. In sacris nanque canonibus huiusmodi prohibentur. Quandoquidem Hieronymus ad Damasum Papam ita scribit: Sacerdotes Dei omissis euangelijs, & prophetis videmus comædias legere, amatoria Buccolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus: & id, quod in pueris adest causa necessitatis, crimen in se fecere voluntatis. Meditemur dico in psalmis non ore tenus, non labijs tantum. Quid enim prodest strepitus labiorum, si mutum est cor? Orare enim veraciter, est amaros in compunctione gemitus, non verba composita resonare. Nihil igitur cogitet animus, quam id solum, quod precatur. Mens enim nisi consonet linguæ, certum est, vocem quantumlibet clamorosam Domino non placere. ¶ Canamus insuper dulciter hymnos: quia in natiuitate Domini post apparitionem factam pastoribus concinisse hymnum auditi sunt: & Angeli. Testatur enim Lucas cap. 2. dicens. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, atque dicentium hymnum hunc: Gloria in excelsis, & in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Est enim hymnus laus Dei cum cantico: vel est vox humana in laudem Dei metrice composita. Cum Angelis ergo canamus dulciter hymnos, vt de numero Angelorum simus. Vnde apte quidem, & apposite dicebat Basilius ad Beatum Gregorum scribens. Quid inquit, beatius esse poterit, quam in terra tripudium Angelorum imitari, mox orto die ad precationem properantem hymnis, & odis venerari creatorem: deinde inclarascente iam Sole ad opera manuum conuersum precatione nusquam non comitante, & hymnis, quasi sale quodam condire operas? Hilarem enim, & iucundi animi habitum hymnorum solatia largiuntur. Nunc tandem sic pro mystica intelligentia dicimus, quod per noctem hoc loco (sicut in multis sacræ scripturæ locis capitur) potest intelligi peccatum, peccator, aut peccati autor, idest, Diabolus, vt sensus sit sic: Nocte, idest, à peccato surgentes ad opera bona, ad preces, ad orationesque, psalmos ac ad hymnos.

Cap. sacerdotes dist. 37.

Propositio quarta elucidatur. Orare quid.

Clem. vna de reliq. & ven. sanct.

Propositio quinta indagatur. Luc. 2.

Cantare hymnos cur debemus ...

Basilius Magnus in ep. ad Gregor. tom. 2.

Nox quid.

hymnos, Deo decantandos, euigilemus. Vel sic: De peccatore studeat quisque exurgere, & fieri iustus, intendens animum post hac psalmis, hymnisque ac orationibus. Aut sic: Nocte, idest, diabolo nos expoliantes, ac fugientes, ad Deum laudandum, & meditandum in hymnis, & psalmis, canamus, inquam, dulciter hymnos. *Vt pio Regi pariter canentes, cum suis sanctis mereamur aulam Ingredi cæli simul, & beatam Ducere vitam.* ¶ Hæc est autem vtilitas, quæ nobis proueniet, aut quam nos capiemus ex iugi hymnorum cantu, & psalmorum psalimodia. Idest, si in psalmis meditati fuerimus, ac domino totis viribus, ac omnibus sensibus nostris Deo vacauerimus: pariterque & si pio Regi hymnos cantauerimus: vt ex hoc hymnico cantu, & psalmorum psalmodia digni efficiamur cæli ingressu, ac ibi cum sanctis eius beata potiamur vita. ¶ Ad cuius propositionis, seu præmissionis pleniorem cognitionem, ac profectum, admouendi, ac aperiendi sunt oculi nostri, & carnei, & intellectus nostri ad tria, nempe: cui fuimus exhortati supra canere hymnos: & cui hic. Et quid hæc dictio; pariter; importet: & quid aula sit, & notet. Ad primum dicimus, quod in superioribus quatuoruersibus iussi fuimus canere hymnos Domino Deo patri. Hic vero in præsentibus quatuor alijs videmur exhortari, vt Pio Regi, Christo, scilicet, & filio Dei pariter canamus hymnos. Et hoc propter hanc dictionem, pariter, quæ hic ponitur. q. d. sicut cecinimus laudes, & hymnos ipsi Deo patri in superioribus versibus: ita pariter, & eius filio pio Regum Regi canamus: de quo dicitur per psalmistam: Iubilate in conspectu Regis Domini. Ita quod hæc dictio, pariter, & ad patrem, & ad filium par referatur, & par illis sit: ostendens parem hymnorum cantationem fieri debere, & æqualem orationem tam patri, quam filio: sicut videtur, & ipsa hymni scriptura innuere: & sic hæc dictio pariter, hic importare videtur paritatem laudis. Verum & si velimus, vt ad nos hæc dictio referatur: dicentes, quod in ipso hymno continuatur fieri oratio semper domino: & nec illic fiet plus patri, quam filio, & e conuerso, neque hic plus filio, quam Patri; sed indifferenter ipsi Domino, qui est Rex pius, & pater: vt hæc dictio, pariter, nullum habeat respectum ad supra dicta nomina, idest, aut ad patrem, aut ad filium: sed pertineat, & ad nos respiciat, nempe: ideo canamus, vt nos pariter, & insimul omnes eodem tempore ingrediamus Cæli aulam: vbi & nos sancti cum sanctis perreniter viuamus vitam: & hic quoque intellectus non forte sit spernendus; vt secundum hunc intellectum hæc dictio: pariter, importet hic paritatem temporis. Potest & importare paritatē iuris,

Prima propositio examinatur.

Dictio, pariter, quid importat.

Apoc. 19.
Sap. 97.

ris, & exempli, vt dicat: canamus pio Regi, vt pariter, ideſt, quo exemplo ſancti Dei ingreſſi ſunt cæli ianuam; iiſdem nos, & iure, ſcilicet, & exemplo Cæli aulam intremus. Sed intellectus primus, & ſuperior magis aptus eſt arridetque congrue magis. Cæterum aula domus Regia, ſiue Principum nuncupatur. Sed hoc loco accipitur pro Dei domo: de qua dicitur: in domo patris mei multæ ſunt manſiones. & alibi. O Iſrael, quam magna eſt domus Dei: & ingens locus paſſionis eius. Hanc igitur aulam, vt ingredi valeamus, ſammam Deitatem nunc interpellamns dicentes: *Præſtet hoc nobis Deitas beata Patris, ac nati, pariterque ſancti Spiritus, cuius reboat in omni Gloria mundo.* ¶ Præcamur te, imquam, ò beata Deitas, quæ es vna in eſſentia, & in perſonis trina, patris, nempe, filij, & ſpiritus ſancti: cuius tuæ immenſæ Deitatis gloria roboat, & reſonat in omni, ac vniuerſo mundo: vt hoc concedas nobis, ac præſtes: vt ingredi mereamur iam dictam cæli aulam. ¶ Ad cuius orationis clariorem intelligentiam ſciendum eſt, quod mundus hoc in loco accipitur potius pro omni populo, & pro Eccleſia, quam pro hoc ipſo ſenſibili, & materiali mundo. Nam quod Eccleſia mundus dicatur, non eſt nouum per multa ſacræ ſcripturæ loca, & per ea, quæ ſupra in primo hymno diximus. Dicitur autem Eccleſia mundus ſpiritualis, & recreatus, figuratus per mundum materialem: cuius habitatores ſunt omnes Chriſti fideles, in Chriſto recreati, ſeu regenerati. Dicit ergo, quod gloria, quæ ſoli Deo datur, huius ſanctæ Deitatis reboat, & reſonat in ore omni populo, & omni Eccleſiæ, & bene omni Eccleſiæ. Vnde Parthi, & Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Capadociam, Pontum, & Aſiam, Phrigiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & Aduenæ, Romani, Iudæi, & Proſelyti, Cretes, & Arabes, ſecundum acta Apoſtolorum, gloriam hanc, & laudem, ſummæ iſtius Deitatis olim annunciauerunt: quando factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis: qui repleuit totam Eccleſiam. Et eadem gloria Deitatis, quæ olim celebrabatur à ſupradictis Eccleſijs, ſucceſsiue ſemper reſonauit in ore omnium aliarum ſubſequentium Eccleſiarum: & nunc quotidie noſtris temporibus reſonat in ore cuiuſcunque hominis, ac cuiuſcunque Eccleſiæ, & populi: qui notam faciunt filijs hominum gloriam magnificentiæ huius ſanctæ & beatæ Deitatis.

Ioan. 14. Baruch. 3. Deitas quid. Mundus quid. Act. 2. Pſal. 44.

Diebus

Diebus Dominicis ad Laudes Hyemales matutinas Hymnus Tertius.

AEterne rerum conditor,
Noctē, diemque, qui regis;
Et temporum das tempora:
Vt alleues fastidium.
Praeco diei iam sonat,
Noctis profunde peruigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.
Hoc excitatus lucifer,
Soluit polum caligine:
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc ipso petra Ecclesiae
Canente culpam diluit.
Surgamus ergo strenue:
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides reuertitur.
Iesu labentes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, lapsi stabunt
Fletuque culpa soluitur.
Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et ora soluamus tibi.
Deo patri sit gloria;
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

SAncta Dei Ecclesia, ueritatis columna, agnoscens cum propheta Dauid; Deum omnia in sapientia creasse, ac fecisse: ac temporum tempora dedisse; per gallum huius mundi auem, satis notam segregāda: vt alleuet fastidium, aut nimiae noctis, aut nimij diei: hoc in laudem conditoris tantarum rerum, ac tanti in nos ab eo collati beneficij, suauissimum eructauit hymnum, ac canticum. In quo per Beatum Ambrosium, huius pulcherrimi hymni dignissimum authorem; eundem ipsum rerum conditorem primo commendat; qui aeternus est, idest; sine initio, & sine fine; & rerum omnium, scilicet, visibilium, & inuisibilium creator Deus. Deinde multiplicem describit vtilitatem, & commoditatem, quae hominibus prouenire solet in ipsa hora, scilicet, in aurora, in qua ab Ecclesiasticis instituit cantari debere hoc ipsum amaenissimum canticum. Laudes enim tali hora deuote recitando, in anima Dei electa omnia illa mystice spiritus sanctus operatur: quae, gallo canente, tali hora attribuuntur. Tertio fit ad Iesum oratio, vt labentes in peccata, miserando reuocet eos de peccatis ad gratiam. Secunda pars ibi.

Psal. 103. Genes. 1.

Hymni huius Auth.

Hymni diuisio, & summa.

Præco diei. Tertia ibi. Iesu labentes. ¶ Quantum ad primam igitur huius hymni partem, quæ consistit in primis quatuor versibus, & ad clariorem intelligentiam, notandum est primo, quis sit æternus iste rerum conditor. Secundo notandum est, quid rerum appellatione intelligendum sit. Tertio, notandum est, quis modus fuerit iste rerum creandarum. Quarto, quæ vtilitas nobis proueniat ex ista temporum mutatione, quam fecit Deus, dando temporum tempora. Quinto notandum est, prædictorum quatuor versuum, quis possit esse sensus mysticus. Itaque æternus iste rerum conditor est Deus noster; qui *Deus noster à theos græce dicitur, quod idem est quod speculabile, & currere,* & actus purus, & immaterialis; & latine dicitur, quod perse intelligibile; & sic Deus dicit, quod vnum solum, & independens, & infallibile, & per consequens æternum: est enim æternum, quod non habet principium suæ essentiæ, nec habet finem: ergo æternus rerum conditor est Deus; quia est per se, & propter se: & omnia ab eo, & per eum, & propter eum: & per consequens omnia alia creata sunt propter se: & sic est conditor, pelagusque, ac fons omnium rerum, & perfectionum essentialiter. Res autem istæ sunt cælum, & terra, visibilia, & inuisibilia, corporalia, & incorporalia, ac spiritualia: ac ea omnia, quæ cæli, & terræ ambitu continentur: qualia sunt, de quibus supra hymno primo diximus. Quarum creandarum rerum modus fuit: quod Deus omnia simul creauit: nec aliquam nouam creaturam post modum addidit, quam prius non fecerit: sicut enim in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat: sic Ideæ rerum omnium ante mundi constitutionem erant in mente creatoris: Nam quod factum, in ipso, scilicet, conditore rerum, vita erat. Non enim aliquid extra se aspiciebat, secundum quod mundum faceret; ex quo patet, quod omnis creatura prius in Deo existit, quam in se ipsa. Cæterum iste Deus, & æternus rerum conditor, est, & diei, & noctis etiam rector: qui certe temporum horum facit vicissitudines, vt alleuet fastidium. Nam diem quidem Deus, & noctem regit: temporumque dat tempora: quia dicit: Pater meus, vsque modo operatur, & ego operor. Disponit enim non solum diem, & noctem; sed etiam omnium temporum distinctionem: dans, & operans sua prudentia alternationes, & temporum, scilicet, diei, & noctis, vicissitudines, ac cæterorum huiusmodi. Videmus enim quod aliquando in magno frigore sumus, & sic in hyeme: aliquando in magno calore, & sic in æstate: aliquando vero neque in frigore, neque in calore; sed in temperatissimo aere, & sic in vere, aut autumno. Hoc autem Deus facit, vt alleuet fastidium,

Deus vnus
Aeternum quid.
Aeternus rerum conditor quis.
Rerum nomine quid intelligitur.
Modus producendi rerum.
Artifex.
Ioan. 1.
Ioan. 5.

fastidium, quod nobis inferretur, & daretur, si vnius sortis dumtaxat, & conditionis iuge tempus haberemus. si enim continuus foret dies sine nocte: id sane tædium nobis ingereret: & tanto magis si perpetua nobis esset nox sine die: Miser enim homo nimis laboris studio affectus periret. Pari modo si semper nox esset, deficeret, & torperet inertia, & propter tenebras. Fuit etiam ista datio temporum non tantum homini, sed etiam feris vtilis: quoniam nox non tantum hominibus requiem adducit, & diurnis fessos laboribus fortiores reddit: sed ipsis etiam feris liberam prodeundi facultatem præstat. Dies enim homini, & alijs mansuetis animalibus destinata est: ne immitia simul, & mitia in vnum conuenientia mutuo læderentur: iuxta illud Dauidis, qui ait: In ipsa, scilicet, nocte pertransibunt omnes feræ syluarum: ortus est sol, & congregatæ sunt in cubilibus suis. Et sic tunc exihibit homo ad operationem suam. Ex quibus patet, quanta fuerit vtilitas istius vicissitudinis, & alternationis temporum. Nunc altiora petentes, & ad superna volitantes mysticum præsentium quatuor versuum referemus. ¶ Ad quorum pleniorem elucidationem aduertendum est, quod nox potest considerari quadrupliciter: similiter, & dies. Nam sicut in mundo sensibili est dare diem, qui causatur ex latione solis super terram, & noctem, quæ causatur ex absentia solis super terram: ita pariter in Ecclesia, quæ dicitur mundus mysticus, & figuratus, est dare vnum diem, & vnam noctem. Nox ergo fuit ab Adam vsque ad Christum propter peccatum Adæ, & absentiam solis, qui dicitur Christus: idest, totum tempus legis veteris comparatum ad statum gratiæ dicitur nox: vnde Apostolus dixit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Secundo nox dicuntur etiam Patriarchæ, & Prophetæ: quia sicut in nocte non apparet sol: sed solum apparet cælum stellatum: quod dicitur firmamentum, in quantum videntur stellæ in illo fixæ; quæ stellæ, & maxime Venus, quæ dicitur lucifer cum alijs planetis, in nocte apparentibus, prænunciat aduentum solis, & diem futurum propinquum. Ita pariter secundum Gregorium primo moralium cap. 10. Christus in tempore legis veteris præmisit Patriarchas, & Prophetas tanquam stellas, & noctem firmamenti. Tertio nox sumitur etiam pro Sinagoga, & populo Iudæorum: quia ambulat cæcus in tenebris, & in nocte, iuxta illud: & nox nocti indicat scientiam. Quarto nox sumitur etiam pro toto discursu huius vitæ: eo quod corda hominum sunt occulta: & hypocritæ, & hæretici ignoti habitant inter fideles, & iustos, & non cognoscuntur. Dies similiter quadrifariam consideratur, vno modo, tẽpus legis gratiæ dicitur dies: qui incipit à baptismo, &

Vtilitas quæ sit ex temporum muta.

Note de nocte.

Psal. 103.

Nox quatuor modis consideretur.

Nota Ecclesia noctem.

Rom. 13.

Firmamẽtum cur sic appelletur.

Greg.

Isai. 19.

Dies quadruplex.

Tempus legis gratiæ dicitur dies. mo,& prædicatione Christi: quia tunc Christus sol iustitiæ incæpit mittere lumen euangelicum,& influentiam Ecclesiasticorum sacramentorum super vniuersam terram. De qua die ait Apostolus ad Rom. 13. Nox præcessit dies autem appropinquauit. Item dies dicitur etiam Christus: qui se diem nuncupauit: cum dixit: non ne sunt duodecim horæ diei? Tertio modo dies etiam dicitur Collegium Apostolorum. Quarto modo dicitur dies Ecclesia, iuxta dicta psalmi,dicentis: Dies diei eructat verbum. Sic igitur dicamus. O æternæ rerum conditor Deus,qui noctem,idest,tempus legis veteris custodisti: & Patriarchas, & Prophetas, & populum Iudæorum regis, & gubernas; & occulta hypochritarum, & hæreticorum cognoscis: quique diem, idest, tempus legis gratiæ regis, & collegium Apostolorum,ac tuam Ecclesiam, & temporum das tempora:idest, & post statum legis veteris induxisti tempus, & statum gratiæ:vt alleues fastidium;illud, scilicet,quod habuissemus,si semper in statu perditionis, & in nocte legis veteris ambulauissemus.

Christus dies dicitur. *Ioan. 11.* *Psal. 19.*

Præco diei iam sonat: Noctis profundæ peruigil: Nocturna lux viantibus: A nocte noctem segregans. ¶ Præco diei hic dicitur gallus auis domestica, & apud nos satis quidem nota:qui quatuor hic proprietates habere describitur:vt, nempe, sit diei propinqui nuncius: sui siquidem cantus præconio diem propinquam nunciat. Secundo vt sit noctis profundæ peruigil:quoniam nocte intempesta; dum cætera animantia sopor altus habet, vigil ille excubat, magisque clamorose cantat,quam mane faciat: vt magis excitet sopore grauatos. Tertio dicitur nocturna lux viantibus, quo ad munus, & officium: quia noctu iter agentibus significat horas, non secus ac interdiu viam carpentibus lux solis eas insinuat, & conspicantibus solem,temporisque decursum nunciat. Quarto,& vltimo diei præco memoratur segregare à nocte noctem; quæ habet sex partes,sero,scilicet, vesperum, conticinium, intempestum, gallicinium, crepusculum, & mane: quas ipse suo cantu disseparat per insitam vim quandam illi à diuina prouidentia: qua ordinatissime erumpit in cantum in ijsdem noctis partibus,quasi noctis discretor.de quo Iob percontans: quis,inquit, dedit gallo intelligentiam? Vel per præconem Dei verbum mystice, & ipsum Christum intelligamus, dicentes,Christus,& Dei verbum,quod est,diei,idest, discipulorum eius,& Ecclesiæ militantis præco iam sonat, & vocat nos à somnolentia peccati surgere:qui per Apostolum dicit nobis:surge qui dormis,& exurge à mortuis,& illuminabit te Christus: qui est profundæ noctis,idest,sinagogæ,& populi Iudaici præco peruigil;vocando eos quotidie ad fidem:istisque item cæcis Iudæis in nocte, ac tenebris,

Galli proprietates.

Noctis partes.

Quid per præconem intelligitur.

bris, viantibus est & vna lux nocturna : qui non cessat eos illuminare, vt viam veritatis adinueniant: segregat tamen noctem à nocte, idest, hæreticos omnes separat ab hac cæca sinagoga; ne persuasione istorum apostatarum persistere velit in sua perfidia, dum apud illam essent, ne ambo in foueam cadant: qui præcidit eos, & ab Ecclesia Dei, & ab hac sinagoga Hebræorum. Per præconem, etiam non male intellexeris Ioannem Baptistam, qui fuit huius diei, scilicet, Christi, qui est dies, vt dictum est supra. præco; qui fuit peruigil præco, & nocturna lux omnibus ambulantibus in tenebris: qui segregauit sanctos Patriarchas, & Prophetas à perfida sinagoga: similiter per præconem diei intellige etiam omnem verbi Dei prædicatorē, ac concionatorem: qui eodem officio quotidie fungitur; quo & functi sunt Christus, & Ioannes. *Hoc excitatus Lucifer Soluit polum caligine: Hoc omnis errorum chorus Viam nocendi deserit.* ¶ Lucifer est stella illa matutina, quæ solis ortum suo splendore, vt nuncius præuenit: quæ vulgari, poeticoque more, dicitur excitare ipsum diei præconem, quasi prius fuisset sopore depressa, & galli cantu excitata se præparet ad ortum. paulo enim post tempus galli cantus lucifer oritur: & cælum ipsum à caligine, & à vapore tenebroso purgat: quia cum exoritur secum fert maiorem alijs sideribus splendorem. Tunc itidem omnis errantium congregatio, & turma nocendi finem facit, orto isto sydere: qui enim male facit, odit lucem, secundum Ioannē; & male agendi audacia tenebris crescit. fures ergo omnes, sicarij, ac latrones omnes noctis opacitate nocendi occasionem ante iam nacti, à suis desistunt maleficijs, lucis propinquitate deterriti; quia, vt iugulent homines, inquit Horatius, surgunt de nocte latrones. ¶ Verùm spiritualem sensum nostrum sequentes, memores simus eorum, quæ supra diximus, scilicet: Patriarchas, & Prophetas à Christo præmissos fuisse in nocte legis veteris, tanquam stellas, ac luciferum, vt prænunciarent diem, idest, ad aduentum suum. Dicit ergo, Hoc scilicet, Christo præcone diei, & noctis, excitatus Lucifer, idest, Patriarcharum, & Prophetarum chorus vocatus, ac spiritus sancti gratia illuminatus, soluit polum caligine, idest, intellectum suum, & mentem suam emundat, & purgat ab omni, & ex omni erroris, ac peccati nigredine ad prædicandum omni populo, quia lux fulgebit super eos. Hoc, inquam, gallo, & Christo verbo Dei prædicante, & minante, omnis errorum chorus, idest, errantium hæreticorum, & apostatarum cætus perterritus, viam nocendi bonis Christianis deserit. Vel sic: hoc præcone diei, scilicet, Ioanne Baptista, & prophetis, iam olim Christus Lucifer excitatus, & vocatus ab eis, à patre olim exiens, & in die resurrectionis suæ resurgens, soluit polum, idest, aperit

Luc. 5.
Isai. 19.
Ioan. 3.
Dies quid signat.
Polus quid.
Præco quid.

aperit cælum:omni ſublata prius caligine; quæ viam eius obſcurabat;& in qua ſtabant Dæmones ad tentandum, & nocendum homini:ad quod omnes nunc libere aduolare, & aulam eius ingredi valent. & hoc, ideſt,& per hoc, quod Chriſtus aſcendens ad ſoluendũ, & aperiendum polum,ac cælum ipſum, omnis errorum chorus, ideſt,omnis malignorum ſpirituum caterua, quæ errauit in cælo, volens eſſe ſimilis Deo; & vulnerabat gentes, viam nocendi amplius gentibus deſerit:quia ad infernum, & in profundum laci detracta eſt. *Hoc,nauta vires colligit,Pontique miteſcunt freta: Hoc ipſa petra Eccleſiæ Canente culpam diluit.* ¶ Nocturno enim tempore ingraueſcentes maris tempeſtates ob negatum lucis diurnę beneficium magis formidantur à nautis. Iactati igitur grauibus procellis intempeſta nocte cum galli cantum audiunt dicti nautæ vires, animumque reuocant. Nam ob ſperatæ diei propinquitatem ſedatior fieri tempeſtas,ac miteſcere ventorum fragor ſolet, ac procellarum fremitus; ſed quoniam totus hymni textus ſuperior recitatus de Beato Petro Archiapoſtolo videtur fari, & intelligi; ideo de eo dicentes verſus explicemus. ¶ Ad quorum maiorem elucidationem notandum eſt primo,quæ eſſet ars Beati Petri,dum viueret. Secundo notanda ſunt alia tria, quæ eidem Beato Archiapoſtolo contigerunt,dum viueret,conuerſareturque cum Chriſto Magiſtro eius. Sciunt igitur omnes Chriſti fideles, olim Beatum Petrum fuiſſe piſcatorem:de quo ſanctus Euangeliſta Matthæus ait. Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galileæ,vidit duos fratres,Simonem,qui vocatur Petrus,& Andream fratrem eius,mittentes rete in mari (erãt enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me; & faciam vos piſcatores hominum. Scimus item omnes Chriſtum Dominum noſtrum aliquando conſcendiſſe nauiculam cum Petro, & diſcipulis eius: & ſubito motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipſe vero Ieſus dormiebat:& acceſſerunt diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum,dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Tunc ſurgens imperauit ventis,& mari, & facta eſt tranquillitas magna. Præterea nullum etiam noſtrum latet, Chriſtum dixiſſe Petro in nocte,in qua crucifixus fuit; antequam gallus cantet, ter me negabis. Nec præterit etiam aliquem noſtrum; cum venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi;ſuos interrogaſſe diſcipulos; dicentem: vos quem me eſſe dicitis?reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. & Chriſtus Petro. Et ego dico tibi; quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ex quibus ſupradictis apparet,Petrum fuiſſe piſcatorem;Petrum etiam habuiſſe auxilium,dum in mari iactabatur fluctibus;Petrum ante galli cantum negaſſe

Iſai. 14. *Matth. 4.* *Math. 8.* *Matth.26* *Matth.16*

negasse Christum, & Petrum denique à domino fuisse appellatum petram Ecclesiæ. Dicit ergo litera hymni, Hoc nauta vires colligit, ideſt, hoc Christo, & per hunc Christum. Nauta, ideſt, Petrus, qui fuit nauta, dum erat piscator simul cum fratre eius Andrea; & hoc scilicet, Christo surgente à somno: qui, dum Petrus mori in mari dubitabat, imperauit ventis, & facta eſt tranquillitas magna. vires colligit; scilicet, Petrus reuocauit animum, & non dubitauit amplius mergi in mari: ex qua voce Domini venti versi sunt sedatiores. Pontique mitescunt freta: nam hoc, videlicet, Christo, & voce eius imperantis ventis: freta, ideſt, ebullientes, & feruentes fluctus, pontique, ideſt, & maria ipsa mtiescunt: quia statuit Deus procellam eius, scilicet, maris, in auram, & suauem ventum, & siluerunt fluctus eius: & quia siluerunt, scilicet, maria, & fluctus eius; ideo tunc Petrus collegit vires, & lætatus eſt, imo & lætati sunt omnes alij discipuli cum eo; quia siluerunt fluctus eius, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Hoc, inquam, Christo canere faciente gallum in nocte suæ passionis, ipsa petra Ecclesiæ, scilicet, Petrus: cui Dominus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; culpam diluit, ideſt culpam illius trinæ negationis flendo, & pænitendo, deleuit. Quod autem ad galli vocem redijt, & culpam diluit Beatus Petrus mystice designatur, inquit Albertus Magnus: quia ad vocem prædicatoris peccator reuertatur propter galli sex proprietates: quarum prima eſt: quia percutit se ante cantum: quod corporis significat castigationem, vt Paulus inquit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Secunda eſt, quia intelligentiam habet distinctionis horarum, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: In omnibus illis horis præcipue cantant galli. Sero primo hora noctis propter Iuuenes. Media nocte propter in iuuenili ætate existentes: Galli cantu propter senes: Mane autem quando iam alia lux oritur propter eos, qui vltimo senio sunt confecti. Tertia proprietas eſt, quia gallus, sicut dicitur prouerb. 30. bene graditur in hoc, quod succintos habet lumbos. Vnde, sint lumbi veſtri præcinti: hoc eſt, carnis luxuria per continentiam restricta. Quarta gallus inuentorum granorum eſt communicatiuus cum infimis sui generis, hoc eſt, cum gallinis: & hoc competit prædicatori: vt sua communicet: Act. fuerunt illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, prout opus erat. Quinta gallus eſt in capite rubicundissimo colore: quod significat decorem fidei per dilectionem operantis in mente. Hic enim dicitur, candidus eſt in veritate fidei: & rubicundus calore charitatis, & ardore.

Nauta quid significat.

Psal. 106.

Albertus Magnus. Luc. 22. 1. 2.

Galli sex proprietates. 2. car. 9

Prouer. 30.

Nota.

Act. 4.

Cant. 5.

ardore. Sexta proprietas est, quod pugnax animal est. Vnde & natura sibi calcar acutum dedit, quo pugnat. Et hoc significat audaciam pro gallinis, hoc est, congregatione commissorum se exponendi. Et quia iste præco non cessat nos vocare, & excitare: ideo additur magna exhortatio facta nobis ab Ecclesia, & dulciter nos sic monet: *Surgamus ergo strenue: Gallus iacentes excitat: Et somnolentos increpat: Gallus negantes arguit.* ¶ Hic solicite, festinanterque surgere nocte monemur ad laudes Deo dandas, statim atque galli cantum audierimus; nos iacentes excitantem: imo nos increpantem vocis eius sollicitudine, ac cantu eius frequenti, si detractauerimus statim audita prima galli cantus voce surgere. est enim illa vocis, ac galli cantus sollicita, & frequens ad canendum iteratio nobis quasi increpatio. q. d. si Beatus Petrus statim audito galli cantu, recordatus est verbi Dei, & statim exijt foras, & fleuit amare, pœnitens cum peccasset: cur nos quoque non surgere volumus ad flendum primo nostra peccata; deinde ad laudandum Deum? cum gallus, qui nunc cantat, & iacentes nos excitat, ac somnolentos increpat: arguat, idest, demonstret, ac indicet nobis, negantibus forte surgere, ad instar Beati Petri audita eiusdem galli voce nos surgere? surgamus, inquam, strenue: quia & Petrus velociter surrexit: quem iacentem Angelus, ac dormientem percusso eius latere prius excitauit: & hoc est, quod dicit: Gallus iacentes excitat. Surgamus strenue: quia somnolentes Christus gallus iste increpat, quos dormientes inuenit, dicens eis. Quid dormitis? surgite, & orate, ne intretis in tentationem: & Simoni dixit: Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum? & hoc est, quod dicit, somnolentos increpat. Surgamus dico, quia negantes Deum iste gallus Christus, scilicet, arguit. Nam statim atque Petrus negauit Christum, cantauit gallus: & conuersus Dominus respexit Petrum, & quodamodo reprehendit, ac arguit eum trinæ negationis, & hoc est, quod ait: Gallus negantes arguit. Reprehendimur ergo hic, scilicet, in quatuor iam recitatis versibus acriter, quod quotidie vocati sumus, & excitamur à gallis, idest, à Prophetis, ab Apostolis, & prædicatoribus omnibus ad vitæ nouitatem, veniam, ad gratiam, & gloriam: & tamen negamus audire: sed iam audiamus, & de nocte surgamus, & demus Deo laudes, honoremque, ac gloriam; quia si strenue ad galli cantum surrexerimus, & diuinis laudibus mancipabimur, vt tenemur ex votis, quæ fecimus Deo in ordinatione nostra: Dominus, qui est pars hereditatis vestræ, restituet nobis semet ipsum, vt sempiternam hereditatem. *Gallo canente spes redit: Aegris salus refunditur: Mucro latronis conditur: Lapsis fides reuertitur.* ¶ Spes, dico.

Gallina quid. *Nota.* *Act. 1.* *Mat. 14.* *Luc. 22.* *Psal. 15.*

dico canente, redit euadendi cuiuspiam periculi: quod horrida noctis opacitas reddidit grauius, & formidalibus. Tunc etiam gallo canente ægris salus instauratur: morbus enim nocte ingrauescens sæpe circa diluculum fit lentior. Præterea eo etiam tempore, quo gallus cantat, mucro latronis absconditur: quia ob diei aduentum, à latrocinio etiam inuitus latro cessat. Demum gallo canente fides reuertitur non secus ac rediit Beato Petro, qui ante negando Deum prolapsus, audito galli cantu ad fidem reuersus est. ¶ Verum licet de quolibet homine in periculo existente nocte primus versus possit intelligi, & de quolibet ægro secundus, & tertius de quolibet hæretico: proprius tamen credo de Beato Petro eos esse intelligendos omnes: vt sic dicamus. Petro aliquando dubitanti de salute, & febre socrus sui gallo canente, hoc est, Christo imperante febri: qua tenebatur socrus Petri, spes redit: & salus ægris vtrique Petro, scilicet, & socrui eius: quorum vnus infirmabatur ob dubitationem febris socrus sui: alter ob propriam febrem, & salutem suam, scilicet, socrus dicti Simonis; refunditur, rependitur, restituiturque: & sic tunc, postquam imperauit Deus febri, & dimisit illam; Mucro, idest, culpa, & peccatum, quod dicitur gladius venenosus, occidens animas hominum morte perpetua; latronis, idest, diaboli, qui isto gladio occidit animas; conditur, reconditur, & remittitur, ac Deus illud non recordatur. Sicut enim verbum Dei dicitur gladius benignus, penetrans corda hominum, & amputans fontes peccatorum; ita per oppositum culpa & peccatum dicitur gladius malignus, & venenosus, occidens animas hominum morte perpetua. Nam, vt dixi, isto gladio Diabolus occidit animas. Gallo, inquam, canente, Petro Apostolo fides reuertitur: quoniam exiens foras fleuit amare, quod negasset Christum: & sic per fletum eius, & pænitentiam, fidem, quam negando Christum amiserat, recuperauit. Generaliter vero ad omnes nos misellos peccatores possunt & prædicti versus referri: vt & sic dicamus. Gallo canente, idest, Christo per se, & suos prædicatores prædicante, spes, & fiducia recuperandæ salutis redit: quia peccatores quantumlibet vitiosi, & indurati redeunt, & accipiunt spem ab eis veniæ, & salutis suæ. Sic & ægris peccatoribus, prædicante Deo salus, & medela à peccatis refunditur. Et mucro latronis, idest, gladius, & prauitas hæreticorum, & peruersio, quæ inualuit contra Ecclesiam post Constantinum, Christo canente, & prædicante eius prædicatore, fugit, ac reprobatur. Fides tamē aliquando illis etiam per eorum pænitentiam, & prædicatorum nostrorum prædicationem reuertitur. Ex omnibus supradictis quæso quid tanta inculcatio verborum huius præconis, & quid tanta repetitio vocum

Mucro gl.

Peccatum dicitur gladius.

Prauitas hæreticorũ dicitur gladius.

cum

cum huius galli cantus profuit? profuit profecto nobis hæc supradicti huius præconis tanta commendatio, hæc tanta huius præconis vigilantia, ac bonitas: & hæc tanta huius galli cantatio, & excitatio. omnia hęc de præcone dicta operabitur in nobis spiritus sanctus; si nos strenue, & statim ad vocem eius surrexerimus nocte hac sanctæ diei Dominici: quod & supra dictum est. *Iesu labentes respice: Et nos videndo corrige, St respicis lapsi stabunt: Fletuque culpa soluitur.* ¶ Ad horum versuum veram intelligentiam videndum est primo: cur prouoluti pedibus Iesu, eius imploremus aspectum, ac auxilium. Secundo videndum est, respicere, & videre quid in sacris scripturis significent: & cur sancta Dei Ecclesia vsa sit hic isto verbo respicere. Quantum ad primum sciendum est; quod solus Iesus, quem colit Christiana religio, potuit reparare humanam naturam per gratiam, & gloriam: quam Adam dissipauit per culpam, & pœnam, quod patet per omnes euangelistas, & maxime per Beatum Ioannem per totum discursum eius euangelij. Nam dicit: Ille solus potuit humanam naturam reparare per gratiam, & gloriam: qui ipsam creauit bonam per naturam: sed Christus est illud verbum æternum filius Dei patris; per quod verbum facta sunt omnia bona per naturam, vt supra in hymno primo probauimus: ergo ipse Christus filius Dei potuit, imo de facto reparauit humanam naturam per gratiam, & gloriam. Maior est nota: quia cuius est naturam condere bonam, eiusdem est eam lapsam reparare. Ergo sicut solius Dei est naturam condere: ita solius Dei est ipsam lapsam reparare per gratiam, & gloriam; qui solus est creator, & dator gratiæ, & gloriæ. psal. 83. gratiam, & gloriam dabit Dominus. Ad hunc ergo Deum, & Iesum Christum Dominum nostrum accedere nos oportuit, vt nos lapsos repararet per gratiam suam. Quo vero ad secundum præsuppositum, dicimus, quod respicere, & videre in sacra scriptura est non tam corporeis intuitibus, quam internæ miserationis aspectibus alicuius misereri, & eundem diligere: quibus intuitibus, & aspectibus Petrum Deus negantem: vt reatum suum cognoscere, ac deflere posset; respicere dignatus est, vt supra diximus. Cum ergo solius sit Iesus reparare humanam naturam, idest, nos homines: ideo ergo dicimus: O Iesu, cuius est humanam reparare naturam, & qui salutifer venisti, respice nos, idest, nostri miserando, elige nos in tuam gratiam, & gloriam: similiter & nos videndo, idest, eligendo sic in tui gratiam, corrige, & emenda, ac castiga nos in tua misericordia, & non in furore tuo, vt sic nos flagitiosi à vitio desistamus, & conuertamur ad virtutem, & ordinemur ad bonam vitam. Et quidem

Psal. 83.

Respicere, & videre quid significet in sacris.

quidem si sic nos respicis, idest, si nostri misereris, & iterum in gratiam tuam nos elegeris: profectò, & lapsi stabunt, idest, non solum ij, qui nunc in tui gratia sunt; sed & ij, qui aliquando lapsi sunt; stabunt; & permanebunt in bona vita & virtute, & per consequens in gratia tua. Demum fletuque culpa soluitur, idest nos à peccato ad virtutem conuersi, permanentes sic in bonitate, & virtute, soluemus quidem cum fletu nostro omne nostrum factum malum, ad instar Beati Petri, qui fletu culpam suam diluit, postquam cognouit se peccasse contra Deum; & hoc, inquam, fiet; si nos respexeris, & videndo correxeris, *Tu lux refulge sensibus, Mentisque somnum discute: Te nostra vox primum sonet: Et ora soluamus tibi.* ¶ Ad horum quatuor versuum pleniorem intellectum notandum est primo, quid hic per lucem intelligere debeamus; secundo quid per somnum mentis sentire oporteat. Quantum ad primum aduertendum est, quod Dei filius multis vocatur nominibus, scilicet, verbum Dei, veritas Dei æterna, sapientia Dei, lux æterna, siue lumen, ars patris, æterna vita: & lux æterna, & Christus reparator humanæ naturæ; & Iesus, quo nomine paulo ante inuocauimus, cum diximus; Iesu labentes &c. Cum ergo hic dicis; Tu lux refulge sensibus: Deum, & Dei filium rogas illuminare sensus cordis, & corporis tui, hoc est, sensus tuos interiores, & exteriores, perceptionem maxime, cogitationem, cõscientiam, sublimitatem, & animositatem; ac etiam ipsos corporis tui oculos. filius enim Dei secundum vtramque naturam dicitur lux: quia secundum diuinitatem illuminat intus animam: & secundum humanitatem informat exterius vitam: & hoc miraculis, prædicationibus, & exemplis. Primum est potentiæ. Secundum est sapientiæ. Tertium est bonitatis. Dicitur autem Dei filius lux, inquantum est coæternus patri, sicut lux ipsi soli: & procedit à patre æternaliter, sicut lux à sole: quia sicut nunquam fuit sol sine lumine, nec è conuerso: & sicut lumen procedens à sole illuminat, & viuificat omnia, & maxime omnem hominem venientem in hunc mundum. Merito igitur petimus hanc diuinam lucem adesse, & præsto esse sensibus nostris. Ad secundam vero propositionem dicimus, mentis somnum esse hic intelligendũ omnem mentis nostræ prauam, & deceptoriam cogitationem, quæ maxime suggesta est à Diabolo: & quæ deliberatiue quotidie proponit, & consentit peccatum velle committere; perseuerans deliberatione per assensum, Mentis ergo nostræ domine, somnum discute: vt sic adimplere valeamus, quæ supra à te petiuimus, scilicet, vt ordinemur ad bonam vitam, & de vitijs conuertamur ad virtutes: & ora soluamus tibi: quę te primũ omniũ laudent die, noctęq; dicentia *Deo patri sit gloria, Eiusque, soli filio, Cum spiritu paraclyto: Et nunc,*

Dei filius multis dicitur modis.

Sensus spirituales qui.

Filius Dei lux dicitur

Filius Dei quomodo dicitur lumẽ

& in perpetuum. Amen. ¶ Vbi aduertendum est, quod gloria, quam Deo hic debemus, exterior dicitur: quia augeri, & augmentari potest: secundum quod crescit numerus electorum in cælo, & in terra. Et hæc gloria à nobis Deo hic exhibita pro honore latriæ sumitur: quæ incepit ab Angelus ex tempore in cælo post confirmationem, & conuersionem eorum: illico inceperunt cantare: Sanctus, Sanctus. &c. & sic ista exterior gloria consistit in adoratione, & continuis laudibus: quia laudare, & benedicere, & glorificare Deum, & pro beneficijs gratias agere nunquam cessare debemus. Sed gloria Dei interior, hoc est, summum illud gaudium, quod Deus ab æterno habet de se ipso: non datur à nobis ipsi Deo: quia pro tali gloria non indiget nostris bonis, aut laudibus: quia per se laudabilis est, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Gloria Dei sumitur dupliciter.

Diebus Dominicis Æstiuis ad Laudes Matutinas Hymnus Quartus.

Ecce iã noctis tenuatur vmbra:
Lucis aurora rutilans coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Vt deus nostri miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet, & nobis pietate patris
Regna polorum.
Præstet hoc nobis Deitas beata,
Patris, ac nati, pariterque sancti
Spiritus, cuius robaat in omni
Gloria mundo. Amen.

ADuertat hic in primis omnis fidelis anima, nec oscitanter prætereat considerare piæ matris nostræ Ecclesiæ sapientem, ac religiosam diligentiam: Cum maxime illi sit curæ: vt fidelis quisque de suo creatore, redemptore, conseruatore, benefactore, demumque clementissimo patre sẽper cogitet aliquid, & tanto patre digna meditetur: ita vt nec etiã filio suo prætereat horã aliquam, quin illi repræsentet aliquod diuinorum beneficiorum: quia dum pro tẽpore filios suos inuitat ad Deum laudãdum, semper aliquod beneficiũ præfatur; & quadam emphasi illud proponit, vt excitet animum nostrũ in Deo salutari nostro: vt hic in præfato hymno videri potest. quãdo inter omnia illa collata à Deo beneficia, primũ illud cẽsetur lux. Nã creatis cælo, & terra, statim dixit: fiat lux. Si quis autẽ ignorat, quanta afflictio sit vitã in tenebris ducere, audiat senem cæcum illum Thobiam, Angelo Raphaeli, eũm salutanti, respondentem; qui pacem illi dederat: Quæ pax, respondit, potest mihi esse, qui in tenebris sedeo, & lumẽ cæli non video? Cum ergo lux sit tantum ab omnibus desiderata, & pro magno beneficio sit frui illa in Deo illã appropinquante, sancta mater Ecclesia, veluti pro magno Dei benefi-

Genes. 1.

Thob. 5.

cio

cio exultans, sic ad nos, charos eius filios exclamare cœpit. *Ecce iam noctis tenuatur umbra: Lucis aurora rutilans coruscat*, &c. ¶ Ubi nos ipsa hortatur, magna cum ratione in primis illius hymni verbis per beatum Gregorium, huius hymni conditorem: ut Deum oremus ad hoc, ut omnia noxia à nobis auferat: ut salutaria tribuat, ac ut cælestia regna nobis conferat: in quibus non amplius hæc temporalis, sed æterna lux nobis illuceat. Ratio orationis ponitur in principio literæ: quæ est pars prima. Secunda est ibi. Nisibus totis. Tertia est ibi: Pellat, & tribuat. Quarta est ibi: Donet. ¶ Supradicti hymni sane historia, & litera expositione historica, & literali non videntur quidem egere. Unde propterea alium ei inueniamus, ac demus sensum. ¶ Ad cuius sensus intellectum notandum est primo, quod nox, secundum Beatum Gregorium, aliquando in sacra scriptura capitur pro Diabolo, aliquando pro membris illius, idest, peccatoribus: aliquando pro præsenti vita. Notandum est secundo, quod umbra aliquando in sacro eloquio sumitur pro incarnatione Domini: aliquando pro mentis refrigerio: aliquando pro frigidæ mentis torpore: aliquando pro nequitiæ torpore. Quod Dominica incarnatio, seruata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signetur, angelicus sermo testatur, qui ad Mariam ait: Virtus altissimi obumbrabit tibi. quoniam autem non aliter obumbratio exprimitur, nisi per lumen, & corpus: ideo virtus altissimi obumbrabit ei: quia in eius utero lux incorporea corpus sumpsit: ex qua, videlicet, obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit. quod vero obumbrationis nomine intelligatur & mentis torpor, & nequitiæ, dicetur in expositione literæ. Tertio notandum est, quod per auroram, vel diluculum, quæ noctem quidem præteriisse nunciant: nec tamen diei claritatem integram ostentant: sed dum illam pellunt, lucem tenebris mixtam tenent: homines Christi fideles intelliguntur, secundum Beatum Gregorium. Nam quid, inquit ille, in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora, vel diluculum sumus? quia & quædam, quæ lucis sunt, agimus, & tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus. Per Prophetã quippe Deo dicitur, Nam iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Paulus: Video, ait, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Ex quibus patet, quod aurora Ecclesia dicitur, quæ à peccatorum suorum tenebris ad lucẽ iustitiæ permutatur, de qua dicitur. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgẽs? Per noctem ergo hoc in loco peccatũ intelligere possumus, ut sancta Dei Ecclesia dicat nobis: Ecce nunc filioli quid prosit nobis in præteritis huius sacræ noctis vigiliis surrexisse, ac Deo laudes dedisse.

Huius hymni author.

Hymni divisio, & summa.

Noctis multiplex acceptio.

Umbra nomine in sacro eloquio plura intelliguntur.

Nota.

Lib. mor. 28. cap. 2.

Ecclesia dicitur aurora.

Rom. 7.

Can. 3.

Nã non ne videtis,inquit,quod vmbra noctis,idest,peccati nostri,& nequitiæ propriæ torpor, in quo dormiebamus: (vel vmbra noctis, idest, frigidæ mentis nostræ torpor, in quo antequam Deo laudes daremus, charitatis calore carentes sub peccati vmbra torpebamus:)tenuatur,minuitur,fluitque,ac soluitur. Rursum non ne videtis:quomodo etiam lucis aurora,idest,quomodo nos ipsi;qui de peccatorum tenebris ad lucem accedentes, aurora, & diluculum euadimus;quia prætereũtes noctem,quæ lucis sunt, agimus;ac velut aurora rutilans,ac splendens,coruscamus,illuminamusque alios:vt & eadem ipsi faciant.Sic enim decet Christianam religionẽ,ac Dei Ecclesiam.Et quia orando,noctis, seu peccati tollitur vmbra eiusdem, & obscuritas,& lucis aurora rutilans coruscat: ideo omnibus viribus,omniq; conatu omnes(omnes enim peccauimus,& omnes gloria Dei egemus)precemur illum: in cuius ditione cuncta sunt posita:illum,inquam,cuius voluntati non est qui possit resistere: qui est Deus,qui est per se, & omnia ab eo, per eum, & propter eum : ideo cunctipotentẽ illum nominamus:*Vt Deus nostri miseratus omnem Pellat languorem,tribuat salutẽ: Donet, & nobis pietate patris Regna polorũ.*

Rom. 3.
Hester. 5.
Deus quomodo sit cunctipotens.

¶ Causam quare cunctipotentem orare debemus hic exprimit Ecclesia Dei sancta;nẽpe,vt Deus,qui nostri iam misertus est, sicut miseretur pater filiorũ;omnem supradictum frigidæ mentis,aut etiam nequitiæ torporẽ,& languorẽ tollat à nobis: & concedat nobis salutẽ,& pacẽ in præsenti sæculo,& in futuro donet sua pietate,& misericordia,potiri regna cælorũ. ¶ Ad quorũ supradictorũ versuũ intelligentiã videndũ est,quomodo Deus sit nostri misertus. Secundo notandũ est,quæ nã ex ista Dei nostri miseratione recepimus beneficia.Ad primũ igitur dicimus,quod aliter miseretur extraneus homo,aliter amicus,aliter consanguineus,aliter pater . nã extraneus quandoq; miseretur ore,& corde tanquã proximus. sed amicus miseretur non solũ corde,& ore;sed etiã auxilio bonorũ temporalium. Consanguineus iuuat quandoq; cũ persona.Sed pater miseretur corde,& ore,& opere,& assumit negotiũ filij,vt proprium:& semper cũ proprio sanguine redimit filiũ,& liberat à malo. Ita ergo Deus non solũ corde,& opere,sed in persona assumpsit negotiũ nostrũ,vt propriũ:& descẽdit de cælo factus homo:in qua humanitate voluit pro nobis pati,& dare suũ sanguinẽ:vt nos à morte perpetua liberaret. Ergo misertus est nobis non sicut amicus, & frater,sed sicut pater. Nam frater quandoque deficit.Cõtulit vero nobis Christus per hãc miserationem etiam beneficia potiora mundanis omnibus. Nã remisit nobis culpam: sanauit languores nostros,mitigando concupiscentiam,non vt non sit,sed vt non imputetur per baptismũ: præseruauit nos à peccato per doctrinã legis euangelicæ. Dat nobis præmium,

mium, & meritum ex obseruantia legis: per sanguinem suum emit nobis regnum cæleste cum eius fælicitate. Demum sic nostri miserando adeptus est nobis immortalitatem corporis, & hoc per suam resurrectionem. Dicit ergo rogemus Deum, vt misertus nostri omnem pellat languorem, torporemque, mitigans concupiscentiam, & tribuat salutem, felicitatem scilicet, æternam nobis conferat: & consequenter ipse Deus tanquam patris pietas, misericordia, natura, & incolumitas donet nobis, vt simul cum sanctis regnemus in cælis. Amen.

Dominica ad Primam Hymnus Quintus.

Iam lucis orto sydere
Deum precemur supplices.
Vt in diurnis actibus
Nos seruet à nocentibus.
Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Absistat & vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus, cibique parcitas.
Vt cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclito
Et nunc, & in perpetuum. Amē.

HActenus sancta nostra mater Ecclesia media etiam nocte nos filios eius excitauit ad Deum laudandum, interpositis beneficijs creationis, redemptionis, criminum purgationis, nec non donis beatis. Nec destitit etiam, si qui somno grauati minus paruerint in galli cantu, iterum atque iterum illos interpellare; adducendo mala, quæ in illa hora expelluntur, nec non & bona; quæ tunc nobis proueniunt de quatuor bonorum numero. Item non destitit etiam in tempore, ac hora lucis (cum lux ipsa non vltimum sibi vendicet locum: vt tanquam, quæ statim oritura erat: iam enim vmbra noctis tenuebatur: coruscabatque rutilans aurora) eos ad diuinas laudes expostulare. Sed cum pauci, vt debebant, in auditu auris obedientiam præstare sint visi, sed somniculosi, supini, in lecto sternentes surdis auribus, & in nocte, & in aurora: ideo nunc tertio, verecundiam ferre incutiens eisdem clamat, dicens: si huc usque tardi, pigrique fuistis: saltem surgite nunc, & omnes in simul. *Iam lucis orto sydere: Deum precemur supplices: Vt in diurnis actibus Nos*

Ibi gallo canente.

seruet à nocentibus, & reliqua. ¶ In quibus verbis ipsa Dei Ecclesia agnoscens cum beato Iacobo Apostolo, perfectum hominem esse, qui in verbo non offendit: & simul sciens cum Propheta; nostros oculos sæpe vana attrahere: prospiciensque etiam cum Beato Luca, cauere nos debere (ne corda nostra crapula, aut ebrietate, aut etiam sæcularibus) grauentur cogitationibus: hortatur nos per beatum Ambrosium, qui est huius hymni author, primo ad Deum rogandum, vt nos per totum diei circulum seruet à nocentibus: secundo vt custodiat à peccatis, & à vitijs. Tertio vt det, nos diem ipsum in laude sua perficere. Secunda pars est ibi: linguam refrenans. Tertia pars est ibi: vt cum dies abscesserit. ¶ Ad quorum huius hymni primorum quatuor versuum euidentiorem elucidationem notandum primo est tempus, in quo canendus sit præsens hymnus: secundo notandum quid per sydus intelligendum sit: tertio quid per nocentes hic possimus intelligere. Tempus igitur, quo debeat iste hymnus in ritu Ecclesiastico cātari, qui in officio primæ particulariter est addictus, est circa ipsius soli ortum: quando circa eleuationem super nos solet quotidie celebrari dictæ horæ primæ officium: quod officium diurnum appellamus. At per sydus lucis ortum per insignem quandam eius excellentiam solem hic accipimus, quo cæteris syderibus sic lucidior, & totum hunc mundum sua lampade illustret. Sed per nocentes hoc loco inimicos nostros ego intelligerem, Diabolum, nempe, mundum, & carnem: qui modos nocendi nobis infinitos habent. Nam Diabolus fidei destitutor, ac læsor, & hominis deceptor, vt aspis, vt basiliscus, vt leo, & vt draco nobiscum esse semper dat operam: nam vt aspis reddit nos surdos, & cæcos per peccatum. nam ponit caudam in auribus nostris, ne audiamus exhortationes, & doctrinam euangelicam: vt basiliscus suo nox veneno inficit in peccato, & incitat ad luxuriam: vt leo nos incitat ad iram, & superbiam: vt draco incitat nos ad auaritiam, & ambitionem, quæ omnia non solum nocent, sed nos imo deuorant. Item mundus nocens est hostis: quia facit nos superbos, inuidos, iracundosque, ac auaros. Porro caro etiam nobis nocens est, quia tria nobis suggerit vitia voluptuosa, scilicet, luxuriam, gulā, & accidiā: & accidia inducit gulā, & gula luxuriā. Vel nocentes accipere etiā possumus (à quibus seruari à Deo cupimus) quatuor illas cōditiones inimicorū, quos præuidit Daniel per figuram quatuor bestiarū contra Ecclesiā Christi ad destruendam eā. Prima bestia fuit læena, secunda vrsus, tertia pardus, quarta terribilis sine nomine, quæ omnes alias deuorauit. Per leænā intelligitur persecutio Tyrānorū: per vrsum persecutio hæreticorū; per pardum persecutio Saracinorum: per

Iacob. 3. *Matth. 15* *Psal. 118.* *Luc. 21.* *Hymni huius author.* *Hymni diuisio, & summa.* *Hymnus iste quo tēpore cantandus.* *Sydus lucis dicitur sol.* *Diabolus mundus, & caro nocentes possunt, appellari.* *Daniel. 7.*

rum: per quartam terribilem, quæ expectatur, designatur Antichristus: qui omnes supradictas bestias deuorabit, & ad se eas trahet, & sequentur eum. Dicit ergo: Iam lucis orto sydere, & sole, Deum precemur supplices, iacentesque, ac terræ prostrati, vt in diurnis operibus, negotijsque, ac actibus nos Deus seruet, & protegat à nocentibus, scilicet, Diabolo, mundo, & carne, eosdem cohibens, & impetum eorum retinens, ne nos lædere, inficere, ac corrumpere valeant: vnus cauda sua, veneno suo, & ambitione: alter superbia, inuidia, iracundia, & auaritia: tertius luxuria, gula, & accidia. Vel à nocentibus, scilicet, à persecutionibus Tyrannorum, à persecutionibus Hæreticorum, quæ duę hodie inualuerunt: à persecutione Saracinorum, ac Antichristi, quæ futura est. *Linguam refrenans temperet: Ne litis horror insonet. Visum fouendo contegat: Ne vanitates hauriat.* ¶ Hoc loco, ac in sequentibus huius hymni versibus sancta Dei Ecclesia intendit totum corpus nostrum, & totum hominem interiorem, scilicet, animam, & exteriorem constringere ita, ac cohibere, ne in aliquo delinquat, aut peccet, dum in diurnis actibus præoccupatur. ¶ Ad quorum abundantiorem intelligentiam videndum est primo, quot, & quanta scandala, seu mala, ex ore, & à lingua nostra proueniant. Secundo videndum est, quotuplex sit oculus noster, seu visus. Tertio videndum est, quæ ex aspectu, visuque oculorum nascantur peccata. Quarto notandum est, vnde vanitas nascatur, quomodo per visum hauriatur, & quid illa mali operetur. Quoad primum patet ex dictis Christi, quod illud, quod intrat in os non coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem; nam omne, quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur; quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, detractiones, adulationes, inimicitię, discordię, rixæque, ac huiusmodi; quæ omnia per linguam, veluti instrumentum cor loquitur, ac operatur: & ex quibus postea omnibus litis horror insonat, idest, horrenda res aliqua litis oritur, ac causatur: quæ aut immunda est, aut fœda, aut corrupta, aut quæ allatura est dolorem, aut mortem. Res enim aliqua dupliciter potest horror esse, seu horrenda. Vno modo quia est immunda, aut fœda, seu corrupta: alio modo quia est oblatura dolorem, & mortem: nam & res supradictæ, si à nobis committantur, & ad immunditiam profecto nobis erunt, & fœditatem, & ad corrruptionem, imo & ad dolorem, sæpe & mortem. Hoc est ergo quod dicit hic Ecclesia, vt ideo Deum precemur: vt linguam nostram refrenans, & compescens ordi-

Matth. 15

Aliqua res dupliciter est horrenda.

net ipse eam ratione locuturam: ne per eam horror aliquis, idest, horreda res aliqua nobis contingat: quæ litis, immunditiæ, fæditatis, aut corruptionis etiam, aut doloris, aut mortis causa sit. Ad secundum præsuppositum dicimus, quod homo accepit à Deo triplicem oculum, seu visum: primum carnis, quo videret mundum, secundum rationis, quo videret animum, tertium contemplationis, quo videret Deum. Et sic oculo carnis videt homo, quæ extra se sunt: oculo rationis, quæ intra se sunt: oculo contemplationis, quæ sunt supra se. Ad tertium dicimus, quod visu, & oculorum vsu multa nascũtur in die mala, maxime ex aspectu mulierum, ac rerũ aliarum repræsentatione, necnon ab illapsa aliqua diabolica, aut humana cogitatione. certe si non aspexisset Bersabeæ Vriæ vxorem Dauid, se lauantem in salario domus Regiæ; vtique non contigisset ei peccasse. Neque Dina rapta fuisset, si non fuisset delectata aspectu mulierum, quæ erant in terra Sichem, quas exire voluit, vt videret. Si Holophernes etiam auertisset oculos eius, ne videret Iudit, non peccasset. Eua similiter, quæ Diaboli suasu vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; eius fuit ruina, & nostræ expulsionis causa à paradiso. Dicit ideo Ecclesia ad Deum, vt visum nostrum (non tantum linguam) contegat, cooperiatque omnino sic tunc: cum defluere videtur ad vana, & transitoria, ac ad iniqua: vt tamen per huiusmodi cooperitionem, ac contectionem nullatenus illum destruat, vt deficiat: sed magis, ac magis illum foueat nutriendo, protegatque custodiendo spiritualibus indumentis, casta, scilicet, visione, & pura, ac simplici; decoraque mortificatione: ne vanitates hauriat, hoc est, ne capiatur amore rerum vanissimarum. Vanitate nanque, ac vanis capitur visus noster, secundum Beatum Gregorium, quoties transitoria cogitat. Vnde euanescere dicitur, quod repente ab intuentium oculis aufertur. hinc psalmista: Vniuersa vanitas omnis homo viuens: quoniam per hoc viuendo ad interitum intendit: recte quidem vanitas dicitur. Post vero quam hausit sic vanitatem, protinus subsequitur iniquitas: nam ex vanitate, idest, ex transitorijs ducitur ad iniquitatem; cum in aliquibus noxie ligatur: puta cum mens incommutabilitatis statum non tenet, à semetipsa defluens ad vitia prorumpit. Ideo merito orat Deum, ne vanitates visus hauriat: quia à vanitate ad iniquitatem postea labitur, qui assuetus sic rebus mutabilibus ex alijs ad alia semper impellitur, à suborientibusque peccatis, & culpis ipse inquinatur: quia vanitas mentem obnubilat: iniquitas vero cæcat. *Sint pura cordis intima, Absistat, & vecordia,*

¶ Petiuimus hucusque linguæ nostræ custodiam, nec non & oculorum

Oculus hominis triplex.

2. Reg. 11.

Genes. 34.

Iudith. 10. & 11.

Genes. 3.

Grego. lib. 10. mor. c. 13 & 14.

lorum nostrorum castum & purum vsum. Nunc puritatem cordis, ac animæ sinceritatem per gratiam Dei in nobis esse precamur: vt per huiusmodi cordis nostri puritatem longe fiat omnis eiusdem cordis nostri vecordia. ¶ Ad cuius rei euidentiorem notitiam notandum est, quod cordis nostri intima sunt omnes, meo quidem iudicio, voluntatis nostræ, aut liberi arbitrij nostri actus: puta cogitatio, intentio, delectatio, electio, consensus, deuotio, timor, amor, suspicio, exultatio, lætitia, sensus, gaudium, spes, dolor, & cætera huiusmodi: quæ omnia esse pura, ac munda hic à Deo petimus: & propterea subiungimus: vt vecordia absistat: quoniam vecordia est à sapienti, mundoque corde, a bona voluntate; desipientia, seu insania, inclinans mentem nostram in malam cogitationem, in libidinem, in concupiscentiam, ac in prauam delectationem. & ideo absistere eam petimus: quoniam cordis intima impura reddit, propter quæ impura mortem incurrimus sæpe. nam cogitatio praua, secundum Beatum Bernardum, parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem, & sicut vipera à suis filijs in vtero positis lacerata perimitur; sic cogitationes malæ in corde nostro nutritæ occidunt nos. Et sic dicas de alijs supradictis: quia concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consumatum fuerit generat mortem. Ne ergo nobis mori contingat sic per praua cordis nostri intima; ideo omnis vecordia, stoliditas, insaniaque, aut desipientia non sit in nobis. Animalis enim homo, inquit Paulus, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Vecors enim talis est, & quasi sine corde, sua deserens, & aliena quærens: quia mundana curat, & spernit cælestia; quia insipiens est, & sine corde. Vecors est etiam ille, secundum Beatum Gregorium, qui bona sua quasi in pilo cordis, occulta discussione, non tundit: & si veraciter bona sint, subtiliter non retractat: & qui ea recogitando non conterit vsque ad subtilitatem occultissimi examinis, vt non sit grossum, aut durum eius bonum in conspectu Dei. Dicit ergo mater Ecclesia: Deum precemur, vt pura cordis intima sint, scilicet, cogitatio sancta, intentio bona, electio optima, consensus simplex, & purus. Et omnis cordis nostri, aut voluntatis nostræ desipientia, aut vecordia absistat, idest, se excitet, euigilatque in bonam cogitationem, & castam delectationem, & in sapientiam, & prudentiam; vt non de fatuis simus virginibus: sed de prudentibus fiamus. ***Carnis terat superbiam***

Cordis intima quæ sunt.

Vecordia quid.

Ber. de interiori homine cap. 39.

Iacob. 1.

Vecors qd est.

Greg. lib. 1. mor. c. 39.

Potus,

Potus, cibique parcitas, Vt cum dies abscesserit, Noctemque fors reduxerit: Mundi per abstinentiam Ipsi canamus gloriam. ¶ Ad cordis nostri emundationem supra petitum fuit à nobis vecordiam, insipientiamque omnem absistere, longeque à nobis abesse: nunc per parcitatem cibi, vt potus, carnem nostram, seu corpus purgari, mundarique rogamus. Vt cum dies abscesserit, & nox venerit, possimus eadem nocte mundi per abstinẽtiam, ac per carnis castigationem canere Domino solitas laudes, & gloriam nomini eius. ¶ Ad cuius rei faciliorem intellectum videndum est, quot modis carnis vocabulum in scripturis ponitur; & secundum quam significationem ex his modis carnẽ hic debemus accipere. Videndũ est secũdo loco quid per superbiã carnis hic intelligitur. Tertio videndũ est, quæ & qualis esse debeat potus, cibiq; parcitas pro carne, & eius superbia reprimenda, ac frenanda. Quarto loco videndũ est, quid per sortẽ hic intelligere debemus. Quinto loco videndum est, qui possit esse sensus mysticus supradictorum vltimorum quatuor versuum.

Caro multifarie sumitur in sacroeloquio. Ad primum dicimus, quod quamuis caro sæpius ponatur pro homine integro, idest, qui ex corpore constat, & anima, vt ibi: Et verbum caro factum est; & videbit omnis caro salutare Dei nostri; & non nunquam etiam pro homine peccatore, atque carnali, vt ibi: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sint caro: & nonnunquã pro peccatis ipsis, vt ibi: Vos aũt non estis in carne sed in spiritu. Et ceterum. Caro, & sanguis Regnum Dei non possidebunt. & non nunquam pro agnatione, & propinquitate, vt ibi: Caro mea, & ossa mea vos. hoc tamen loco per carnem intellige nostræ naturę substantiam, atque nostri corporis compaginem: de qua supra dictum est: Ne fæda sit, vel lubrica compago nostri corporis. in qua significatione suscipitur & illud Genes. 2. cum dicitur. Hoc nunc os ex ossibus, & caro de carne mea. Ad secundum dicimus per superbiã carnis posse intelligi omnes carnis motus, impetusue, aut carnis dominium, imperium ve, aut carnis tyrannum. Ad tertiam per potus, cibique parcitatem dicimus posse intelligi hunc infrascriptum abstinentiæ modum, vt scilicet, secundum capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi vnusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit. Vt sic quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries in vno, eodemque statu animam pariter, corpusque conseruans: nec ieiunij nimia fatigatione concidere; nec grauari mentem, aut corpus saturitate permittens: Hæc enim erit temperata, ac mensurata potus, cibique parcitas. Quoad quartum, patet sortẽ hoc loco temporis vicissitudi-

Ioan. 1. Luc. 3. Genes. 6. Rom. 8. 1. Cor. 15. Genes. 2. Superbia carnis. Modus tenendi carnis superbiam. Nota.

ſitudinem notificare, ac ſucceſsionem: per cuius quidem temporis certam ſeriem, ac alternationem ipſi diei ſuccedit hora nocturna. Non enim ſors hic pro fortuito rei euẽtu aut pro parte, quæ ſortiendo cuiquam euenit, ſumitur. Dicit ergo Eccleſia: Terat, refrenet, ac comprimat carnis ſuperbiam, ſeu carnis impetum, dominium ve, aut carnis tyrannum, potus, cibique parcitas, ideſt, hon tantum cibum, nec tantum potum carni noſtræ, aut ſubſtantiæ corporis noſtri indulgeamus, ac concedamus, quantum ſaturitatis deſiderium exigit. Vt cum dies iſte hodiernus, & præſens, diſceſſerit, receſſerit, ac finierit, ac ſors, ideſt, ipſa temporis ſucceſsio, vicisſitudo, aut mutatio, noctem ſequentem attulerit, ac noteſcere cœperit, nos purgati, ac mundi per carnis continentiam, ac abſtinentiam, canamus, & in hac etiam ſequenti nocte Domino gloriam. Ceterum ſpiritualis ſenſus horum quatuor verſuum eſſe poteſt hic, nempe, vt cum dies iſte abſceſſerit, hoc eſt, vt cum hoc tempus præſens; quod dicitur tempus gratiæ, & dies, ſecundum quod dictum eſt ſupra, abſceſſerit, ac finis ſæculorum erit: & ſors, ideſt & iſta temporis, ac ſæculorum mutatio, & renouatio, noctem reduxerit, ideſt, mortem omnium hominum cauſauerit, & induxerit; mundi per abſtinentiam, adhibitam in præſenti vita in macerationem, & afflictionem carnis, ac corporis noſtri; gloriam canamus Domino etiam in altero mundi ſæculo. Amen.

Sors quid hic notet.

Cõstructura litera.

Dies pro tẽpore gratiæ

Nox pro morte ponitur.

Ad Tertiam Horam hymnus Sextus.

Nunc ſancte nobis ſpiritus,
Vnum patri cum filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor
Confeſſionem perſonent

Flammeſcat igne charitas:
Acendat ardor proximos.
Præſta pater piiſſime
Patrique compar vnice,
Cum ſpiritu paraclito
Regnans per omne ſæculũ. Amẽ.

Sancta Dei Eccleſia acceptorum à Deo beneficiorum, quibus ſe affecta eſſe cognoſcens, nunquam oblita, imo delectum eorum ipſa quotidie habens quantum ſibi vtilitatis, & gratiæ fuerit ſpiritus ſancti miſſio, à quo totam repletam ſe agnouit ſua gratia hora tertia olim; nunc nobis hoc præſenti hymno per Beatum Ambroſium, prææuditi hymni conditorem, & authorem, rememorat id ipſum tantum beneficium, vt illius ſemper hac hora tertia memores,

Hymni huius Author

memores, eiusdem spiritus sancti faciamus inuocationem: deinde hortatur nos, vt corpore, & animo diuinas ei personemus laudes. Tertio suadet nos feruentem charitatis affectum habere in proximos. secunda pars est ibi: Os, lingua &c. Tertia pars est ibi: Flammescat igne charitas. ¶ Ad cuius clariorem elucidationem prænotandum est, quorum sit proprium inuocare cum fructu spiritum sanctum. Secundo notandum est, quibusnam præparationibus nos accedere oporteat, vt digne spiritum sanctum inuocare, & accipere mereamur. Tertio aduertendum est, quot modis vnum sumitur, & cur vnum dicimus, & non vnus dicitur. Quarto notandum est, duplicem posse esse horum quatuor versuum intellectum, seu sensum. Quinto notandum est, quandam oriri posse difficultatem ex prædictis eisdem versibus: cui breuiter satisfaciemus. Ad primum notandum dicimus, non omnium esse profecto cum fructu sanctum inuocare spiritum, sed illorum præcipue esse, qui ad hanc vsque horam tertiam diei non otiose peruenerint; sed in nocte, & in galli cantu, & in mane sese præparauerint ad hanc recipiendam gratiam. Hinc est, quod quotidie hanc orationem, hunc & diuinum hymnum recitamus: & nihilominus parum gaudemus fructibus eiusdem spiritus, descriptis à Beato Paulo. Parati ergo accedamus, vt dignetur in nobis illabi, ac ingeri, & refundi: hoc est, purgati à peccatis per veram compunctionem, & humilem confessionem. Non enim spiritus sanctus vult habitare in corde immundo. Vnde legitur Genes. 8. de columba, vt figura spiritus sancti, quæ cum non inueniret, vbi requiesceret pes eius, reuersa est in arcam. Aquæ enim erant super vniuersam terram. sicut ergo columba, intellecta per spiritum sanctum, non immersit se in aquis diluuij: ita nec spiritus sanctus intrat, nec illabitur, vbi est diluuium peccatorum: & propterea dicebat Beatus Gregorius, quod si domum nostram quisquam diues, aut præpotens intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis. Secunda præparatio est: vt sicut aliquis libenter declinat in hospitiū; in quo scit desiderari aduentum suum, præcipue cum dominus hospitij multum rogat eum: ita spiritus sanctus venit ad eos, qui perseuerant rogantes eum in oratione, & desiderant aduentum suum. Tunc enim venit spiritus sanctus in discipulos, quando erant perseuerātes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Domini Nostri Iesu Christi, & fratribus eius. Tertia est humilitas. Isai. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem? Quarta est vnitas. Vnde discipuli erant pariter congregati in eodem loco, quando spiritum

Hymni diuisio & sũma. *Gal. 5.* *Columba quid.* *Gregorius in Homil. Pent.* *Act. 1.* *Isai. 66.*

ritum sanctum acceperunt, sicut corporaliter, ita & spirituariter habentes cor vnum, & animam vnam. Quinta est auditus verbi diuini. Nam adhuc loquente Petro cecidit spiritus super eos, qui audierunt verbum Dei. Et psal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Ad tertium suppositum dicitur, quod vnum sumitur pro vt est principium numeri: & sic Deo non conuenit. Sumitur alio modo prout conuertitur cum ente: & sic Deo conuenit potius, quàm alicui creaturæ, cùm vnum sit indiuisum in se, & diuisum ab alijs: excepto solo Deo, nihil est, in quo non intelligatur aliqua diuisio, vel actualis, vel potentialis. Cum enim vnitas, vel numerus aliquis de eo dicitur, nihil ponit, vt quidam dicunt, sed tantum priuat. Quare cùm dicitur, Deus vnus est, intelligitur, quod non sint plures. Et sic dicitur spiritus sanctus hic esse vnum patri cum filio, à quibus ineffabiliter procedit. Cùm enim vnica sit, & indiuidua substantia tribus superdiuinis personis communis, ac eadem: haud dubie spiritus sanctus, & patri, & filio consubstantialis est: & vtique vnitate substantiæ coniungitur. Quod apte, & accômodate per neutrum genus vnum hic insinuatur: quod ipsum substantiæ est significatiuum, quemadmodum filius Dei (vt se ipsum vnius, & eiusdē substantiæ cum Deo patre innueret) dixit: Ego & pater vnum sumus. Habes hic ergo, quod diuina substantia hic dicitur per neutrum genus, per masculinum verò persona: sed per fœmininum notio. Et per hoc patet, quod non debet cantari in hoc hymno ab Ecclesia: vnus patri cum filio: quia pater, & filius non sunt vnus in persona: sed vnum in substantia. Vnde benedicimus, dicentes: vnum patri cum filio. Ad hæc adde, quod spiritus non solum dicitur spiritus: sed additur; sanctus, quia sanctus idest est, quod mundus, vel firmus, vel sine terra. non enim quicquam terrenæ contagionis habet. Et dicitur spiritus à spirando actiue, eo quod spiret. Spiritus enim vbi vult spirat. Et secundum hunc modum hoc nomen spiritus, commune est omnibus tribus personis: sed spiritui sancto conuenit per appropriationem. Alio modo dicitur spiritus à spirando passiue, eo quod spiretur. Et hoc proprium est spiritui sancto, qui procedit per modum spirationis. Pro quarta conclusione dicendum est, bifariam quatuor hos primos versus posse intelligi. Vno modo vt sic dicamus. O sancte spiritus, qui veritatem cognoscere doces; cùm enim venerit spiritus veritatis, ille (ait Ioannes) docebit vos omnem veritatem. O sancte spiritus, qui vtiliter orare doces; ait enim Paulus: Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, idest, postulare facit, vel docet nos, quomodo debemus postulare. O sancte spiritus, qui doces nos carnales despicere voluptates:

Act. 2. *Psal. 118.* *Vnū quot modis sumitur.* *Cur dicitur Spiritus sāctus.* *Spiritus vnde dicitur.* *Duplex versuum hymni intellectus esse potest.* *Ioan. 16.* *Rom. 8.*

ptates:

Greg. ptates:gustato enim spiritu,inquit Gregorius, desipit omnis caro.
Act. 2. O sancte,qui consolator optimus,es,qui corda discipulorum mœsta gaudio,ac consolatione replesti. O sancte spiritus, qui es vnum in substantia patri cum filio,nunc,scilicet,hac hora tertia,in qua orantibus Apostolis Deum venisse,& spiritum sanctum esse mundus nunciauit:promptus,quia semper es paratus ad perquirendum, & consolandum; quique vehemens es ad replendum tua gratia corda fidelium,dignare ingeri,ac illabi nobis etiam,sicut olim te Apostolis infudisti;& pectori nostro,hoc est,animæ nostræ refusus,& infusus, dignare semper permanere,quantus es: dignare, inquã,cor nostrũ, nunc inuisere,& inhabitare,o sancte spiritus. ¶ Vel sic dicamus. O sancte spiritus,qui vnum es in substantia patri cum filio,promptus dignare nobis,idest,à nobis,ingeri,idest,intus portari in anima:& dignare esse nostro pectori refusus,& infusus semper in eo permanere. Nam à multis exterioris speciẽ spiritus sanctus geritur;vel quia habent spiritum sanctum ministrantem sed non sanctificantem illos:vt sunt mali sacerdotes Ecclesiæ,qui faciunt opera,vt videatur. A talibus spiritus sanctus geritur,sed non ingeritur: idest,non intus geritur. Ob hoc rogamus à nobis ingeri,vt non simus mali sacerdotes, nec hypocritæ. ¶ Sed quid est hoc,dicet aliquis;quod hic postulamus spiritum sanctum nobis ingeri,ac nostro pectori infundi:cũ in susceptione baptismatis illum,ac gratiam illius accepimus? Dico,quod verum est,nos assecutos esse gratiam spiritus sancti in collatione baptismi,nobis facta. Verum quoniam multoties contingit nobis propter peccata Deũ offendere;idcirco statim, peccato perpetrato,gratiam illius amittimus. Hinc est;quod canones pænitentiales pro quolibet peccato mortali præcipiunt pænitentiam septẽ annorum iniungi. Et ratio est: quoniam per peccatum mortale, septiformem gratiam spiritus sancti amittimus; ideo etiam per septem annos requirimus eam, dicto cap. hoc ipsum. Vnde ex supradictis apparet, sacrosanctum Concilium Tridentinum rite, & recte dixisse, & statuisse, quod si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere,quantumcunque peccet,nisi nolit credere, anathema sit. Sed iam dicamus, quod, sicut Apostoli,postquam repleti sunt spiritu sancto, cœperunt loqui, & confiteri varijs linguis sanctissimam Trinitatem: ita nos, accepto in pectore nostro spiritu sancto, confessionem eiusdem sanctissimæ Trinitatis confiteri,& personare omnino debemus: quia sicut diligere Deum tenemur, ita & laudare eum debemus. Diligere illum ex lege præcipimur ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima, & ex omni virtute.ergo, *Os, lingua, mens, sensus, rigor Confessionem perso-*

Marginalia: *Primus intellectus.* — *Alter intellectus.* — *Difficultas oritur.* — *Solutio* — *30. q. 2. c. hoc. 22. q. 1. prædicãdum. dist. 82. c. presbiter. sess. 7. can. 6.* — *Act. 2.* — *Matth. 6.*

personent; *Flammescat igne charitas*: *Accendat ardor proximos*.
¶ Postulauimus supra in quatuor primis versibus,spiritum sanctum dignari in nos illabi, ac influi, pectorique nostro illum refundi, refusumque in eo perpetuo morari: Nunc vero in præsentibus istis quatuor iubemur primo in primis duobus versibus (quoniam illum cognoscimus nobis sese esse datum: postulauimus enim illum in fide,nihil hæsitantes) professionem facere,seu confessionem gratiæ acceptæ spiritus sancti personare. Tenemur enim talem gratiam nobis factam de se ipso, tale donum sui ipsius nobis donatum, & tale beneficium,nobis impensum manifestare, & pro isto magno facto dono,quod fecit nobis de se ipso spiritus sanctus,laudare, commendare, ac glorificare. Vnde ideo dicimus, *Os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionem* talis doni gratiæ spiritus sancti personent, celebrent, ac confitentur. In alijs vero secundis duobus iubemur,gratiam spiritus sancti acceptā in proximos administrare;vt sicut spiritus sanctus promptus nobis fuit beneficus, ac de se erga nos liberalis dando se ipsum nobis, & infundendo se cordi nostro, perseuerans, ac operans, nec non & docens nos omnem veritatem, disciplinam, & scientiam: ita & nos beneuoli esse iubemur aduersus proximos: eandem spiritus sancti,quam nos accepimus,beneficentiam,gratiam,& amorem impartiri; vt sic mutuam in nobismetipsis charitatem continuam habentes,& gratiam,quam accepimus, in alterutrum illam administrantes,vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei,inueniamur. Vnde merito subdimus,dicentes: *Flammescat igne charitas, Accendat ardor proximos*. Ad quorum euidentiorem elucidationem notandum est primo,quotuplex sit confessio. Secundo videdum est, quid per ignem intelligendum sit hoc loco. Tertio aduertendum est, quinam veniant proximi appellatione. Confessio autem triplex esse reperitur in sacra scriptura: scilicet, confessio fidei, confessio laudis, siue beneficiorum: & confessio peccatorum. Prima confessio, scilicet, fidei, continet in se totam legem Dei, & obseruationem legis: & per consequens sacramentum Eucharistiæ, & oblationem. Et confessio laudis præsupponit confessionem fidei: quia in tantum laudamus Deum, memorando eius beneficia, in quantum ipsum credimus esse omnipotentem, & creatorem, & redemptorē, & glorificatorem: vt in lege memoratur. Item confessio peccatorum præsupponit etiam confessionem fidei. Nam in tantum corde contrito,& humiliato confitemur peccata nostra,in quantum per merita passionis Christi,& virtute sacramenti pænitentiæ veniam credimus consequi ex Dei misericordia, sicut in lege promittitur nobis. Itaque percontanti de qua confessione fidei ne,an laudis,& benefi- ciorum,

Iacob. 1.

1. Pet. 4.

Triplex confessio.

ciorum, vel peccatorum sit hic intelligendum; videtur posse respon deri potius de confessione laudis, & beneficiorum, quam de confessione fidei, vel peccatorum. Ad secundum dicimus, quod per ignem hic spiritum sanctum intelligimus: per quem charitas in Deum, & proximum nostrum flammescit, & ardet. Vltimo proximos hic non tantum illos vocamus; quos nobis sanguinis gradus coniugit: sed etiam & omnes homines naturæ nostræ participes, vt aduertit Abbas, ac Cathechismus etiam, dum nonum Dei explicat præceptum. Est autem proximus, vt ex Christi Domini doctrina colligitur: quicunque eget opera nostra, siue ille sit propinquus, siue alienus, siue ciuis, siue aduena, siue amicus, siue inimicus. Dicit ergo sancta Ecclesia. Os, lingua, idest, cor, & corpus; sensus, idest, anima; mens, idest, intellectus, ac ratio; vigor, idest, virtus, hoc est omnia, quæ intra nos sunt, confessionem personent, idest, confiteantur, non tantum patrê, & filium, & spiritum sanctum esse vnum Deum: sed etiam profiteantur publice gratiam spiritus sancti sibi fuisse collatam, ac se dona Dei accepisse, & igne, idest & ex illo spiritu sancto, & gratia eius, quæ se ingessit nobis: flammescat charitas, idest, fiat, oriatur, ac resuscitetur per nos altera gratia Dei, quæ tãquam diuinus ardor accêdat proximos, idest, quæ per nos immittatur, & conferatur in proximos per regenerationem ex aqua, & spiritu sancto, & per virtutê, & confirmationem spiritus sancti, ac per ordinationem ministrorum Dei, ac per manuum impositionem. Amen.

Ignis spiritum sanctum signat.

Abb. in c. Nouit. de iudic. Cathech.

Proximus quis.

Ad Sextam Horam Hymnus Septimus.

Rector potens verax Deus:
Qui temperas rerum vices:
Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium:
Aufer calorem noxium:
Confer salutem corporum.
Veramque pacem cordium.
Præsta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclito
Regnans per omne sæculû. Amê.

Sancta nostra mater Ecclesia, quæ magna, ac mirabilia Dei omnipotentis semper cõtemplatur: & quæ suo diuino semper eget auxilio: quo magis illum ad curandum nostras infirmitates disponat, vocem magnæ captandæ beneuolentiæ in Deum edidit, dicens. *Rector potens verax Deus: Qui temperas rerum vices. Splendore mane instruis; & ignibus meridiem, &c.* ¶ In quibus omnibus illa per Beatum Ambrosium, huius hymni, ac cantici, authorem, laudat primo omnipo-

omnipotentiam suam, Deinde exaltat illum à prouida ordinatione temporum. Orat tertio loco eum, vt ardores nostros à nobis tollat. Poscit quarto corporis, & animæ salutem. Secunda pars est ibi. Qui temperas rerum vices. Tertia ibi. Extingue flammas litium. Quarta est ibi. Confer salutem corporum. ¶ Ad cuius rei veriorem cognitionem, & intelligentiam primo præmittemus aliqua in genere pro consideratione huius præsentis hymni. Secundo considerabimus singula verba primorum horum quatuor versuum. Tertio circa sensum mysticum instabimus. Considera ergo primo circa hunc hymnum, & vide quæso, quam ordinate, & secundum exigentiam, opportunitatemque temporum, ac necessitatem nostram sancta Ecclesia sua ordinauit ad Deum preces. Hymnus iste recitarur hora sexta diei, quæ est negotij, & laboris apud strenuos, inqenuosque viros: & si non me latet, apud multos parum diligentes hora potius prandij esse solet: Recordor Domini mei Iesu Christi, qui hora sexta fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Præsupponit ergo sancta Ecclesia ingenuitatem, & strenuitatem in filijs suis: & illis compatiens orat, vt in laboribus, qui humorem colericum; nempe, bilem flauam solent excitare; pæcipue tali hora sexta ex ieiuno etiam stomacho, hunc primum sedari, tranquillumque reddi. At quoniam à duobus huiusmodi humor causis excitatur, nempe, à natura ex hora, à labore ex negotio: propterea inuocat Rectorem potentem non solum humani corporis, verum & totius naturæ. Deinde quia dominus præcepit laborem post Adæ peccatum, dicens: In labore vultus tui, vesceris. & cum hac hora aperte Dei cognouerit sententiam condemnationis, ob hoc & Deũ veracem nominat. Porro nemo profecto recitans hunc hymnum cum attentione poterit terrenis rebus multum delectari, aut illis adhærere: quando nihil sub sole firmum sit; omnia enim fluunt non secus ac aquæ fluminis velocissimi dilabuntur. Et si Deus rerum vices, idest, rerum tempora, ac rerum alternationes, non temperaret: omnia breui ruerent: & in antiquum poeticum chaos redigerentur. Sed certe sua omnipotentia ita extrema mediantibus medijs copulat: vt nihil absurdum in tanta rerum permutatione, ac vicissitudine appareat: Quandoquidem; vt dictum est, ipse rerum omnium vicissitudines temperat, ordinat, ac bene iugiter disponit. Vnde considera qualiter ex horrida hyeme ad pulchram deueniamus æstatem: ex tribulatione ad consolationem: ex paupertate ad diuitias. e contra aliquando à Regno ad carcerem: ille vero à carcere ad Regnum. Vltimo considera, quam bene Ecclesia sancta, & quam pulchra occasione, quærit tibi, ac suis filijs à

Hymni diuisio, & summa.

Ioan. 4.

Cur cãtet hunc hymnum Ecclesia hora sexta.

Genes. 3.

Nihil firmum sub sole.

Deo corporis, & animæ salutem. nam ipsa dicit (sumens occasionem suæ petitionis ab aeris qualitate, ac temporis diuersitate:). Tu es Deus temperans vices rerum. Tu es, qui ipsum mane splendore solis instruis. Tu es, qui meridiem ignibus, seu caloribus, aut ardoribus instituis. Et summatim tu es, qui omnia potes: subest enim tibi omne posse. Cum ergo tu Deus sis talis, & tantus: petimus ideo à te, Domine, temperari in nobis choleram, quæ est iræ sedes, & auferri omnem à nobis calorem noxium. Nunc singula huius hymni vocabula declarantes percurramus. Quod ergo Deus verax sit rector potens, patet: quia Deus dicitur, & Dominus à dominando: quod idem est, quod totam domum disponere, regere, & gubernare ad suam voluntatem, & arbitrium, & propter se ipsum mouere: & ideo procurator, aut filius non dicitur dominus domus: licet totam domum disponat, & regat, & gubernet: quia hoc non facit propter se, nec ad nutum suum, sed ad nutum, & præceptum, & ad voluntatem Domini domus, & patrisfamilias. Quia ergo solus Deus per se gubernat, & regit vniuersum: à quo dependet cælum, & tota natura in essendo, & gubernando: & propter quem tanquam propter amatum, & desideratum, omnes intelligentiæ mouent orbes, & regunt omnia ista inferiora. Vnde Seneca, principibus mundi, ac Regibus loquens: qui improprie Princeps, & Reges mundi dicuntur Domini: quia à se non habent potestatem, sed à Deo, nec propter se regunt, sed propter Deum: qui est Dominus vniuersalis omnium, cui sunt omnes reddituri rationem, dicit: Vos, quibus Rector maris, atque terræ ius dedit magnum necis, atque vitæ: ponite inflatos, tumidosque vultus. Et sic patet qualiter solus Deus est solus Dominus vniuersi gubernator, & Rector: quia quæ in cælo, quæ in terra, & quæ in mari sunt sua prouidentia ab initio cuncta regit, & gubernat: qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. ¶ Potens vero est, quia ipse dicit de se: Ego Dominus omnipotens: & numquid manus Domini inualida est? Dicitur item Deus verax, eo quod impleuit promissa, & vaticinia prophetarum per aduentum, & passionem, & resurrectionem Christi. & quis dicitur verax: quando implet, quod promisit. Sic & à Pharisæis appellatum esse legimus, dicentes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; & non respicis personam hominis. ¶ At meus est æterna illa mens, vel substantia spiritualis: qua nihil potest esse maius, nec sapientius, nec melius, sine initio, sine fine, sine vlla admixtione: Inuisibilis, incorporea, immensa, ineffabilis: quæ est ipsum esse, & à

Sapien. 12

Deus, & Dominus vnde dicatur. Deus quomodo est Rector, & potens.

Seneca.

Sap. 12. 8. & 14.

Deus quomodo est verax.

Matth. 22

Deus quid est.

qua venit

qua venit rebus conditis, vt fint. Amplius mane hic accipitur pro prima parte diei. Eſt enim mane lux matura, & plena, nec iam crepuſculum. Meridies vero dicitur quaſi medidies, ideſt, medius dies, vel quia tunc purior dies eſt. ¶ Dicimus ergo: O Rector potens, qui perpetua mundum ratione gubernas, regis, ac dominaris: & verax Deus, ſcilicet, qui nunquam mentiris, ſed tui veritas es, & verax in verbis, & promiſſis: quæ nunquam fallunt, Qui temperas rerum vices, ideſt, diſponis viciſſitudines, mutationeſque rerum omnium, ac temporum: es enim terrarum, cælique ſator: qui tempus ab æuo ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri. Quique ipſum mane, ideſt, primam diei partem, ac principium ipſius Diei, inſtruis, inſtituis, & ſplendore, ſeu lumine ſolis componis: Qui & meridiem etiam, hoc eſt, lumen illud intenſiſſimum cum calore exceſſiuo, quod eſt inter tropicos, ſeu ſecundum diei partem, ignibus, ideſt, ardoribus, ac caloribus inſtruis, ac perficis: extingue, &c. ¶ Vel ſic dicamus: O Rex, & Rector, qui Regis Iſrael, ſeu populum Chriſtianum, qui temporum ſucceſſiones pro libito tuæ voluntatis moderaris: a nocte enim ad mane, hoc eſt, à tempore legis veteris ad tempus legis gratiæ nos ſuccedere facis: nox enim præceſsit, dies autem appropinquauit: & mane, ideſt, hanc præſentem vitam noſtram, quam ſub hoc tempore legis gratiæ gerimus, ſplendore inſtruis: hic enim per ſpeculum videmus in ænigmate, & meridiem, in quo ſponſa quærit ſponſum dicens: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes, in meridie, futuram, nempe, vitam noſtram ignibus tui amoris, inſtruis, accendiſque, vt te facie ad faciem, clara, ac reali viſione videamus. *Extingue flammas litium: Aufer calorem noxium: Confer ſalutem corporum: Veramque pacem cordium.* ¶ Ad quorum euidentiorem intellectum videndum eſt primo, quid nam illud ſit, quod lites inducit, & vnde oriantur. Deinde videndum eſt, quæ ſint flammæ litium, & quas flammas lites creent. Tertio videndum eſt, quomodo iſtæ litium flammæ ſint extinguendæ. Quarto videndum eſt, quis nam in nobis calorem noxium excitet. Quinto quo freno frenandus ſit noxius iſte calor. Sexto quæ ſit corporum illa ſalus, quam conferri nobis petimus. Septimo aduertendum eſt quæ ſit illa vera pax cordium, quam habere deſideramus. Ad primum redeuntes: quid quæſo, lites, contentioneſue, ac maledicta inducit, importatque, niſi ferax, ac petulans mundus? qui eius arrogantia, & ſuperbia, inanibuſque verbis, ac garrulitate; ad certandum cum altero, & ad vim

Conſtructio textus verſuum hymni.

Senſus myſticus quatuor primorū verſuum.

Rom. 13.

1. Cor. 13.

Cant. 1.

Lis quid.

Lis ex mūdi arrogantia prouenit.

D 2 alteri

Dist. 46. cap. sequitur. alteri inferendum, atque nocendum tumide sæuus intonat. Pro secunda propositione aduertendum est, quod flammæ litium, idest contentionum, seu maledictorum, sunt ira, iracundia, odium, inuidia, vltio, rixa, prælia, mors, lachrymæ, ac cætera huiusmodi, quæ à lite tanquam ab igne insurgunt in flammas, & materiam criminum, ac delictorum. Verum istæ flammæ litium sic insurgentes in materiam criminum, vt ira, iracundia, odium, inuidia, rixa, prælia, ac cætera prædicta, compescuntur, ac frenantur per humilitatem, & mansuetudinem: vt per charitatem, quæ sunt contra iracundiam, & contra iram, odiumque, ac contra omnem inuidiam. Bene igitur dicimus: Extingue flammas litium, idest, fac nos habere contra prædicta vitia humilitatem, & mansuetudinem, & charitatem, velut ignem erga proximum nostrum. Tu enim hoc potes facere: cum, & ignibus meridiem tu instruas. ¶ Similiter per calorem noxium hic non perperam iram intelligimus, ac odium. Quid enim est ira, nisi quidam vehemens circa cor sanguinis calor, in odium proximi nos commouens, ac de vltione semper cogitans? Et ideo talem noxium calorem à nobis, & de corde nostro petimus à Deo auferri: ne ad malum aliquod aduersus proximum nostrum perpetrandum nos commoueat: quæ & nobis, & proximo noxia sit. Et hic calor noxius similiter cum mansuetudine, humilitate, amore, dilectioneque, ac charitate frenandus est à nobis. Et licet aliqui, & ego aliquando cum illis, dixerint, calorem noxium hic pro commotione concupiscentiarum carnalium intelligi debere; ego tamen nunc non sic intelligo hunc versum: sed secundum expositionem paulo ante factam. Nam totus iste hymnus videtur velle dirimere, & sedare fidelium contentiones, & eorundem componere lites, vt & corporum, ac cordium salute, ac pace perpetuo gaudeant. Et sic nullus huic versui videtur posse dari intellectus, qui ad carnalem libidinem referatur. Sexto, & vltimo loco: quoniam propter prædicta iræ peccata. quæ odientes proximum nostrum, committimus, sæuientes in illum, caro nostra, & cor nostrum illico vulneratur, & sauciatur, debilitaturque, ac infirmatur: & per consequens non est sanitas in carne nostra; neque pax in cordis nostri visceribus: attestante hoc Dauide, dicente: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie inimicorum meorum, ideo dicimus: O domine confer salutem corporum,

Flamma litiũ quæ sunt.

Litium flammæ, & quas virtutes extinguuntur.

Ira quid est.

Interpres hic se retractat.

Psal. 37.

porum, ideſt, noſtræ carni; da, & concede illam priſtinam ſanitatem, & ſalutem: cordi vero da, ac præſta illam priſtinam tranquillitatem, & pacem, quam habebamus, antequam cor, & caro eligerent peccare, ideſt, antequam peccaſſant cor, & caro noſtra, dum videlicet vtraque erant in ſtatu innocentiæ, & in ſumma libertate, obediens quidem caro ſpiritui, ac rationi, Tunc enim vtrumque, videlicet, caro noſtra, & cor noſtrum, ſi ſic permanſiſsent incorrupta, & non inſurrexiſſent aduerſus animam, & ſpiritum, & aduerſus proximum ſuum, & incohata in hoc ſæculo, & plena in futuro perfruentur ſanitate, & pace. Amen.

Ad Nonam Horam Hymnus Octauus.

Rerum Deus tenax uigor,
Immotus in te permanens;
Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans.
Largire clarum veſpere:
Quo vita nuſquam decidat
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.
Præſta pater piiſſime.
Patrique compar vnice
Cum ſpiritu paraclyto,
Regnans per omne ſæculũ. Amẽ.

Grati animi eſt benefactorem cognoſcere, illi confiteri, diligenterque il lius collata nobis beneficia ponderare. Hactenus pluſquam medium pertranſiuimus diem: & hoc non noſtra quidem induſtria, prouidentia, aut viribus noſtris, ſed Dei gratia, ac Dei fauore: qui nos condidit, regit, cuſtoditque; & non ſuperficialiter, & leui quodam modo, ſed vigore inſeparabili; quo Deus res ſuas curat. Hinc illuminata à ſpiritu ſancto ſancta Dei Eccleſia, ac cum Propheta ſciens, iſtius magni Dei noſtri ordinatione diem perſeuerare: ex hoc, inquam, præſenti cantico, voluit ſic illum concinendo exaltare, & celebrare, dicens: *Rerum Deus, tenax vigor Immotus in te permanens: Lucis diurnæ tempora Succeſſibus determinans. &c.*

¶ In quibus, & ſequentibus laudat per Beatum Ambroſium, huius hymni factorem, primo diuinam prouidentiam, ſua virtute omnia conſeruantem. Orat deinde, vt fælicem, ac beatum vitæ exitum nobis Deus dilargiatur. Tertio orat, vt poſt mortem ſanctam, ac piam donetur ſibi vita æterna. Secunda pars eſt ibi: Largire clarum

Hymni huius Auth. quis.

Hymni diuiſio. & ſũma.

clarum vespere. Tertia pars est ibi. Sed præmium mortis sacræ. ¶ Ad intelligentiam igitur primorum quatuorum versuum aduertendum est primo, quomodo Deus sit tenax vigor rerum. Secundo notandum est, num in Deo cadat motus. Tertio notandum est, quomodo in Deo non est motus. Quarto quomodo mystice Deus mouetur. Quinto, quod Deus mouetur aliquo motu, & quomodo. Sexto videndum est, quomodo Deus diei horas, ac tempora ipse temperet. Quoad primum dicimus, quod dicitur Deus hic esse vigor tenax rerum, quia omnipotenti virtute sua cuncta conseruat in suo tenore. Eius namque vis occultissima ad singula pertinet: iuxta illud libri sapientiæ. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter; nisi enim conditis rebus perpetua eius prouidentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutæ sunt, illas conseruaret; statim ad nihilum reciderent. Et sic omnia quidem conseruat; in se ipso tamen permanet immotus. quemadmodum, & psaltes etiam aduertit, dicens. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, & Ipsi peribunt, tu autem permanes. Deus, ergo est inconmutabilis, & impermutabilis; eo quod in eo motus accidentalis, hoc est: augmentum, non cadit. Quippe inquit Leo Papa, simplici naturæ diuinitatis, nihil addi. vel minui potest: quia semper est, quod est. Item nec diminutio. Malach. 3. Ego Deus, & non mutor. Item nec alteratio. Iacob: Apud quem non est transmutatio &c. Item nec secundum locum mutatio: quia vbique presens est. Hier. 23. Cælum, & terram ego impleo. Item incommutabilis est etiam Deus ex eo, quod non cadit in eum motus ex operatione. Nã soli Deo conuenit in operatione quietum esse. Vnde pro hoc extant infrascripti versus: O qui perpetua mundum ratione gubernas: Terrarum, cæliquę sator, qui tempus ab æuo Ire iubes, stabilisque manẽs das cuncta moueri. Præterea dantur etiã, & tres alij motus, scilicet, naturalis, voluntarius, & violentus. Naturalis est, quo naturaliter res tendunt ad locum proprium. Violentus motus est, quando coguntur res esse extra locum proprium. Sed voluntarius motus est, in hominibus, vel in Angelis. Et patet, quod nullus istorum motuum cadit, nec in Deo. Nam primus, scilicet, naturalis in eo non est: quia omnis motus est ad quietem, & propter indigentiam: sed Deus nullius indiget: iuxta illud: Si exuriero, non dicam tibi: & quia cum sit vbique non habet necesse de loco ad locum moueri: & quia non est in eo grauitas, vel leuitas, propter quam sursum, & deorsum moueatur: & quia cum Deus in se ipso semper maneat; non habet necesse proprium locum; & sibi naturalem extra se quærere sicut aliæ creaturæ. Pari modo in motu violento non mouetur: quia non

fit ei

Deus quomodo dicitur esse vigor tenax rerum. *Sap. 1.*

Leo. *Motus in Deo non cadit, & quomodo.* *Matth. 3.* *Iacob. 1.* *Hier. 23.* *Boet. lib. 3 de cõs. Philos.* *Motus non est in Deo, & quomodo.*

Psal. 49.

fit ei violentia. Iob: Si fortitudo quæritur, robustissimus. Neque demum mouetur in motu voluntario: quia in opere non lassatur, vt animalia. Item est alius motus circularis, alius rectus, & alius obliquus. Et minus vllo istorum modorum mouetur Deus: quia proprietates istorum non ei conueniunt. Potest tamen dici, quod supradicti modi conueniunt mystice, & vt dicatur moueri motu circulari; omnia regendo, & gubernando. Item motu recto bonos remunerando. Item motu obliquo malos puniendo. Eodem quoque modo potest dici; quod Deus mouetur motu naturali, quo solita bonitate omnibus creaturis pro capacitate earum se communicat. Item motu violento: quo peccatores iustè damnat. Item motu voluntario, quo cuncta in esse conseruat. Vnde istis authoritatibus soluuntur nonnulla dubia, præsertim illud libri sapientiæ spiritus sanctus, & mobilis, & stabilis est; mobilis, quia facit sanctos mobiles ad bene operandum, & in bono proficere: stabilis vero, quia dat in bono perseuerare. Vel mobilis in via, stabilis in patria: vel mobilis in actiuis, stabilis in contemplatiuis: vel mobilis in alijs sanctis, stabilis in Christo. Isai. Requiescet super eum spiritus domini. ¶ Vltimo loco dicimus, quod Deus diei horas, ac tempora successibus, hoc est, successionibus, siue successiuo modo, & motibus determinat, diuiditque, ac distinguit: quoniam horis diurnis suas vicissitudines, & ordinem assignat Deus, ordinationeque ipsius Dei, scilicet, perseuerat dies, secundum psal. & alibi. Fecit lunam in tempora: & sol cognouit occasum suum. Similiter, & Beatus Basilius ait. Deus itaque qui temporis naturam creauit, mensuras ipsi, ac signa, scilicet, spacia dierum adiunxit: septimanaque ipsum metiens, in orbem septimanam in se semper versari iussit, curricula temporis, ac motiones enumerantem: & vnum item diem septimanam conficere; ipsum in sese septies redeuntem. Vnde propter hoc merito exclamat Iacobus de Valentia: O sapientiam, inquit, diuinam, quam bene, & optima tua diuina prouidentia, & sapientia disponis, ordinas, & varias tempora, secundum accessum, & recessum solis ad polos: & hoc propter generationem, & corruptionem rerum. Lunam similiter facis diuersificare tempora in quolibet mense. Solem item per lationem, & cursum suum supra nostrum hemisphærium facis apud nos causare diem: & per eius absentiam causare noctem: eo quod fertur super aliud hemisphærium; vbi diem causat: & apud nos causat noctem. O ineffabilem Dei magnificentiam, quæ non à casu, nec in vanum disposuit opera, sed omnia in sapientia ordinat. & non solum Deus successibus lucis diurnæ, hoc est, ipsius diei determinat, & diei partes distinguit; nempe, mane à meridie: meridiem à vespere, & sic deinceps:

Mystice mouetur Deus.

Sap. 7.

Isa. 11.

Deus est vigor tenax rerũ immotus.

Psal. 101.

Psal. 103.

Basilius Magnus in Hexa. Hom. 2. 10.

Iacobus in psal. 103.

deinceps:sed etiam ordinat, & distinguit successibus tempora humanarum rerum. Cum enim incertæ sint cogitationes nostræ, & ignoremus, quid agere debeamus: Deus bona nostra incepta (si in nomine eius ea aggressi fuerimus) fœlicibus determinat successibus: pro quibus Dei Ecclesia gratias agit, & rogat, vt qui cœpit, perficiat, largiendo, quod deest, dicens. *Largire clarum vespere: Quo vita nusquam decidat: Sed præmium mortis sacræ: Perennis instet gloria.* Ad cuius prædictæ orationis intelligentiam notandum est primo, quid nam significet ista dictio: Vespere, iuxta literam. Secundo aduertendum est quomodo mystice eadem dictio, vespere sit exponenda. Tertio notandum est, quæ sit, & quorum nam, & quando dicatur mors sacra. Quarto notandum est, quid sit præmium huius mortis sacræ. Quinto notandum est, quonam alio nomine hoc præmium nuncupetur in sacra scriptura. Ad primum dicimus, quod vespere hoc loco potest considerari duplici modo: vno modo pro diei sensibilis, ac diei temporalis temporario, & fluxo tempore; quod & serotinum ac vespertinum tempus vocamus: quod & obscurum; & atrum est, quoniam ob vicinum noctis instantis crepusculum, & solis occasum, paulatim decumbit in tenebras. Alio modo vespere apud sacram scripturam in frequenti vsu pro extrema totius diei naturalis parte accipitur: vt Factum est vespere, & mane dies vnus. Est & vesper vna stella, quæ Venus, & Lucifer nuncupatur; quæ calida, & humida est: & malitiam Martis nociuam temperat, semperq; comitatur solem: sed cum præcedit solem, dicitur Lucifer: cum vero sequitur illum dicitur Vesper. ¶ Quoad secundum præsuppositum dicimus, vespere spirituale, & mysticum esse vitæ nostræ finem: quem clarum, & lucidum fore postulamus: qui succedentem nullum tenebrarum horrorem; sed lucidam Regni cælestis habitationem, nullo fine claudendam, habiturus est. Quid enim aliud esse debet finis huius mundanæ vitæ nostræ, nisi vita æterna, Dei fruitio (Erit enim Deus speculum visui nostro, Cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos tactui) & clara Dei visio, si bona egerimus? aut ignis æternus, æternus cruciatus, & æterna pœna, si mala ægerimus? ¶ Ad tertiam propositionem similiter dicimus, mortem sacram esse eorum hominum, qui Deo corpus suum, & animam suam, mentem suam, cogitationes suas, & omnes sensus suos Deo obtulerunt, sacrificauerunt, & sacrarunt; & demum in Domino mortui sunt, sic Deo sacrati, ac cum Deo beato, beati: quorum mors dicitur mors sacra: cuius præmium in futuro sæculo est perennis gloria. Vel mortem sacram Christi mortem per excellentiam sacram intelligamus: qui diglutiens mortem effecit nos vitæ æternæ

Vesper duplici modo consideratur.

Gen. 1.

Vesper est etiam vna stella.

Vesper mystice quid signet.

Mors sacra quorum nam esse dicitur.

Apoc. 14.

æternæ heredes, quæ data est ei à Deo, patre in præmium eius sacræ mortis, vt eiusdem vitæ æternæ nos fratres eius faceret participes. ¶ Ad quartum iam dictum est, huius sacræ mortis præmium esse perennem gloriam, & vitam æternam. ¶ Ad quintum dicimus, hoc mortis sacræ præmium alio etiam nomine in sacra scriptura nuncupari, nempe, diurnum denarium: iuxta illud Matth. Conuentione facta ex denario diurno, &c. Ista autem conuentio est vitæ æternæ pro labore promissio: quæ quidem æterna vita dicitur denarius, primo ratione nominis: denarius enim à decem dicitur ex eo, quod olim decem nummos vsuales valebat: in quo significatur prætium pro vsu, & obseruantia decalogi promissum: ideo illa vita denarius dicitur; quia pro decalogi obseruatione datur. secundo ratione figuræ: quia in denario est figura spherica, & rotunda, vbi non est inuenire principium, neque finem, in quo significatur vitæ æternitas, & plena æternitatis possessio. Tertio ratione imaginis: in denario enim imago Regis est scripta, in quo animæ ad Deum notatur conformitas, plena scientia, & cognitione veritatis, quæ ibi erit in beatis. & vocatur denarius diurnus: tum quia tota vita hominis, tota etiam vita præsens reputatur quasi vna dies: in qua nunquam à bono opere desistendum est; tum quia non nisi operanti in die gratiæ, & non in nocte culpæ redditur. ¶ Dicit ergo litera: O domine largire nobis clarum vespere, idest, ò domine (& hoc dicimus secundum priorem vesperis temporalis acceptionem) dona nobis quorumcumque horum dierum temporalium vitæ præsentis clarum esse finem: in quo tempore præsentis vitæ vita nostra nullibi, seu in nullo facto decidat, aut cadat à rectitudine, aut prolabatur in mortem animæ per peccatum, quod obscurum, & non clarum exitum vitæ nostræ facere solet; sed potius æterna gloria adueniat, quæ est præmium, atque remuneratio mortis sacrosanctæ. Vel largire nobis Domine post huius vitæ cursum clarum vespere, idest, finem clarum, & lucidum, & claram Dei visionem, ac ipsam vitam æternam in patria tua. In quo claro vespere, ac beato fine, claraque Dei visione, vita nostra, mensque decidit, aut deficit: quia mors ibi amplius locum non habet: sed immortalitas, & perennitas est ibi indeficientis vitæ.

Ad quam peruenire mereamur: per Christum Dominum nostrum Amen.

Præmium sacræ mortis quid est.

Matth. 20

Denarius vnde dicitur.

Nota.

Constructio literæ hymni.

Diebus

Diebus Dominicis ad Vesperas Hymnus Nonus.

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.
Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari præcipis:
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus,
Ne mens grauata crimene
Vitæ sit exul munere.
Dum nil perenne cogitat:
Se seque culpis illigat.
Cælorum pulset intimum:
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium:
Purgemus omne pessimum.
Præsta pater piissime;
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto
Regnans per omne sæculum. Amē.

Colos. 3. SAnctus Paulus adhortatur fideles, vt in hymnis, & canticis spiritualibus loquentes sibimeitpsis, & psallentes cordibus suis Domino gratias semper agant pro omnibus. Sed quid Dei ignorant beneficia, quomodo possunt gratias agere, aut psallere in hymnis Deo? oportet ergo, vt ante omnia diuina addiscamus beneficia, nobis collata: vt illorum recordatione exultet spiritus noster in Deo salutari: vt exultauit in sanctissima magna matre,& virgine. *Luc.1.* Vnde propterea sancta Dei Ecclesia, quæ semper vigilat in cogitando, agnoscendo, ac numerando Dei innumera beneficia, sibi à Deo collata, hodie in memoriam nostram vnum ineffabile eius beneficium redigere volens: quod est, eum fecisse nobis, & pro nobis lucem diurnam, sic eum laudat: *Lucis creator optime: lucem dierum proferens: Primordijs lucis nouæ: Mundi parans originem. &c.* ¶ Vbi laudat mater Ecclesia per Beatum Gregorium huius hymni Authorem, Deum, & lucis diurnæ, ac temporum omnium creatorem, *Hymni huius Auth.* atque dispensatorem. Orat secundo, ne mens nostra, peccatis oppressa, exulet à vita cælesti. Tertio hortatur nos declinare, & fugere peccata in hoc mundo: vt in futuro Regni æterni obtineat *Hymni diuisio & summa.* præmium. Secunda est ibi. Ne mens grauata crimine. Tertia est ibi. Cælorum pulset intimum. Describitur etiam opus primæ diei inter sex illos dies, quibus in Genesi mundus sensibilis creatus esse *Genes. 1.* dicitur. Nam prima die dixit Deus: fiat lux, & facta est lux: & diuisit Deus lucem à tenebris: & vocauit lucem diem, & tenebras noctem: & factum est vespere, & mane dies vnus, idest, primus: De quo vide, quæ dicta sunt in hymno primo. Opus vero, quod fe-

cit Deus

cit Deus in. 2. 3. 4. 5. & 6. feria, aut die, infra per ordinem in sequentibus ad vesperas hymnis decribitur vsque ad hymnum. Plasmator hominis Deus, inclusiue: de quibus annuente Domino Nostro Iesu Christo dicemus suis loco, & tempore. ¶ Ad primorum ergo quatuor carminum huius hymni intelligentiam notandum est primo, cur Deum Ecclesia creatorem lucis in hoc hymno ad vesperas optimum appellat. Secundo aduertendum est ad quandam difficultatem, quæ ex hymno suboriri videtur. Tertio videndum, quid lux importet hoc in loco, in primo versu posita. Quarto notandum est, quid per lucē dierum positam in secundo carmine intelligennū sit. Quinto videndum est, quæ nam sit ista mundi origo, quæ paratur à Deo ipsis lucis primodijs: ac cur lux noua nuncupetur. Setxo notandum est, quod Deus est creator mundi, & quomodo. Septimo notandū est, quotuplex sit mūdus. Cū igitur hactenus in hymnis huius primi, ac Dominici diei sanctissimi excitauit nos mater Ecclesia ad Deum laudandum, sumpta occasione ab hora illius diei, qua canendi erant; modo ad noctem cū tendamus: & beneficijs lucis non paucis vsi fuerimus: idcirco grati nos pro commodis, ex ipsa luce perceptis ad Deum versi exclamamus: ò optime creator lucis, & vere optimæ: cum nihil sit luce melius: quando omnia sunt, quæ Deus fecit, valde bona. lux enim omnibus alijs est melior. Ergo creator illius est optimus: bene, inquā, optimus creator Deus dicitur: quoniā secundū Theologos, res de nihilo exit in esse per creationem: quod est solius Dei. Et si dixeris: Papa heri creauit tres Cardinales, seu tres Episcopos: ergo & creare conuenit etiam creaturæ; respondeo, quod tunc non proprie dicitur creasse, sed potius fecisse, seu promouisse: nam inter creare, generare, & facere magna existit differentia. Res etenim, vt diximus, de nihilo exit in esse per creationem: sed exit in esse de aliquo per factionem: quia facere est operari de aliena materia: sed de substantia exit in esse per generationem. ¶ Aduerte etiā, quod lux in primo carmine posita: cuius Deū creatorē optimum fuisse diximus; est ipse dies cū nocte: quæ dies, & nox spatia, & orbes temporū perpetuos, ac volubiles (quos vocamus annos) altera per vices successiue conficiunt: & nota, quod lux est mediū defferens omnia: quæ à cælo ad nos descendunt. Ipsa quoque mutat corpus nō lucens à lucido. Ipsa est secundū Philosophum: cæli purpura, maleficiorū inimica, nauigantiū directio, oculus noctis. & facies omniū rerū. ¶ Additio, lucē, quę est sita in secūdo versu: solē nobis, quē Deus quaato creauit die, vt pręesset diei, hic notat, & signat. ¶ Sed origo mūdi, quæ paratur ab ipso Deo ipsis lucis primordijs, est ipsa lux dicta in 1. vers. seu est primus dies: quia ipsa lux, & primus

Deus appellatur creator optimus, & quomodo.

Quæstio.

Solutio.

Creare.

Creare, facere, & generare differunt inter se.

Lux quid hic importet.

Lux quid est.

Lux secundo recitata quid significat.

primus dies fuit origo, & principium,& causa parata,& præparata ad principia,initiatiue, aut primordia lucis nouæ:quia ab ipsa luce inchoauit opus sex dierum, hoc est, mundum hunc totum visibilé, & maiorem. Et dicitur hic lux noua,& bene: quoniam ante illam nec alius dies fuit, nec vtique alia lux. Credere tamen debemus, quod Deus non solum hanc primam lucem, sed totum mundum creauit sine præiacenti,& præparata materia: quia antequam adoriretur hoc opus mundi in eo pleni, & cōsummati boni fons erat:vt ab eo bono, tanquam viuus oriretur:neque vlla vi Deus, aut necessitate coactus,sed sua sponte,& voluntate mundum instituit. neque vlla alia causa fuit, quæ illum ad opus creationis impelleret, nisi,vt rebus,quæ ab ipso effectæ essent,bonitatem suam impartiretur. Nā Dei natura ipsa per se beatissima,nullius rei indigens est:vt inquit Dauid:Dixi Domino:Deus meus es tu: quoniam bonorum meorū non eges.Quemadmodum ergo sua bonitate adductus,quæcunque voluit,fecit;ita non exemplum aliquod,aut formam, quæ extra se posita esset,cum vniuersa crearet, secutus est:sed in intellectu fecit & cælum. Nam per intellectum,& verbum suum omnia creauit. Ab æterno enim ideæ omnium erant in intellectu, & verbo diuino, ad quarum exemplar creauit omnia ex tempore secūdum species suas. Vnde ex hoc dicimus distingui triplicem mundum. Archetypum, scilicet, Deum, qui dicitur Archetypus ab Archos, quod est Princeps, & typus,quod est figura, idest, principalis figura: quia ipse Deus est exemplar,vt dictum est in hymno primo,mundi huius sensibilis.Item est mundus,qui dicitur megacosmus,idest, maior mundus:vt est iste mundus sensibilis,de quo hic disseruimus. Item est mūdus,qui dicitur minor mundus, vt est homo. De his tribus mundis Ioan. 1.In mundo;ecce primum.Et mundus per ipsum factus est;ecce secundum.Et mundus eum non cognouit;ecce tertium. *Qui mane iunctum vesperi: Diem vocari procepis.* ¶ Idest, qui præcipis mane, hoc est,lucem,cuius es tu optimus creator;vesperi, idest,nocti iunctam,diem naturalem vocari ob hoc: cum dies naturalis ex nocte, dieque componatur. Nam etsi secundum accessum solis ad nos,longior sit dies nocte:nox vero longior quando à nobis sol versus tropicum capricorni discedit: nihilominus amator lucis Deus vult, hoc totam diem vocari à nobiliori parte sui; etiam si tantummodo de die octo habemus horas,& de nocte sex, & decem. Et si quis diceret,videtur potius sancta Ecclesia sentire,sicut etiam videtur sentire Iudocus de artificiali die,nec non etiam,& Glos. in l. 2. ff. de verb. sign.& l. more rom. de ferijs:quæ citat isthæc verba; & dicit, hunc locum de die artificiali intelligi debere. Et quidem si sumi-

Dies primus cur lux noua appellatur

Psal. 5.

Mundus quotuplex est.

Ioan. 1.

Quæst.

Iudocus.

mus

mus mane, vt sit tempus matutinum: vespere vero pro vltima diei parte; cui noctis opacitas immediate succedit. Bene dixerint Iudocus, & Glos: sed mea quidem sententia crederem potius, hunc locum intelligi debere de naturali die, qui habet viginti quatuor horas. Nam quamquam vesper accipitur aliquando pro serotino tempore, quod appropinquare solet nocti: sæpe tamen accipitur pro extrema diei naturalis parte: quod innuere videntur verba illa in Genesi, scilicet: & factum est vespere, & mane dies vnus, idest, primus. Mane ergo iunctum, ac copulatum vesperi præcipis, Domine, diem, scilicet, naturalem, habentem viginti quatuor horas; vocari: qui talis dies noctem etiam comprehendit. *Tetrum chaos illabitur: Audi preces cum fletibus.* ¶ Non sine causa pia nostra mater Ecclesia tot Dei beneficijs receptis, præparauit sibi diuinum adiutorium, gratum, & reddidit sibi iudicem beneuolum: Videt enim magnum supra se stare periculum, & modo expauescit à timore tribulationum nocturno: & maiorem timendi causam lucis discessus incutit: & propter hoc lachymas dolens fundit & oculis cordis: & rogat tales preces fletibus porrectas audiri: ne aliqua mala volutas, seu voluptas ad sensus nostros illabens, per futurum chaos inducat nos ad malum perpetrandum. Chaos enim hoc loco non significat illam inanem, idest, inuisibilem, & incompositam terram, vel molem, vel congeriem, quam pro sui confusione abyssum vocant, & quam Græci chaos dicunt: sed chaos hic signat tempus nocturnum: quod ob tenebras, & obscuritatem, confusionem, & molestiam; rebus ingerit. q. d. iam imminet super nos chaos, idest, tempus nocturnum appropinquat, & intrat, ac adesse festinat nox. Idcirco ex hoc noctis accessu, & lucis discessu dolentes cum lachrymis ad te fundimus preces: vt sicut nos immunes à peccatis in exacta diei huius parte: sic etiam conserues nos à vitijs, ac turpibus peccatis in hac futura diei parte, scilicet, in nocte: cum nocti sit proprium omnia fere corrumpere. ¶ Verum supradicta huius hymni carmina, ac verba sic mystice loquentes exponere possumus. O creator lucis, idest, ò genitor filij tui, qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mondum: proferens lucem, idest, solem iustitiæ Christum, dierum, hoc est, Apostolorum: qui dies & lumina sunt mundi, idest, Ecclesiæ. *Primordijs lucis nouæ, Mundi parans originem*, Hoc est, & tu Domine producens lucem dierum, & Apostolorum paras, & inducis originem, ac ortum primordijs, idest Apostolis, qui sunt huius nouę lucis, mundique primordia, fundamētaque ac bases, & origō. *Qui mane iunctum vesperi, Diem vocari præcipis.* Idest, tu domine, præcipis mane: hoc est, incarnationem Christi, quæ

Solutio.

Genes. 1.

Chaos.

Mistica supradictorū carminum expositio.

Dies Apostolos hic indicat.

Manequid mystice significet.

sti, quæ fuit mane omnium dierum, & vt sol iustitiæ luxit mundo: aut præcipis mane, deitatem, scilicet, iunctam carni nostræ, quæ est obscura, vt vesperum, diem vocari, idest, Christum, qui est verus dies: Apostoli sunt horæ eius. *Tetrum chaos illabitur: Audi preces cum fletibus.* hoc est, nox, ac peccatum, & vitium, de facili illabitur in nos: proinde te rogamus, vt audias preces nostras cum fletibus; quibus à te petimus, & precamur gemētes, & flētes: vt non permittas chaos illabi in nos, hoc est, peccatum aliquod in hac nocte incurrere. ¶ Cur autem postulamus nostras iterum audiri preces; & peccatum à nobis tolli: adiungit sancta Ecclesia dicens. *Ne mens grauata crimine Vitæ sit exul munere: Dum nil perenne cogitat: Se seque culpis illigat.* ¶ Pro intelligentia horum superiorum, notandum est, quando mens nostrà dicitur grauata crimine. Secundo notandum est: quando dicitur nihil perenne cogitare. Tertio quomodo se se culpis illiget. Quarto aliqua alia super eosdem versus considerandа dicemus. Quantum ad primum dicendum est prout videtur innuere Beatus Gregorius, quod tunc mens nostra crimine grauata dicitur: quando peruersa, & peccata, quæ illa fecit, defendere audet: & defendendo, nequitiæ nequitiam adiungit, & adhuc ipsam noxia alia delectant, ita, vt semper grauata crimine inueniatur. Ad secundum dicimus, quod triplex est cogitatio. Vna est à Deo illapsa, & ista est semper sancta. Alia est à Diabolo suggesta: & ista est semper praua, & deceptoria. Alia est ab ipsomet homine commenta, & orta: & ista est vana, & inanis: quia semper homo cogitat de mundanis: puta de honoribus, & diuitijs congregandis, & honoribus adipiscendis: & qui in talibus cogitationibus, & laboribus conterunt tempus, imo & totum spatium vitæ suę: illi dicuntur nil perenne cogitare, sed omnino terrenum. Tertio dicimus duobus modis ad culpam vnumquemque, secundum prædictum Beatum Gregorium, perpetrandam allici; aut enim ex delectatione producitur: aut errore superatur. sed hæc culpa citius dimittitur: si nequaquam malitiæ studio perpetratur. His prēsuppositis cōsidera modo, quomodo iuste lachrymatur Ecclesia: ne mēs grauata crimine fiat exul nō ob ista, aut ab illa ciuitate: sed à vita, & à terra, quā beati mites (vt fatur Dominus) hereditabūt, de qua dicitur in psalmo: portio mea sit in terra viuētiū. Heu quātū dolēt exules à proprijs natiuis locis: & si vbicūq; sūt tamē viuūt: Tamē mouēt omnē lapidē, vt ad paternā domū possint ex gratia reditū obtinere. quid faciēt exules vitę? vbi erūt, nisi in perpetua morte? merito ergo fūdit lachrymas pia mater Ecclesia. Et nos si sapimus, debemus terrena despicere, & amare cęlestia; ne culpis illaqueemur

Lib. 4. mor. c. 23.

Triplex hominis cogitatio.

Lib. 6. mor. cap. 15.

Culpa duobus modis perpetratur.

Psal. 141.

dum

dum tãtum munus ambimus,totisq; viribus quærimus:Quando habentes victũ,& vestitũ his debemus esse contenti,æternaq; cogitare, & superiora iam dicta:ne anima nostra crimine,aut peccato aliquo grauata sit exul,& aliena à munere vitæ,hoc est,à dono vitæ æternę: quod erit, si mens nostra culpis illaqueabitur, quod auertat Deus. *Cælorum pulset intimum:Vitale tollat præmium: Vitemus omne noxium: Purgemus omne pessimum.* ¶ Vt igitur exilium vitæ euadamus, & cælesti patriæ reddamur: mens nostra pulset intimum cælum cælorum;hoc est,properet cælum empireum,quod est totum luminosum ad gloriam sanctorum,quærere, & ad ipsum pulsare:vt posthac,quæ sursum sunt sapiat, & non quæ super terram: quæ sursum sunt quærat,vbi Christus est, in dextera Dei sedens:qui est vita,quæ mortem vicit:& vitale est etiam præmium, quo nobis vita comparata est. Empti enim estis,inquit,Paulus, pretio magno. Mens ergo tollat,& accipiat, acquiratque hoc ipsum vitale præmium. Et vt hanc vitam,& vitale præmium habere possimus, nunc hic in mundo vitemus omne noxium, omnemque culpam; ac omne pessimum peccatum purgemus per pænitentiam. Amen.

Cælum empireũ qd.
Colos. 3.
Christus est vitale præmium.
1. Cor. 6.

Ad Completorium Hymnus Decimus.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator poscimus.
Vt solita clementia
Sis præsul ad custodiam
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime:
Ne polluantur corpora.
Præsta pater omnipotens
Per Iesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum sancto spiritu,Amẽ.

Beatus vir,qui semper est pauidus, dicit sapiens. Et sanctus Paulus hortatur nos dicens:cum timore, & tremore salutem vestram operamini.& Dauid testatur dicens:Beatus vir,qui timet Dominum.Timor enim Dei reddit hominem sollicitum, & obseruatorem mandatorum Dei. Hinc est,quod mater nostra vniuersalis Ecclesia nullum finem Dei orandi,ac ei gratias agendi faciens; eo magis hac hora qua hunc diem cum fælicitate, & prosperitate finiuit: excitata timore nocturno:sicut in conceptione, hoc est,in initio ipsius diei:nec non etiam & in toto progressu illius, Deum; vt conseruet,& custodiat,indefesse orauit:ita in conceptione noctis, hoc est, ante lucis,seu diei terminum, ac finem: vt custodiat nos nunc,& semper,

Prou. 28.
Philip. 2.
Psal. 111.

Hymni huius author est Dei Ecclesia. per,precatur, dicens: *Te lucis ante terminum, Rerum creator poscimus: Vt solita clementia, Sis præsul ad custodiam,* &c.¶ In quibus,& sequentibus etiam huius hymni verbis sancta Dei Ecclesia, vt præfati sumus,dirigit primo ad Deum orationem, vt adueniente noctis crepusculo,sit custos noster. Deinde rogat eum, vt velit à nobis propel

Hymni diuisio, & summa. lere in tempore nocturno omnes somniorum illusiones. Tertio petit,hostem suum comprimi, & refrenari, ne per prauas eius suggestiones in nocte, nostra polluantur corpora. ¶ Ad quatuor igitur primorum carminum intelligentiam notandum est hic primo, quid per lucem intelligamus. Secundo notandum est, Deum esse rerum omnium creatorem,& quomodo. Tertio notandum est, cur Deum

Lux hic quid notet hic in custodem postulemus. Itaque per lucem hic diem artificialem intelligimus,sicut etiam per lucem intelligimus diem in hymno ad primam, dum dicitur: Iam lucis orto sidere; & in hymno etiam ad

Deus est creatorum omnium creator. laudes feriæ tertiæ,quando dicimus: Ales diei nuncius,lucem,idest, diem propinquam præcinit. Ad secundum dicimus, Deum omnium rerum, & creaturarum esse creatorem: quoniam nulla creatura; &

Psal. 148. nulla res huius mundi est per essentiam suam, sed habet esse à Deo, sicut radij,& lumen à sole. Est ergo rerum omnium creator: quia ipse dixit,& facta sunt per ipsum omnia. Et quia sicut quando sol subtrahit suam præsentiam, illico deficit lumen, & efficitur nox apud nos: ita pariter quando influit vitam in creaturas,tunc creaturæ viuunt,& operantur. sed si Deus auertit suam præsentiam, & in-

Cur Deũ postulemus in tutamẽ, & præsidium. fluentiam, tunc creaturæ deficiunt. Deus est ergo rerum causa, & creator. Deum vero cur in tutamen,& præsidium postulemus; est forsitan ratio; quia licet omnis natura,& omnis substantia à Deo naturaliter,& substantialiter bona creata fuerit: tamẽ quia propter peccatum primorum parentum fuit inflicta in carne nostra mala concupiscentia,& morbus: quo morbo, & concupiscentia caro nostra fuit taliter corrupta, & liberum arbitrium claudicatum, quod ex proprijs viribus non possumus vitare peccatum, nec agere bonum, nec vincere inimicum, & ideo Deum hic in adiutorium postulamus,ac in præsidium: vt per gratiam ipsius adiuti possimus non solum vitare peccatum,sed etiam implere diuina præcepta,& agere bonum,& vincere inimicum. Dicit ergo: O rerum creator omnium postulamus à te, antequam recedat dies, vt sis nobis in hac futura nocte custos, atque præsul ad custodiendum primo animam nostram,deinde & corpus nostrum: quippe qui nisi tu Domine, custo-

Psal. 126. dieris ciuitatem: frustra vigilat, qui custodit eam: tuum est enim

Psal. 33. proprium omnia nostra & ossa, & animas seruorum tuorum custo-

Psal. 93. dire,& de manu peccatoris liberare,& ab inimicis, & seductoribus tutare,

tutare,& vt ſentiamus tuum præſulatum,& à te cuſtodiri.ſicut ergo deputata fuit cuſtodia monumenti ſacratiſſimi corporis Chriſti Matth.vlt. ſic nos nobis dari cuſtodem petimus cum cubitum imus quaſi in ſepulchrum, in ſignum, quod illa hora corpus Chriſti poſitum fuit in ſepulchro. Lucæ 22, & hæc eſt ratio, qua dicimus completorium. *Procul recedant ſomnia: Et noctium phantaſmata: Hoſtemque noſtrum comprime: Ne polluantur corpora.* ¶ Hic aduertant omnes Chriſtiani,quam præparati cubitum ire debeant, vt Sathanæ inſidias euadant. Vnde ſanctus Alexander Papa Primus; qui fuit quintus à ſancto Petro, ordinauit aquam ſacerdotali benedictione ſanctificatam in cubiculis retinendam pro effuganda diaboli malitia, ne ſomnijs, vel phantaſmatibus nobis illudat. ¶ Ad explicationem ergo literæ iſtorum quatuor verſuum primo notandum eſt, quid ſit ſomnium.Secundo,quid ſit phantaſma. Tertio videndum eſt,quid per hoſtem hic intelligamus. Quarto notandum eſt, de quibus hic corporibus loquatur Eccleſia. Quinto conſiderandum eſt,quam puri,ac mundi accedere ad ſacratiſſimum corpus ſumendum debeamus,ſcilicet, vt non ſimus vlla polluti pollutione. Dicimus ergo, quod ſomnium eſt imago, quæ videtur de nocte in ſomnis eſſe ſimilis veritati.At phantaſma eſt imago,animo apparens, & obiectâ ſine rei exiſtentia. Vnde phantaſma noctium dicuntur viſa nocturna:quæ nobis dormientibus,ac ſomniantibus occurrunt. Et illa interdum illuſione hoſtis noſtri impura ſe ſe nobis objiciunt, & ad immunditiam protrahunt. Idcirco merito petere debemus illa præſidio Dei à nobis auerti,dicentes:longe ſint à nobis, Domine, ac remotæ omnes vanæ viſiones, omnes immundæ, atque omnes carnis malæ illuſiones. Abſint ſimiliter à nobis,domine,omnia noctium phantaſmata, ac omnes occultæ deceptiones. ¶ Quoad tertium præſuppoſitum,ſciendum eſt,quod dum Adam voluit regi à muliere contra præceptum Domini; ideo bene merito fuit percuſſus propter hanc præuaricationem,in carne,ac ſenſualitate: & ſenſualitas, ac caro eius fuit facta debiliſſima,& fragilis,& infirma: ideo quia mulier obediuit Diabolo,& Adam mulieri. ideo ſenſualitas, & caro Adæ,& ſuæ poſteritatis erit ſemper vexata à Diabolo,& frequenter ei obediet:& ſpiritus,& caro eius,ac noſtrum omnium obedient ſenſualitati,& conſcientia vexabitur ab ea. Vnde propter hoc ſæpe Diabolus inſurgit aduerſus carnem,& caro aduerſus ſpiritum,& rationem:& ſic illaqueant,& decipiunt animam. Nam Diabolus in carne, & ſenſualitate noſtra tendit rete, & laqueum ſuum, qui dicitur fomes,& concupiſcentia.in quo laqueo, ſiue retiaculo capit animam,& rationem per conſenſum.ex quibus patet,Diabolum, & carnem,

Pſal. 96.
Completorium cur inſtitutũ.
Alexãder Papa.
Somnium quid eſt.
Phantaſma quid eſt.

E

Hostis noster quis sit. nem,nostros esse hostes. Per hostem ergo hoc loco Diabolum, seu carnem intelligere possumus: quæ est nobis continuus hostis, & aduersatrix spiritui, ac rationi, omnibusque bonis operibus nostris, semperque instat,vt nostra polluantur corpora: similiter Diabolus incipit tentare hominem semper à debiliori parte,scilicet,sensualitate, & carne. Aliquando vero tentat ciborum appetitu,aut vana gloria,aut honoris,& diuitiarum sublimitate. Et non solum nititur hominem inducere ad malum omne perpetrandum, & maxime luxuriæ:sed nititur etiam eos,quos tentat ad excelsa ducere, & in altum eleuare,vt sicut ipse eleuatus cecidit,sic & alios exaltando rue*Nota.* re faciat. Quid plura? habet quidem mille nocendi modos. Nam dormientes per somnia inquietat,vigilantes turbat,morbos infert, super bonos dominari appetit, magicas artes per eum fiunt, bonis ad exercitium datur: semperque fini hominis insidiatur. Hostis ergo noster est Diabolus:quem vt Dominus reprimat,ac expugnet, ne *Corpus multiplex esse dicitur.* nos tantum offendat, hic postulamus. At cum rogamus hic Deum, ne polluantur corpora,non intelligas omnia indifferenter corpora, sed accipe corpora nostra humana.Sunt enim multa alia corporum genera, videlicet, vnum,quod continetur vno spiritu, vt homo, lignum,lapis,& similia. Alterum est, quod ex continentibus, hoc est, ex pluribus inter se cohærentibus constat,vt ædificium,nauis,armarium. Tertium est, quod ex distantibus constat, vt corpora plura non soluta,sed vni nomini subiecta,veluti, populus, legio, grex. Aliud diuiduum,vt fundus. Alind est indiuiduum, vt homo, equus, *L. rerum natura de vsucap.* & mulus. Sed hæc leguleis attendenda relinquimus. Orandum demum est nobis sedulo, vt à corporum pollutione nocturna præ*Quam orandum est ad Deum ne polluantur corpora nostra.* seruemur:quoniam vbi illa nobis hostis suggestione acciderit inter dormiēdum,reddit hominem minus aptum,sæpius,& indispositum ad sancti altaris celebrandum mysterium,vt sanctius,& tutius sit ob augustissimi sacramenti Eucharistiæ reuerentiam die proxima illa sequente ab eo contrectando,& consecrando abstinere: modo id cōmode,& sine offendiculo fieri possit. quod & vetus lex nobis subinsinuat,cum ait. Si fuerit inter vos homo: qui nocturno pollutus sit *Deut.23.* somno,egredietur extra,& non reuertetur priusquam ad vesperam, lauetur aqua,idest pænitentia,& post solis occasum regredietur in castra. Si igitur in veteri,& figurali lege censebatur homo tota die proxima sequente immundus:vt iuberetur sequestrari,& separari à cæterorum consortio, quanto magis in noua lege, & Euangelica? vbi sanctiora,& sacratiora tractanda sunt mysteria,postridie quàm acciderit illius inquinamenti contagium, debet se homo immundum reputare,& ob hanc diuinorum sacramentorum puritatem, & sublimi-

ſublimitatem, ab illis tunc attrectandis humiliter ſe ſubtrahere & ſegregare? fiat fiat. *Præſta pater omnipotens: Per Ieſum Chriſtum Dominum: Qui tecum in perpetuum Regnat cum Sancto Spiritu*, Amen.

¶ Ad intelligentiam horum verſuum primo videndum eſt breuiter, quomodo pater ſit pater. Secundo quomodo ſit omnipotens. Tertio quomodo,& cur per Ieſum Chriſtum Dominum præſtet pater,quod petimus. Quarto quomodo Ieſus regnet cum ſancto ſpiritu. Ad primum breuiter dicimus,quod pater noſter dicitur omnipotens Deus,qui ideo pater dicitur,quia cum nõ eſſemus,nos creauit;vel quia cum perditi eſſemus,miſericorditer nos recreauit. Ad ſecundum dicimus, patrem eſſe omnipotentem, quia ſua omnipotentia fecit omnia,cælum, ſcilicet, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Vnde Heſter ait:Tu enim domine feciſti cælum,& terram, & quicquid cæli ambitu continetur. Et paulo ſuperius: Domine, inquit,Deus Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita,& non eſt,qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ. Et ipſemet Ieſus dicit: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo,& in terra. Ad tertium dicimus,Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe Saluatorem ſæculi à Deo patre miſſum:& ideo omnia etiam per ipſum,quæ à Deo deſideramus impetrare,præſtat nobis pater omnipotens:eſt enim iſte Ieſus brachium,& dextera patris,& verbum, quibus Deus omnia pro nobis facit,& dicit,& præſtat. Ad quartum dicimus, Ieſum Chriſtum regnare cum Sancto Spiritu, quoniam & pater, & filius, & Spiritus ſanctus vna ſubſtantia eſt, quam Trinitatem profitemur:cum ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint vnius eſſentiæ,vnius maieſtatis, & vnius potentiæ; ideo vere Chriſtus dicitur regnare **cum Spiritu Sancto, Amen.**

LIBRI PRIMI FINIS.

MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS V. I. D.

IN OMNES FERME ECCLESIATICOS FERIALES HYMNOS BREVIS ELVCIDATIO.

Liber Secundus.

Feria Secunda Ad Nocturnum Matutinum Hymnus Primus.

Somno refectis artubus;
Spreto cubili surgimus
Nobis pater canentibus
Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat:
Te mentis ardor ambiat:
Vt actuum sequentium
Tu sancte sis exordium.
Cedant tenebræ lumini:
Et nox diurno syderi:
Vt culpa, quam nox intulit
Lucis labescat munere.
Precamur iisdem supplices,
Noxas vt omnes amputes:
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.
Presta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

DIes iste fastus est more antiquorum: quando prætor fari poterat, scilicet, do, dico, addico. Et sic omnes suam possunt artem exercere. Et nemo est, qui ignoret artem clericorum, & omnium Deo addicatorum propriam esse Deum laudare die, noctuque, & sicut operarij pro corporali victu acquirendo solent diligentiores esse post nefastos dies, surgentes valde de mane ad suam operam, tanquam qui valde in diebus nefastis, satisque quieuerint: ita iuxta hunc sensum post diem nefastum, tanquam roborati diuino spiritu:

Cant. 5. in quo veluti in trãquillo somno quieuimus, iuxta illud sponsæ: Ego dormio, & cor meum vigilat: cantamus: *Somno refectis artubus; Spreto cubili surgimus: Nobis pater canentibus Adesse te deposcimus*, & infra. ¶ In quibus, & sequentibus huius hymni verbis, ac versibus

Ioan. 15. sancta mater Ecclesia agnoscens cum beato Ioanne, nos sine Deo,

Psal. 89. seu absque eius præuio auxilio, nihil posse aut cogitare, aut efficere, & simul sciens cum Propheta, qui petijt à Deo directionem operum suorum, cum dixit: & opera manuum nostrarum dirige: nos eundem sermonem habendum esse ad Deum, antequam quicquam agendum aggrediamur; hortatur nos vt antequam quippiam operis moliamur, orationem, ac precationem ad Deum habeamus, vt

Hymni diuisio & summa. diurnum nostrum opus ab oratione auspicetur: deprecatur deinde, vt nobis surgentibus ad diuinas decantandas Deo laudes velit, & suum lumen infundere, quo peccatorum nostrorum propellantur tenebræ. Secunda pars est ibi. Cedant tenebræ lumini. ¶ Ad supradictorum quatuor ergo versuum euidentiorem intellectum, præmittendum est, quid sit somnus, & quot modis sumitur in sacra scriptura; & quando somnus sit reprehendendus, & quantorum malorum sit aliquando causa. Secundo notandum est, quid per patrem hic intelligamus, & vnde dicatur pater. Itaque somnus est sopor

Somnus quid est. mentis: quies hominis, quãdo aliquis dormit. Vel somnus est mors rediuiua, vel mortis imago: medicorum experimentum: laborum quies: infirmorum votum: vniuersi spiritus requies. est etiã requies

Somnus capitur pluribus modis. corporis, veniens cum desiderio, ac obliuione delectabili. Sumitur vero somnus primo modo pro amore terrenorũ: iuxta illud: Si dedero somnum oculis: secundo pro torpore inertiæ, vel accidiæ, ad faciendum bonum: iuxta illud: Hora est iam nos de somno surge-

Psal. 131. Rom. 13. re. Tertio pro extasi mentis: in qua reuelatur aliquid homini per Angelum Dei. Vnde in euangelio Angelus apparuit Ioseph in som-

Luc. 2. nis. Quarto somnus sumitur pro excitatione: vnde legitur in Gene-

Genes. 45. si: quod audiens Iacob, quod filius suus veniret, quasi de graui somno euigilans ait. &c. Præterea quamuis somnus sit nobis necessarius, nimius tamen reprehenditur: quia noxius nobis esse solet. nam somnolentus

nolentus arguitur in prouerbijs, cum dicitur: vsquequo dormis piger, ecce quia facit hominem pigrum: affert & tristitiam. Vnde hora surgendi ne te tristes: quid plura? multorum malorum legimus, somnum, & in nouo, & in veteri testamento fuisse causam. Vnde si legas librum Iudicum, inuenies Sampsonem, dormientem super genua Dalidæ suæ, amisisse suam fortitudinem. In secundo libro Regum inuenies, Isboseth Saulis filium Regno priuatum fuisse, si legeris librum Thobiæ reperies ipsum somno sopitum, cæcum fuisse factum. In libro Iudith inuenies Iudith Holofernis dormientis caput amputasse. Apud Sanctum Matthæum inuenies ob somnum Domini Petri nauiculam à contrarijs ventis valde agitatam. Apud Marcum cognosces, seruum acriter à Domino reprehensum propter somnum. Similiter intelliges ob id, quod pater familias dormiret, inimicum venisse, ac zizania in medio tritici seminasse. His de somno habitis, consideremus, quid aliud in istis quatuor carminibus sit aduertendum: & quidem cum patrem hic nobis canentibus adesse poscimus; Deum audire, ac suscipere orationes nostras poscimus: qui Deus dicitur pater à patrando, aut à perficiendo: quia per eum omnia facta sunt, & Deus generaliter, & specialiter, & singulariter dicitur pater, generaliter omnium per creationem: specialiter iustorum per adoptionem: singulariter Christi per generationem. ¶ Mystice vero hos supradictos versus considerantes, sic eos exponere poterimus, dicentes. Somno refectis artubus, idest, dulci, ac interna quiete vitæ iam nostris recreatis mentibus (nam heri vacantes Deo internam quietem quærentes, & mundi strepitum fugientes: quasi in dulci quiete fuimus) nunc spreto cubili surgimus, hoc est, spretis membris nostris, quæ vt cubile sunt: in quo anima nostra velut in quodam stratu demoratur, surgimus, idest, immutamur, conuertimurque ex adulteris, & iracundis, ac petulantibus, in castos, humiles, ac modestos: & nobis te, Domine, canentibus, laudantibus, & inuocantibus, presto esse poscimus. *Te lingua primum concinat: Te mentis ardor ambiat: Vt actuum sequentium: Tu sancte sis exordium.* ¶ Benedicit: concinat: quia corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Itaque quod bene concinit, quando lingua cordi respondet, vt interiori fidei externa correspondeant opera. Et tunc non est dubium, quando opera fidei correspondent, quin sequatur illa animæ, Deique amplexio: quam amplexionem vocat hic vates mentis ardorem, Deumque ambientem, idest, amplexantem. Demum ipse Deus, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, totum nostrum opus complet. Petimus ergo hic à Deo, vt nostræ mentis amplexio,

Prou. 16. *Eccles. 31.* *Iudic. 16.* *2. Reg. 26.* *Tob. 2.* *Matth. 8.* *Mar. 4.* *Mat. 13.* *Deus vnde dicitur.* *Somnus quietē internam significat.* *Rom. 10.* *Apoc. 1.*

& amor feruidus, & desiderium ipsum Deum ardenti affectu prosequatur, ambiatque, idest, amplexetur, ac desideret: vt quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita anima nostra ad Deum: vt ipse qui est Alpha, & Omega nostrarum actionum sit principium, atque finis: hoc est, vt omnis nostra actio, oratio, & operatio ab eo semper incipiat, & per eum cæpta finiatur, & perficiatur. Cæterum ad nota ex superioribus, quod ambire hoc loco, non circundare, & circumplecti signat tantum, sed etiam desiderare, & concupiscere. Nota secundo ex istis præmissis quatuor versibus documentum valde salutare, & commendabile: quod est cum primum, dimisso stratu surreximus, antequam aliud aggrediamur opus: Deo laudes persoluere, & preces fundere: atque ab oratione inchoare diurnum nostrum opus: vt omnia, quæ deinde facturi, locuturi, aut cogitaturi sumus omnibus diebus, ac noctibus, horis, atque momentis, ab ipso Deo dirigantur in bonum finem. Nam sic, & Propheta Dauid suorum operum, vt præmisimus, à Deo directionem petijt: dum dixit: Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opera manuum nostrarum dirige. *Cedant tenebræ lumini: Et nox diurno syderi: Vt culpa, quam nox intulit, Lucis labescat munere.* ¶ Ad intelligentiam istorum præsentium quatuor versuum, notandum est primo, qui nam sint homines, qui sint tenebræ, vel quomodo quis incurrat tenebras. Secundo videndum est, quid per lumen hic intelligamus. Tertio, quid per noctem. Quarto quid per diurnum sydus accipimus. Quinto per noctem, in tertio versu positam. Sexto, quid per lucem in quarto versu positam accipiendum sit. Itaque tenebræ sunt vno modo stulti, iniqui ac peccatores; quorum cæca præcordia, qualia sunt, lux æterna manifeste cognoscit; sed ipsi stulti, iniqui, peccatores radios eiusdem lucis æternę nequaquam per intelligentiam capere possunt, ad instar cæci: qui licet lumine solis perfundatur: solem tamen, cuius iubare perfunditur, non aspicit. Alio modo quis incurrit tenebras, qui in veritatis præsentia perfidiæ errore cæcatus est: qualis est, qui diuina veritatis miracula cernit, & tamen de eius diuinitate dubitat. Istis ergo duobus modis, secundum Beatum Gregorium, homines dicuntur esse tenebræ, ac tenebris circundati esse. Per lumen vero hoc loci Christum Dominum intellige: qui est lumen de lumine, in quantum est coeternus patri, sicut lumen ipsi soli; & procedit à patre æternaliter, sicut lumen à sole: Dicit ergo: Cedant tenebræ lumini: hoc est, Christi redemptoris nostri persecutores, perfidiq; ac infideles, stultique etiam,

Psal. 41.

Ambire hic quid signet.

Psal. 89.

Tenebræ in homine sunt duobus modis.

Lib. 6. mor. cap. 13.

Lumen quid.

etiam, ac iniqui peccatores: qui nihil aliud sunt, nisi tenebræ, quia in die, & in luce, ac in ipso lumine patiuntur tenebras: nec lucis æternæ radios capiunt; cadant lumini, ideſt credant, fidem præstent, & fidem adhibeant lumini, ideſt ipſi Chriſto, ac ſeruiant ei: qui, vt dictum eſt, lumen eſt de lumine, & lux dicens ad iſtos: Ambulate, dum lucem habetis: ne vos amplius tenebræ comprehendat: *Ioan. 12.* & ne occidat eis ſol, cum adhuc ſit dies. Porro per noctem hic pa- *Hierē. 13.* riter peccatores, & iniquos intelligere poſſumus. Per diurnum ve- *Nox quid.* ro ſydus ſolem iuſtitiæ Chriſtum accipere poſſumus: de quo Mala- *Sydus diurnum quid.* chias ait: Et oriatur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ. & *Malach. 4.* nox ergo cædat diurno ſyderi, hoc, eſt, & peccatores, ac iniqui cedant, locum dent ipſi Chriſto ſyderi diurno, ac ſoli iuſtitiæ: vt virtus eius, ideſt, Chriſti, inhabitet in eis, & ut habeat vbi in eis *2. Cor. 12.* reclinet caput ſuum. Sed per noctem in tertio verſu poſitam Diabo- *Matth. 6.* lum accipere poſſumus: per lucem vero Chriſtum ſimiliter, & hoc *Nox Diabolum ſignat* loco intelligendum eſſe iudico: vt dicamus ſic: vt culpa, ideſt peccatum, quam vel quod nox, ideſt Diabolus intulit, ac ſuggeſſit, ac fieri, & committi à nobis properauit: munere, ideſt gratia ac benignitate lucis, ſcilicet, Chriſti, qui eſt lux illuminans omnem ho- *Lux quid* minem venientem in hunc mundum; labeſcat, euaneſcat, ac omnino deficiat. *Precamur ijdem ſupplices: Noxas omnes vt amputes: Et ore te canentium Laudantis in perpetuum.* ¶ Pro antedictorũ quatuor verſuum intelligentia notandum eſt, quod duo hic à Deo petimus, nempe, dimitti nobis omnia peccata noſtra: & concedi nobis, vt in perpetuum laudemus Deum, in hoc, ſcilicet, & in futuro ſæculo. q. d. ſancta Eccleſia: precamur, te Domine, vt nobis omnia remittas debita, & peccata: & præſtes etiam nobis, te canentibus, vt ſicut in hoc præſenti ſæculo te canimus, ac gloriam damus: ita etiam in futuro nos eaſdem laudes, & cantica cantare concedas: quod erit laudari Deum per nos in perpetuum. Notandum eſt ſecundo ex ſupradictis, quod noxa hic pro peccato ſumitur: iuxta illud Exodi: aut dimittis, ait Moyſes Deo, eis hanc noxam, ideſt, *Noxa quid ſignet.* hoc peccatum, vt dicit Auguſtinus; aut ſi non facis, dele me de libro vitæ. Imo appellatione noxæ omne delictum continetur. l. Pleſ. *Exod. 32.* ff. de verb. & rerum ſignif. aliquando tamen noxa pro culpa, aliquando vero pro pæna, aliquando autem pro peccato ponitur ſecundum diſpoſitionem capituli: ſtatutum de reſcriptis. in. 6. Dicit ergo. Præcamur nos ijdem, qui ſupra ſtratum relinquentes ſurreximus, & qui petiuimus Dei præſentiam ad noſtra cantica audienda; quique de tenebris lucem fieri popoſcimus; vt noxas, & peccata omnia noſtra auferas à nobis: vt eo ore, quo hic in mundo nunc

nunc te concinimus;illo eodem ore lauderis à nobis in futuro quoque sæculo in perpetuum. Amen.

Feria Secunda ad Laudes Matutinas Hymus Secundus.

Splendor paternæ gloriæ:
De luce lucem proferens.
Lux lucis. & fons luminis:
Dies diem illuminans.
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Iubarque sancti spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus te patrem
Patrem perennis gloriæ:
Pater potentis gratiæ:
Culpam releget lubricam.
Informet actus strenuos:
Dentes retundat inuidi:
Casus secundet asperos:
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet, & regat
Casto fideli corpore.
Fides calore ferueat
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus:
Potusque noster sit fides.
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.
Lætus dies hic transeat:
Pudor sit vt diluculum:
Fides velut meridies:
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus prouehit:
Aurora totus prodeat
In patre totus filius,
Et totus in verbo pater.
Deo patri sit gloria;
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto
Et nunc, & in perpetuũ. Amen.

INter omnes hymnos nullus isto sanctior, dignior, humilior, eloquentior, & spiritualior est; & si attenduntur verba, sensus, personæ, quibus sancta alloquitur Ecclesia; precationes, quas facit; ordo dicendi, & spiritualis verborum sensus, in quo sancta Dei Ecclesia facit per beatum Ambrosium huius hymni primum cantorem orationem ad Dei filium. Precatur deinde, vt suo lumine nos illustret. Tertio rogat, vt peccata nostra propellat. Quarto petit virtutes in nobis adaugeri. Secunda pars est ibi: Verusque sol illabere. Tertia est ibi: Votis vocemus te parem. Quarta est ibi. Fides calore ferueat. ¶ Vel sic hunc hymnum diuidamus, ac sumamus: nempe, quod in eo primo fit ad Dei filium oratio, vt suo lumine nos illustret, & peccata nostra repellat. Secundo petimus actuum nostrorum vtilitatem, & strenuitatem, Diabolique caninam rabiem conteri: & vt facilitet aduersa, & vires perseuerantiæ donet: vt in bonis regat mentem, corpusque sanctificet: vt rationi

Hymni huius Author

Hymni diuisio, & summa.

Alia diuisio, & summa.

tioni subdat, vt non inficiatur veneficio fraudis: & hoc à Deo rogamus, cum dicimus: informet actus strenuos,&c. Quarto loco, quomodo homo interior sit cibandus, admirabili ordine docemur, cum subiungimus: Christus nobis sit cibus: nam sacramentis cibatur: fide potatur: & vsque ad ebrietatem (sobriam tamen) cum omni lætitia repletur, vt tanquam repletus non in otio diem transigat: sed cum magna lætitia cordis percurrat, veluti inebriatus ab vbertate diuinæ gratiæ: & nihilominus timeat semper infamiam peccati: ita quod non formidine peccati, sed virtutis amore peccare fugiat. Quinto, & vltimo demum loco petimus; vt prędictus pudor sit huic interiori homini, idest, animæ, velut sui diei operationis diluculum: ardens vero fides in Deum sit illi, vt meridies: qui nesciat occasum: sed semper magis ardeat, & splendeat, velut aurora rutilans, totumque amorem (pro capacitate nostra) filij ad patrem, patris ad filium, sanctissimamque vnionem diuinæ naturæ manifestet: & hoc à Deo poscimus, cum dicimus: Pudor sit vt diluculum, cum sequentibus vsque ad finem totius hymni. ¶ Nunc prima quatuor carmina consideremus, postmodum subsequenter alios totius hymni versus examinabimus: sunt autem hæc. *Splendor paternæ gloriæ: De luce lucem proferens. Lux lucis, & fons luminis: Dies diem illuminans.* ¶ Ad quorum intellectum aduertendum est, quod quinque denominationes filij Dei in prędictis quatuor versibus ponuntur: quarum prima est, quod ipse sit splendor paternæ gloriæ; secunda quod sit lux de luce, lucem proferens: Tertia est, quod ipse sit lux lucis: Quarta quod ipsa sit fons luminis. Quinta, & vltima, quod sit dies, diem illuminans. Quod filius Dei sit splendor paternæ gloriæ, clarum est: quia semper in patre filius, & semper in filio pater fuit. In principio enim erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. & ideo ipse ait: Ego sum in patre, & pater in me est; nihil enim in Deo est, quod Deus non sit; totus enim idem est, & substantialiter idem. de quo & Paulus ait: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. Quod idem filius Dei lux sit similiter proferens lucem, patet: quia de ipso: (qui est vera lux inquantum est coæternus patri, sicut lux ipsi soli: & procedit à patre æternaliter, sicut lux à sole: quia sicut nunquam fuit sol sine luce, nec e conuerso): spiritum sanctum veram lucem producit. Item quod filius Dei sit lux lucis: manifeste patet: quia est lux de luce, & lumen de lumine, idest, filius de patre: quæ lux inuisibilis olim temporibus nostris carne, in qua videri posset, induta est: quæ in hominis habitu apparens, & loquens hominibus; paulatim fide purificata; eorum corda ad cogni-

Anima quibus nutritur.

Filij Dei denominationes hic quinque describūtur.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Filius Dei est lux lucem proferens.

Filius Dei est lux lucis.

tionem

Dei filius est fons luminis. tionem suæ diuinæ visionis prouehit. Similiter ipsæ est fons luminis: origo enim est, & principium omnis luminis, omnisque illuminationis propagatæ, & procreatæ in creaturas. Illuminat enim iste fons luminis luce sua omnem, venientem in hunc mundum. Fons enim iste luminis est illa lux hominum: de qua dicitur: & vita erat lux hominum. Sed quare fons luminis, quare lux? quia locebat, quia docebat, quia prędicabat, quia populum, qui sedebat in tenebris, illuminabat. Quod demum Dei filius sit dies, diem illuminans ex ijs, quæ supra diximus in hymno, qui incipit: Aeterne rerum conditor; euadit clarum. Nam quod Christus sit dies, patet: quia ipse de se dicit: Ego sum lux mundi: Ego sum dies, vos vero horæ. & alibi propheta dicit: Dies diei eructat verbum euangelicum diei, scilicet, collegio Apostolorum, quod est dies à die illuminatus, & Apostoli eructant verbum, hoc est, euangelium diei, idest, toti Ecclesiæ, quæ post aduentum Christi incepit in die ambulare. Ex supradictis ergo patet; quod filius Dei est dies, diem illuminans, scilicet, Apostolos, & totam Ecclesiam, hoc est fidelium hominum mentes, sicut angelicas. *Verusque sol illabere: Micans nitore perpeti: Iubarque sancti Spiritus Infunde nostris sensibus.*

Ioan. 1.

Esai. 9.

Filius Dei est dies diē illuminas.

Ioan. 8.

Ioan. 11.

Apostoli dicūtur dies

Ecclesia dicitur dies.

¶ Quasi dicat: postquam ò fili Dei, & paternæ gloriæ es splendor, de luce, lucem proferens; & illuminas angelicas, humanasque mentes: adueni ergo nunc, vt sol: & tuo perpetuo lumine, ac splendore æterno infunde, atque immitte nostris sensibus, iubar spiritus sancti, hoc est, dona spiritus sancti, ac eiusdem radios, & splendorem, ac ipsum spiritum sanctum. Cæterum ex supradictis collige, quod Christus filius Dei verus sol dicitur hic, quia egrediens à summo cælo, & gyrans, ac perambulans viam huius mundi: quæ ante erat tenebrosa, illuminauit eam per lumen euangelicum, & calefecit eam ardore, ac calore suę passionis. Nam per suū aduentū, & per radios euangelicos, pepulit, ac fugauit noctem, & tenebras veteris legis, & peccati uniuersalis, & causauit diem gratiæ super terram. nox enim precessit; dies autem appropinquauit. Vnde habemus, quod Dei filius non tantum sol dicitur: sed ipse est dies. Collige etiam, quod iubar hoc in loco pro spiritu sancto capitur, quia procedit à patre, & filio; ideoque vocatur iubar. sumitur tamen iubar aliquando corporaliter pro stella, quæ ante solis ortum lucifer, post solis occasum vesper appellatur, eo quod iubata appareat: vel quod splendor eius se diffundat ad modum iubæ leonis. Est enim ad modum stellæ illius: quæ superioribus diebus, siue noctibus fuit hic Romæ visa ab omnibus, quam vulgo appellant cometa, comas enim luminis fundit, & dicitur significare mutationem

Christus est verus sol.

Nota.

Rom. 8.

Iubar quid

Cometes quid sit, & ad quid.

tionem Regni, aut bella, aut pestilentias vt philosophi asserunt. *Votis vocemus te patrem: Patrem perennis gloriæ: Patrem potentis gratiæ.* ¶ Quoniam autem corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: ideo nos, in quem credimus, illum nunc inuocamus non tantum Dei filium: sed & votis, ac pijs desiderijs patrem etiam confitemur cum affectu filiali, patrem, inquam, perpetuæ gloriæ, idest, paradisi, & patrem, potentis gratiæ, idest, vehementis spiritus sancti: cuius gratia potuit non tantũ domum, idest, tantum Chisti Ecclesiam ex se ipsa implere: sed potuit etiam sedere super singulos Chisti fideles, quibus dedit virtutes ex inde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum, ac cætera huiusmodi: idest dicitur potentis gratiæ pater. Vocamus autem hic nos filium Dei patrem nostrum: quoniam filius, & pater vnum sunt: & quia semper pater fuit, & est in filio, & filius in patre. Vnde de se filius Dei dicit: Ego, & pater vnum sumus. & alibi dicit: Ego in patre, & pater in me est, idest, totum, idem, & cum patre, & substantialiter idem semper in sinu eius manens, & in corde patris cuncta disponens, regens, ac omnia operans, Quemadmodum ergo eum, à quo familia propagata est, eiusque consilio, & imperio regitur, patrem vocamus: ita hac ratione factum est, vt Deum, quem omnium rerum opificem, & rectorem cognoscimus patrem appellari æquum fuerit, & etiam ex amore erga creaturas Deus paterna voce est insignitus. nam fecit nos, & creaturas omnes. Fecit namque nos secundum corpus, creauit autem nos secundum amnimam: possedit secundum vtrumque, Patrem ergo perennis gloriæ, & potentis gratiæ vocemus votis per gloriæ collationem, & per gratiæ adoptionem. Iam enim non est seruus, sed filius, quod si filius, & hæres per Deum, idest, per opera Dei. opera enim nostra magis sunt per Deum vitæ æternæ, & gloriæ meritoria, quam per nos. Per gratiæ adoptionem; quia accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abbas pater: quibus verbis, Deum communem patrem omnibus ostendimus esse. *Culpam releget lubricam: Informet actus strenuos: Dentem retundat inuidi: Casus secundet asperos: Donet gerendi gratiam.* ¶ Ad intelligentiam præmissorum versuum notandum est primo, quod ad iubar, idest, & spiritum sanctum hic orationem nostram dirigimus. Secundo notandum est, quod ab hoc iubare, & spiritu sancto petimus primo, culpam nostram, idest, mala facta nostra, aut actus nostros male factos, intercidi, & procul pelli, ac exulare. Tertio notandum est, quod secundo loco ab eodem spiritu sancto petimus huiusmodi facta nostra, maxime, quæ facturi sumus, ac actus nostros, quos

Rom. 10.
1. Cor. 12.
Filius Dei vocatur pater, & quo modo.
Ioan. 10.
Ioan. 14.
Deus quomodo nos fecerit crea uerit. & possederit.
Gal. 4.
Rom. 8.
Ad quem dirigatur hic nostra oratio.
Quid petimus in istis quatuor carminibus.

ſtros, quos acturi; & facturi ſumus, non amplius eſſe malos, noxioſue, aut nociuos nobis, aut alijs: ſed conformet diuinæ voluntati, & vtiles noſtræ humanitati, & ſtrenuos animæ noſtræ ſanitati. omnes ergo culpas lubricas, & omnes libidinoſas actiones, actuſue, aut facta mala tollat à nobis ſpiritus ſanctus, & informet, ſeu confirmet, roboretque in dies magis actus noſtros, perſeuerantes ſemper in bono, hoc eſt, ad omnia bona peragenda ſtrenuos eſſe faciat, & indefeſſos, operationeſque noſtras honeſtiores ſolito efficiat. Quarto notandum eſt, quod per dentes inuidi hic intelligenda eſt prædictæ culpæ lubricæ perpetratio, & ipſa facti operatio, & commiſſio mali alicuius facti noſtri per ſuggeſtionem tyrãni inuidi Diaboli, qui ideo dicitur inuidus hic: quia inuidebat parentibus noſtris: cum eſſent in paradiſo terreſtri, ſecundum Beatum Gregorium. Dentem ergo inuidi retundat, ideſt, ipſam culpæ lubricæ perpetrationem, factiq; mali noſtri operationẽ ſuggeſtione inuidi ſcilicet, callidi, Diaboli, per nos commiſſam, refringat, aboleat, ac propellat. Dens ergo inuidi Diaboli eſt, ſecundum præfatum Beatum Grægorium culpæ perpetratio. Secundet præterea aſperos noſtros caſus ipſe ſpiritus ſanctus, & proſperos eos ipſe faciat, hoc eſt; ærumnas, calamitates, perturbationeſque omnes, puta amiſſionem fortunarum, paupertatem, nuditatem, exilium, carceratioces, caſtigationes, famem, ſitim, lites, iurgia, contumelias, rixas, impetus, inſultus, contentiones, & bella: quæ quotidie nobis contingere ſolent, circumferentia nos huc illuc; ſecundas, proſperaſque, ac ſalutares animæ, & corpori noſtro reddat poſthac. Donetque nobis gratiam; vt non amplius incidamus in has miſerabiles calamitates, ac ærumnas iam præmemoratas: & quatenus iterum nobis eueniant, & contingant. tunc nobis præſtet gratiam grendi, ideſt, vim ſeu fortitudinem, ac robur, & virtutem patienter ferendi, ac tolerandi huiuſmodi caſus, ſiue ab ipſomet Deo, ſiue à noſtris ſuperioribus ad emendam noſtram nobis inferantur. Inſuper ſanctum hoc iubar, dulciſſimuſque conſolator noſter ſpiritus ſanctus. *Mentem gubernet, & regat Caſto fideli corpore: Fides calore ſerueat: Fraudis venena neſciat.* ¶ Ad horum verſuum intelligentiam notandum eſt primo quod hic petimus à ſpiritu ſancto, vt mentem noſtram in bonis regat, corpus vero ſanctificet, vt rationi ſubdat: & tandem, vt non inficiatur veneno fraudis. Notandum eſt ſecundo, quam mens noſtra ſit inſtabilis, ac eius proprium; & cur à ſpiritu ſancto regi eam poſcimus. Et quidem mens noſtra, modo proficit, modo deficit, modo diffuſis cogitationibus, atque affectionibus, & conſilijs huc atque illuc vagatur: imo omnium, quæ ſunt, velociſſima eſt mens;

Dens quid ſignificet.

Diabolus inuidus cur eſſe dicitur.

Geneſ. 4.

Lib. 5. mor. cap. 33.

Lib. 9. mor. cap. 24.

Mẽtis proprietates.

est mens: vno quippe temporis momento totum mundum circumuolat. Vnde propter hanc homo omnia animantia excedit,& intelligentia eius superat. Bene ergo rogamus Deum. vt mens nostra sanctis cogitationibus ducatur, ac velit, quod animæ bonum est, & per cogitationem rationis moueatur ad bonum loquendum, & operandum: per oppositum vero voluntas ipsa temperet ab ira, ab inuidia moderetur,ab olioque, & à detractione: vt sic subijciat cogitationi rationis, ac ab omnibus malis temperetur; & sic à Deo regatur. Notandum est tertio, quod corpus hoc loco potest considerari tribus modis; vno modo pro corpore nostro visibili, & sensibili; alio modo corpus in sacra scriptura dicitur Ecclesia: ait enim Apostolus: Nos sumus vnum corpus in Christo. Tertio modo corpus dicitur Christus; vnde in euangelio dicitur: Vbiqunque fuerit corpus,idest,Christus,ibi congregabuntur aquilæ,idest,Apostoli. Iubar ergo,& spiritus sanctus infundat in nobis gratiam, vt non tantum actus nostros dirigat, sed & mentem etiam nostram, animam nostram, & rationem,& spiritum, & sensum nostrum dirigat, regatque, eamque faciat in casto ac fideli corpore suo, aut in Christo capite suo, castam sanctamque, ac immaculatam perseuerare, & perdurare ita: vt nunquam fides, quam in Deum habet spiritus sancti amore feruentem,ac ardore eiusdem spiritus sancti ardentem, sapiat, aut sciat hæreticorum peruersiones, aut labefactetur veneficio alicuius fraudis Diaboli,vel peruersorum hominum. ¶ Vt autem mens nostra fraudis, hoc est, hæresis, venena haud gustet, vel experiatur: ideo subdens Ecclesia petit Christum in cibum, & in potum fidem, dicens. *Christusque nobis sit cibus: Potusque noster sit fides: Leti bibamus sobriam Ebrietatem spiritus.* ¶ Ad istorum versuum intelligentiam reminisci nos oportet eorum, quæ supra præmisimus, dum hymnum diuisimus; nempe, quod interior homo, hoc est, anima nostra, sacramentis cibatur, & maxime sacramento corporis Christi: proinde dicit Ecclesia: Christus sit nobis cibus. Potatur vero idem homo fide,& vsque ab ebrietatem (sobiam tamen) cum omni lætitia repletur, ideo dicit: Potusque noster sit fides. Corpus ergo Christi, & caro eius alat nos, sanguis vero eius potet nos: quia ipse Christus nobis est vere cibus, & sanguis eius verus est potus noster. Pascimur enim istis duobus, hoc est, animam nostram sua carne, & suo sanguine alimus. In quibus est mysterium fidei nostræ. Bene ergo dicimus, vt Christus sit nobis cibus, & fides eius potus. læti ergo, & alacres, ac hilares bibamus sobriam ebrietatem spiritus, idest, temperatam infusionem spiritus sancti. Ebrietas enim spiritus sancti est sobria,

Corpus tripliciter cõsideratur.
Rom. ibidem. 8.
Luc. 17.
Ioan. 6.
Ebrietas spiritus quid.

bria, temperata, & modeſta: & eſt illa ſpiritus ſancti exuberatiſſima, & profuſiſſima ſuauitas æterna, quam ſentiunt fidelium animæ, cum ſincero amoris, & mediatoris affectu Deo coniunguntur: quæ ſemper annexam habet ſobrietatem, vt indiuiduam, & comitem. Et ad hanc ſpiritualem ebrietatem ſummopere expetendam inuitat nos dulciſſimus ille ſponſus in canticis amatorijs, dicens:
Cant. 5. Comedite, & inebriamini chariſſimi. Eandem quoque ſpiritualem, & commendabilē ebrietatem ſenſit Propheta cum dixit: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timenti-
Pſal. 30. bus te, & alibi: Guſtate, inquit, & videte. quoniam ſuauis eſt do-
Pſalt 33. minus. Salomen etiam expreſsit hanc ſobrietatem, cum dixit: O
Sap. 12. Quam bonus, & ſuanis eſt domine, ſpiritus tuus in omnibus. At
Ebrietas carnis differt ab ebrietate ſpiritus. ebrietas carnis, & tumulenta, ſobrietas non eſt: ſed ſobrietati vel maxime aduerſa. eſt enim fomes omnium vitiorum. cap. ante omnia. cap. violentum. 35. dis. nam legitur in Geneſ. 9. quod Noe ob ebrietatem nudauit femora, & Loth, quem Sodoma non vicit, vicere vina. fugienda eſt ergo hæc carnis ebrietas: quia vt fatur San-
Serm. 24. & 34. ad fratres in eremo. tom. 26. ctus Auguſtinus, eſt calamitas omnium calamitatum, culparum mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio ſenſus; tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, dedecus vitæ, honeſti infamia, & animæ corruptela. *Letus dies hic transeat.*
Nota. *Pudor ſit vt diluculum, Fides velet meridies: Crepuſculum mens ne-*
Dies pro preſenti vita capitur. *ſciat.* ¶ Ad præmiſſorum verborum intelligentiam notandum primo eſt, quod dies hic accipitur pro hac preſenti vita noſtra, ac peregrinatione, cui aſsignat ſancta Dei Eccleſia hic partes ſpirituales, reſpondentes ſimilitudine quadam partibus diei ſenſibilis: quaſi dicat hic Eccleſia: Sicut dies iſte ſenſibilis habet diluculum, meridiem, & crepuſculum, ideſt, ſolis occaſum, ac diei finem: ſic hæc anima noſtra, ac iſte interior homo habeat pudorem, ideſt, animæ, & corporis caſtitatem, velut diei ſui diluculum ad operandum. q. d. ſicut diluculum eſt diei exordium: ſic pudor, hoc, eſt, caſtitas animæ, & corporis, ſit initium omnium bonorum operum. Se-
Crepuſculum quid notet. cundò notandum eſt, quod crepuſculum hic ſolis occaſum, ac diei finem denotat. Dicit ergo Fides noſtra ardens in Deum ſit animæ noſtræ, ac huic homini interiori meridies, qui neſciat crepuſculum, hoc eſt, occaſum ſolis, ſeu finem Diei; ſed ſemper magis ardeat, ac ſplendeat, velut aurora curſum ſuum prouchens, rutilans creſcit in maiorem ſemper lucem, totumque amorem iſte meridies (pro capacitate noſtra) filij ad patrem, patris ad filium, ſanctiſſimamque diuinæ naturæ vnionem manifeſtet nobis, animæque noſtræ, ac huic homini interiori. & hoc eſt, quod petimus hic infra

ſubiun-

subiungentes sic: *Aurora cursus prouehit: Aurora totus prodeat, In patre totus filius, Et totus in verbo pater.* ¶ Quasi dicat: sicut aurora visibilis nunc cursum suum accelerat, festinatquæ ad ortum: ita Christus, qui visitauit nos oriens ex alto per incarnationis mysteriũ depulsa morte, mundo, vt mystica aurora illucens, totus ad nos per benignitatem suam prodeat, ac manifestetur tantus, quantus est, scilicet, Deus, & homo, vt sic totus cernatur à nobis in patre, & totus pater in verbo semper. Vel sic dicamus, sicut aurora nunc cursum suum prouehens in maius lumen paulatim semper rutilat, & crescit: ita iste meridies totus, vt vna aurora semper in maius lumen, & maiorem lucem prodeat, ac manifestetur: vt sic hic, & in futuro sæculo in hoc meridie, qui crepuculum nusquam nesciat; sed semper in maiorem lucem coruscans prodeat, persistentes videamus totũ in patre filium, & totum in verbo, idest, filio, patrẽ. Amẽ.

Ioan. 10. 14.

Alia expositio.

Feria Secunda ad Vesperas Hymnus Tertius.

Immense cæli conditor:
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta diuidens:
Cælum dedisti limitem.
Firmans locum cælestibus,
Simulque trrræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipet.
Infunde nunc piissime
Donum perennis gratiæ:
Fraudis nouæ ne casibus
Nos error atterat vetus.
Lucem fides inueniat:
Sic luminis iubar ferat:
Vt vana cuncta terreat:
Hanc falsa nulla comprimat.
Præsta pater piissime,
Patrique compar vnice
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

Sancta nostra Ecclesia curiositatem nostram naturalem noui aliquid videndi semper, ac sciendi cognoscens: sicut quondam Athenienses illi ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui, & hoc etiam attestatur philosophus dicens: omnis naturaliter scire desiderat: Hinc sunt multæ Ciuitates, ludos d[illegible]ntes varios, nouis semper tragœdijs, vel comœdijs refertos; quæ his præstigijs à summo mane vsque ad vesperas pascunt oculos, & populus, vt nouitatis amator concurrit, & magnificat, exaltat, laudatque illos, qui in scena ioculosa magis, ac magis egerunt. Cum ergo tam simus ad nouitates inspiciendas affecti, & nihil magis nouũ sit, quam mundi creatio, de quo non potest dici, quod fuerit aliquando,

Act. 17.

Nota.

ideo quotidie in his hymnis vespertinis aliquã partem mundi creatam concinit. Nos ergo hodie, quos Dominus, magnus editor, ac artifex miraculorum per suam sanctã Ecclesiam conuocat ad ostentationem propriorum suorum operũ, non debemus languere ad tantum spectaculum, aut esse pigri ad auscultationem, & considerationem oculorum spiritus sancti, sed magnam hanc, & variam officinam opificij diuini aspicientes, & oculis intelligentiæ retrogressis ad superiora tempora fideli mente contemplemur constructionem vniuersi. Heri ergo vidimus, & videndo cantauimus lucis creationem, hodie videamus, & cantemus aquarum, cælo mediante diuisionem, dicentes. *Immense Cæli conditor: Qui mixta ne confunderent: Aquæ fluenta diuidens: Cælum dedisti limitem.* & reliqua. ¶ In quibus omnibus inuitamur à sanctã nostra matre Ecclesia per Beatum Ambrosium, huius hymni editorem, ad laudandum secum mundi huius artificem, ac omnipotentem architectorem, commendãtes eius virtutem immensam ab opere secundæ diei, à se facto, petentes deinde gratiam in bono perseuerandi. Tertio petimus nobis dari simul & fidem rectam, & sinceram. Secunda pars est ibi. Infunde nunc pijssime, &c. Tertia est ibi. Lumen fides inueniat. Scribitur etiam in hoc hymno, vt præmissum est, opus secundæ diei: quo in Genes. describitur, Deum fecisse firmamentum in medio aquarum, & eius spatio, seu interstitio, aquas, quæ sub firmamento sunt, ab alijs, quæ sunt super firmamentum, diuisisse. Vnde admodum apte, & pulchre hoc præsens canticũ operis illius secundæ diei mentionẽ habet. Nam canimus illud in secunda feria, quæ secundus est dies habdomadæ, quia ordine, & nomine respondet secundæ diei creationis mundi, sicut etiam superiores alij duo hymni; scilicet, Primo dierum omnium; & ille alius, scilicet; Lucis creator optime; quem heri ad vesperas cantauimus; bene respondent, & congruunt diei externæ, & præteritæ, idest, diei Dominico, ac primo omnium.

Hymni huius Author · *Hymni diuisio & sũma.* · *Genes. 1.*

¶ Ad veram ergo presentium dumtaxat quatuor versuum intelligentiam, notandum primo est, quomodo Deus dicitur esse immensus. Secundo notandum est, quotuplex in sacra scriptura sit cælum, & de quo cælo hic in primo posito versu sit intelligendum: & de quo sit intelligemdum de eo, quo ponitur in quarto. Tertio notandnm est, quid per mixta hic intelligamus. Quod conditor, ac cæli architector Deus immensus sit, ex sanctorum patrum dictis patet, dicentium, Deum ideo immensum, siue infinitum esse, eo quod suæ magnitudinis, & plenitudinis ipse non habet terminos, sed per omnia ipsum esse diffusum, qui certis caret limitibus, quibus contineatur: & hoc solius Dei est, nam cætera omnia suis finibus, & metis deter-

Deus Immensus, quomodo dicatur.

determinata sunt, ipse vero est vbique non mole corporis, sed præsentia maiestatis, & per hunc modum dicitu immensus Deus. Quod cælum in sacro eloquio sit triplex, pariter ex doctrinis sanctorum Theologorum manifestatur, Empyreum, nempe, aqueum, & firmamentum. Cælum empyreum dicitur esse luminosum ad gloriam sanctorum, in quo Deus habitat cum beatis per gloriam. Secundum cælum; (quod collocatur inter cælum empyreum, & firmamentum) quod dicitur cælum stellarum, & planetarum, ac astrorum,) dicitur cælum aqueum, siue christallinum, non à frigiditate, sed à diaphaneitate, & velocitate, vnde maym in chaldeo, quod aquæ dicuntur, latine idem, est quod fluxibilis, & mobilis, sed quia omnia creata circa Deum sunt mobilia, & fluxibilia, ideo dicitur Gen. primo quod spiritus domini ferebatur super aquas, idest, super omnia mobilia, & fluxibilia, quia spiritus domini rebus dat vitam, & motum, & esse, & operari, sed quia hoc secundum cælum est primum mobile velocius omnibus alijs, quia in viginti quatuor horis facit circuitum, & gyrum suum, & trahit omnes cælos inferiores super polos mundi, ideo propter talem excessum velocitatis dicitur aqueum per antonomasiam, idest, velocissimum. Et de hoc secundo cælo aqueo, & velocissimo crederem hic fari, ac dicere Beatum Ambrosium. Cælum vero tertium, scilicet, firmamentum, dicitur cælum stellarum, planetarumque, ac astrorum; eo quod in eo firmantur astra; & in quantum videntur stellæ in eo fixæ. Et de isto tertio cælo videtur fari d. Beatus Ambrosius hic in quarto versu. Per mixta vero intelliguntur elementa, quæ ideo mixta dicuntur; quoniam in eis miscentur frigida calidis, & calida frigidis, & humida siccis, & e contra. Terra namque est frigida, & sicca: Aqua est frigida, & humida: Ignis est calidus, & siccus: Aer est calidus, & humidus. Primum elementum habet naturam melancholiæ, secundum, scilicet, aqua, flegmæ. Ignis cholerę, sanguis respondet aeri. Dicit ergo sancta Dei Ecclesia. O Domine qui es immensus quidem cæli, scilicet, aquei, & christallini conditor, & editor, quique fluenta, seu flumina, decursus aquarum diuidis, partim earum, scilicet, cælestes, ac cælum ipsum aqueum collocans supra firmamentum, idest supra cælum astrorum, & partim, scilicet, aquas elementales collocans sub firmamento, ne putemus primum mobile, hoc, est cælum aqueum esse eiusdem naturæ cum elemento aquæ, hoc est, cum elementalibus aquis: Ac ne mixta, hoc, est, elementa confunderent, hoc est, confusa sic terra cum aqua, & ignis cum aere, mundo confusionem induceret: & propter hoc, scilicet, ne putaremus, aquas cælestes esse eius-

Cælum est triplex.

Calũ empyreum quid.

Cælum aqueũ quid, & in quo loco situm est.

Genes. 1.

Nota.

Cælum tertium quid, & cur sic appellatur

Mixta qd significent.

Elementorũ proprietates, & natura.

Duplici de causa Diuisit Deus aquas cælestes ab elemẽtalibus.

dem naturæ cum aquis elementalibus,& mixta simul confunderent, idest, omnia elementa confusim, & insimul miscerentur, ideo cælum dedisti limitem, hoc est, firmamentum, quod divideret aquas cælestes ab aquis terrenis, posuisti velut terminum, cuius interstitio superiores aquæ separarentur ab aquis inferioribus. *Firmans locum cælestibus, Simulque terræ riuulis: Vt vnda flammas temperet, Terræ solum ne dissipet.* ¶ Et sic firmasti, Domine, locum cælestibus aquis, idest aquis cælestibus locum assignasti supra tertium cælum, hoc est, supra firmamentum, ac supra dorsum eius, & insimul Domine firmasti locum riuulis, idest, aquis terræ, quia flumina, paludes, ac decursus aquarum terræ, ac maria voluisti, Domine, esse, & collocari sub firmamento, idest, in arida, ac terra stabiliri: vt vnda, idest, vt aqua, quæ est aut supra firmamentum, idest, in cælo, aut quæ est sub firmamento, idest, in terra, temperet, modificet, ac mitiget flammas, ardoresue, aut estum astrorum, ne illæ terram vrant: ac ne terræ solum dissipent, idest, ne fundamentum, ac substantiam terræ dissoluat, dissipet, ac dispergat. ¶ Magnificauit hucusque sancta nostra mater Ecclesia immensam Dei prouidentiam, quod omnia in sapientia fecit. Nunc autem quærit ea, quæ sibi sunt necessaria, videlicet, vt perpetuum diuinæ gratiæ munus sibi donetur, sic addens. *Infunde nunc piissime Donum perennis gratiæ: Fraudis nouæ ne casibus Nos error atterat vetus.* ¶ Ad præmissæ orationis nostræ, ad Deum habitæ, intelligentiam notandum est primo, quotuplex sit donum, seu gratia, quam à Deo hic petimus. Secundo videndum est, quid vetus error hic nobis insinuet, quid casus, & quid per nouam fraudem accipere debemus. Ad primum notabile dicimns, quod aduertendum est, quod in baptismo per aspersionem sanguinis Christi non solum remittitur culpa originalis, & actualis in adultis, sed etiam confertur fides, spes, & charitas in habitu, & gratia in actu, sed per peccatum licet non perdatur habitus fidei, & spei, tamen amittitur charitas,& gratia in actu, quæ quidem gratia nō potest recuperari, nisi per pænitentiam, nec est hic disputādum an charitas distinguatur à gratia, sed sufficit, quod charitas, vel est ipsa gratia, vel nunquā est sine gratia. Sed ista gratia est triplex, scilicet, incipiens, proficiens,& perficiens. Prima rectificat voluntatē nostram,& dirigit, vt velimus bonū. Secunda cooperatur, vt preficiamus,& exequamur. Tertia cōfirmat,& perficit voluntatem in sua operatione. Itē prima rectificat hominem. Secunda sanctificat. Tertia præmiat ad gaudium,& felicitatem. Donum ergo huius triplicis gratiæ, siue spiritum gratiæ perennis, sic dictę respectu perēnis, ac perpetui, & sēpiterni largitoris Dei;

Gratia triplex

Perennis gratia cur sic appellatur.

Dei; petimus hic nostris sensibus, ac visceribus infundi, seu dari: quod aut quę nos ad bonum dirigat: & cooperetur, vt proficiamus: nam gratia diuinum est adiutorium, creaturis gratis impensum ad quemcumque actum bonum, & vt perficiat voluntatem in bona operatione: ac vt tandem nos præmiet ad gaudiū, nec non, & ad perpetuam fælicitatem: quod nobis continget: si vetus error nos nunquam casibus nouæ fraudis atterat. Vbi aduertendum est, quod per veterem errorem, hic originalem primorum parentum culpā, seu originale peccatum, intelligimus: quæ, quodue error dicitur: quoniam post eam expulsi à paradiso extra eum errauerunt cum tota eorum posteritate, & nobis quoque inflictum fuit illud idem originale peccatum: vnde propterea nos quoque in eundem errorem incidentes dicimur adhuc exules, & filij Euæ. Verum quoniam sanguine Christi remissa fuit per baptismum; vt dictum est; nobis huiusmodi prædicta originalis culpa; & collatæ sunt nobis per eum virtutes, scilicet, fides, spes, & charitas in habitu, & gratia in actu: ideo per hanc gratiæ collationem nobis factam, reuocati esse dicimur in paradisum, & in statum innocentiæ, & gratiæ. Cum ergo nunc in statu gratiæ per sanguinis Christi aspersionem, & baptismum dicamur esse: merito poposcimus à Deo donum gratiæ perennis: quo sic in statu innocentiæ perpetuo perseueremus, ita vt nunquā amplius huiusmodi vetus error casibus, suggestionibusue, ac tentationibus nouæ fraudis, idest, Diaboli nos atterat, idest, iterum ad nihil, idest, ad peccatum redigat: quo errore contingat iterum nobis abesse, aut aberrare à Dei gratia. Ex supradictis ergo apparet hic casus, suggestiones, artesue, aut tentationes Diaboli significare: quibus suggestionibus, artibusque primum quoque decepit parentem, tentationibus vero Deum nostrum: (quando assumptum eum statuit supra pinnaculum templi:) tentauit. Per fraudem vero nouam, Diabolum similiter intelligere possumus: qui Adam decepit, ac arte fefellit eum: quoniam dicitur ipse habere mille nocendi fraudes, modosque. Et dicitur noua fraus, quo nos, qui nouum induti sumus hominem: vetus vero, quò ad fraudem illam retrofactam ipsi Euæ. *Lucem fides inueniat: Sic luminis iubar ferat: Vt vana cuncta terreat: Hanc falsa nulla comprimant.* ¶ Infunde, inquam, Domine quæso nostris sensibus gratiam spiritus sancti, vt fides nostra veritatem per eum cognoscat; & te veram lucem inueniat. Sed heu quot dicunt, se credere in Christo manere; & societatem habere cum Deo; & tamen fides eorum lucem non inuenit, quia in tenebris viuunt peccatorum, quia non fert splendorem veritatis fides talium, sed cuncta vana sequitur, & fal-

Gratia quid est.

Quid error vetus hic significet.

Quid per casus intelligamus.

Matth. 4.

c. visis. 16. q. 2.

Fraus noua quid.

ſa,& hæreſis ſidem comprimit. Nam moribus corruptis fere ſemper illis fides accomodatur. ¶ Ad præmiſſæ ergo orationis, quam hic ad Deum facimus, veriorem, & elucidiorem intellectum notandum eſt primo, quid hic per lucem, quid per lumen, & quid per iubar intelligamus. Secundo videndum eſt, quæ fugere, ac quæ nam vana terrere debeat fides noſtra, vt nulla falſa illam

Lux quid. comprimant, aut corrumpant. Per lucem ergo hic ipſam lucem perpetuam: quæ non ſolum lucere in ſe ipſa ſolet: ſed ſua præſentia quæcunque attigit, illuſtrare ſufficit, ideſt, ipſum Chriſtum, *Pſal. 42.* ac ipſam veritatem. de qua pſaltes: Emitte, inquit, lucem tuam, & veritatem tuam. &c. Pariter hic Chriſtum per lumen, per iubar *Lumen, & iubar quid* eius prædicationem, ac legis, & euangelij ſplendidam cognitionem, & intelligentiam nobis factam, ac nobis datam intelligere *Fides noſtra fugere quæ debeat* poſſumus. Vana vero, quæ fides noſtra fugere, ac terrere debet, ne corrumpatur ab aliqua doloſa, ac falſa lingua, & doctrina; puto eſſe ea omnia, quæ olim locuti ſunt homines quidam peſſimi, ac terreni. Namque locuti ſunt vana homines illi, qui dixerunt al*Geneſ. 11.* ter ad alterum. Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius cacumen pertingat vſque ad cælum: & celebremus nomen noſtrum antequam diuipamur in vniuerſas. Item vana ſecuti ſunt omnes inuentores artium magicarum, & omnes arioli, & hydromantici, & geomantici, & inuentores ſuperſtitionum, & fal*Sap. 13. & 14.* ſorum Deorum, vt patet ſap. 13. &. 14. Item vana minime terruerunt omnes falſi Iudices: & aduocati: & cauſidici; quia propter lucrum detinent litigia, & deſtruunt pauperes, & viduas, & pu*Matth. 12* pillos. Item vana ſequuntur poetæ, qui ad mulcendas aures hominum, confinxerunt, & locuti ſunt falſa figmenta de falſis Dijs. Item vana ſecuti ſunt omnes oratores, & ſcriptores, & poetæ, qui, vt complacerent Principibus, & magiſtratibus, vt conſequerentur fauores eorum, multa falſa ſcripſerunt in hiſtorijs, & libris ſuis: ſicut Homerus de Græcis: Titus Liuius de Romanis, & Quintus Curtius de Alexandro. Item vana, & non ſincero corde locuti ſunt ſcribæ, & phariſæi ad Chriſtum: cum diebant: Magiſter ſcimus, quia verax es &c. Item illi quoque vana locuti ſunt, qui dixerunt, ſi hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum noſtrũ. Hæc ergo ſupradicta vana nunc fugere, & terrere quidem debet fides noſtra, & ab huiuſmodi abhorrere germanam, ac ſynceram fidem noſtram oportet, vt hęc falſa ſupradicta vana nullatenus opprimat, vitietue, aut corrumpat: quod ei contingeret, ſi ſupradictorum vana ipſa ſectaretur. Diuinam ergo lucem, & veritatem fides noſtra; omnium optima inueniat, cuncta iam diu vana, & ſuperſtitioſa

stitiosa explodat, vt luminis, idest, Christi prædicationem, & doctrinam, & veram sacrarum scripturarum eius elucidationem, & spiritualem intelligentiam, secura ferat, loquatur, ac prædicet ipsaquoque. Nec vsu veniat vnquam, vt hanc sanctissimam fidem nostram aliqua falsa dogmata, aut falsa aliqua hæreticorum doctrina, qui vt se verum dicere mentiantur, vera falsis solent permiscere; opprimant, maculent, aut vitient. Hæc etiam omnia supradicta mala Diabolus solet subministrare: quoniam ei fides nostra multum displicet. Ipsa enim ostendit, eum nullius esse creaturæ Deum, sed solum mali authorem, & propter suam culpam, eum iam esse iudicatum. Vnde Ioannes: Princeps, inquit, huius mundi, iam iudicatus est. Amplectamur ergo omnes hanc arborem fidei: quoniam per eam Diabolo resistitur. Nam Archiapostolus monet nos, dicens: Cui resistite fortes in fide. & Marchus: Dæmonia, inquit, eijcient. Fidem ergo habeamus viuam, fidem teneamus, fidemque custodiamus, quæ secundum Chrisostomum, est religionis sanctissimæ fundamentum, charitatis vinculum, amoris subsidium, hæc sanctitatem firmat, hæc castitatem roborat, hæc dignitatem exornat, in pueris splendet, in iuuenibus floret, in prouectis apparet, hæc gubernat sexus, hæc gradus prouehit, hæc officia cuncta custodit, fides amicitias seruat, collegia copulat, artes commendat, fides nullum despicit, nullum contemnit, fides mandata tenet, præcepta seruat, promissa consummat, fides familiares efficit Deo, amicos constituit Christo, cui me miserum peccatorem nunc, & in hora mortis meæ commendo. Amen.

Hereticorũ propriũ *Ioan. 16.* *Fide resistitur Diabolo.* *Fidei magna laus.*

Feria Tertia ad Nocturnum Matutinas Hymnus Quartus.

Consors paterni luminis:
Lux ipse lucis, & dies.
Noctem canendo rumpimus:
Assiste postulantibus.
Aufer tenebras mentium:
Fuga cateruas dæmonum:
Expelle somnolentiam:
Ne pigritantes obruat.
Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus:
Vt prosit exorantibus:
Quod precinentes psallimus.
Præsta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

Videor mihi videre hic Ester quandam, illam dico, quæ & non vocata ad Regem sponsum suum Assuerum accedere non timuit, *Ester. 5. & 7.*

muit, & pro populi sui salute, cui mortem intendebat Aman, alloqui non dubitauit: nã Regis nomen interpretatur Princeps: Aman vero tumultuans, quæ nomina propria, & Domino nostro Iesu Christo, & Diabolo hosti nostro conueniunt. Ester autem ista exploratio medicinæ interpretatur. Et quæ nam est; quæ ita pro filijs medicinam quærat; sicut mater nostra sancta Ecclesia? quæ materna sollicitudine de nocte consurgit, nec ad alium fine; nisi ad sponsum suum Christum accedit, & nominobus quibusdam proprijs illum inuocat, prout cognoscit, filios suos tali egere medicina, vt in isto hymno licet videre. Quia contra tenebras lumen quærit, appellat sponsum non solum consortem luminis, sed & lucem ipsam, & diem lucis, q. d. cum tibi hæc nomina; ò sponse, conueniant, medicinam quam filijs quæro: negare non potes. Nec miror, quod hanc etiam medicinam de nocte quærat: non enim ignorat, quod Dominus in Apocalypsi dicit. Vtinam aut frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, ideo incipiam te euomere ex ore. Vnde ipsa, ne à Deo filij sui ob frigiditatem, & ob paruum amorem boni enumerentur: postposita omni tarditate velociter, ac strenue è stratu suo etiam de nocte, exurgit, & excitare properat nos filios eius, & dicit. Eia filij: ne, vt tepidi, ac pigritantes, obruamini aut à facie Dei abijciamini, surgite, ac consortem paterni luminis sic orate, dicentes. *Consors paterni luminis: lux ipse lucis, & dies. Noctem canendo rũpimus: Adsiste postulantibus.* ¶ In quibus, ac sequentibus ad filium Dei orationem facimus, vt nobis exorantibus eum adsistere velit. Secundo petimus à nobis auferri per eundem Dominũ nostrum tenebras, aut cæcitatẽ nostrarum mentium. Tertio petimus ita mundari mentes nostras: vt quod ab eo præcinentes petimus, prosit nobis ad vitam æternã. Secũda est ibi. Aufer tenebras mentiũ. Tertia est ibi. Sic Christe nobis indulgeas, &c. ¶ Igitur pro clariore horum primorum carminũ intelligentia notandũ est, quod filius Dei primo dicitur consors paterni luminis duabus de causis, quarũ prima est, quia filius Dei procedit de patre per generationẽ æternã, atque emanat lumẽ de lumine, ac vt lux de luce. Ait nãque sapiens; quod ipse est cãdor lucis æternę, & speculũ sine macula Dei maiestatis, & imago benitatis illius. Secũda ratio est, quoniã filius patri cõsubstãtialis est, & coessentialis, ideo cõmunicat cũ patre in lumine diuinitatis: vt eandẽ habeat lucẽ deitatis, est Deus pater lux, nõ tamẽ alia filius, sed omnino eadẽ. Quoniã lucis nomen hic naturã indicat, non personam. Secundo notãdũ est, quod idẽ filius Dei dicitur lux lucis, quia lux est de luce, quia ipse nõ est de se, sed à patre, vt Deus de Deo, & lumẽ de lumine. Tertio notandũ, est, quod idẽ Dei filius dicitur dies, quia huius mundi ipse

Apoc. 3.

Hymni diuisio & sũma.

Filius Dei dicitur cõsors paterni luminis

Sap. 7.

Filius Dei dicitur lux lucis, & quomodo.

Filius Dei dicitur dies, & quomodo.

est claritas

est claritas spiritualis cum suis sanctis actionibus,& operationibus, & doctrina (cœpit enim primo facere,deinde docere) opera huius lucis,videlicet Dei,demonstrauit: propulsa nocte peccatorum, errorum, ac superstitionum, lumen veritatis, & agnitionis veri Dei huic mundo manifestauit. Vnde merito propter hoc cœpit Paulus prædicare,& dicere nobis: Nox præcessit:dies autem appropinquauit:abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, idest,huius Diei æterni Christi. Quarto notandum est dum dicimus: Noctem canendo rumpimus;quod emphatice loquimur. non enim rumpimus noctem Deum laudantes,imo nox tunc,sicut dies illuminatur. Verum rumpimus commoda nostra carnalia. Quis enim ignorat,quam carnalis sensus laborem fugiat,quietem diligat? dulcem amet saporē,& sternere in lecto potius, quàm vigilare cupiat. Ad sensum ergo nostrum carnalem rumpendum; & propter carnis illecebras domandans à sanctis patribus matutinum officium,psallendo,& orando,fuit institutum. Quinto notandum est, quod mystice noctem canendo Deo rumpimus,cum venter extenuatur, pluma abijcitur,ac venus fugitur. Vel noctem rumpimus: quia peccatum nostrum laudibus,diuinis canticis, ac hymnis, & pœnitentialibus psalmis redimimus, & rumpimus, ac annihilamus. Vel rumpimus noctem,idest Diabolum:quia tunc Diabolus infringitur:cum à nobis bonis operibus intenditur. ¶ Vbi primum, Domine,permisisti,te à nobis inueniri, & adstare nobis te canentibus dignatus es. Nunc ergo: *Aufer tenebras mentium*: *Fuga cateruas dæmonum*: *Expelle somnolentiam*: *Ne pigritantes obruat*. ¶ Ad præmissę orationis veram elucidationem notandum est, quod hic tria à Deo postulamus,vt auferantur à nobis per eum: duo, quæ contraximus ab originali peccato,nempe,ignorantiam,seu ignorantiæ tenebras: & Dæmonum potestatem super nos:nam sicut Diabolus per se in principio expoliauit, & eripuit, & sauciauit Adam cum tota sua posteritate: Ita postea Diabolus conatus est hoc ipsum imperium super nos infestandi habere, & nos semper prosequi cum suis sequacibus. Tertium est,quod petimus,vt velit Deus somnolentiam à nobis pro pellere: ne ipsa nos sic pigritantes, & in ea dormientes demergat in profundo lacu. Quantum ergo super custodiam nostram stare compellimur,Dæmonum cateruæ nos docent:si tantum vnus potest Dæmon:Dæmonum cateruæ, siue chiliades quid poterunt?Hoc cognoscebat ille,qui Deo dicebat: Pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me.& ille alius deseri timens,dicebat:Non auertas faciem tuam à me, quia similis ero descendentibus in lacum, idest, dæmonibus. Sunt autem Dæmones spiritus impuri, humani generis

Rom.13.

Rumpere noctē qd. Matutinum officium cur ordinatū.

Nox quid signet.

Quid est, quod hic postulamus.

Iob.17. Psal.142.

Dæmones in malitia quales sint.

ris inimici,mente rationales, in nequitia subtiles, cupidi nocendi, pe superbiam tumidi,semper infraude noui,immutant sensus, inquinant affectus,vigilantes turbant, dormientes per somnia inquietãt, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis Angelos se transformant,secum infernum suum semper portant, in idolis sibi cultum diuinum vsurpant, super bonos dominari appetunt, magicæ artes per eos fiunt,bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur. Merito ergo rogamus, vt hanc malignam dæmonum pestem expellat Deus à nobis. Cęterum somnolentia mystice sumpta est accidia vnum ex septem peccatis mortalibus: quæ nihil aliud est,nisi torpedo circa rem diuinam ex conscientia exercendam. Vel est ignauia animi,& secordia. Vel torpor vitiorum: quibus vincimur, ac torpemus. Et siue temporalis, siue spiritualis sit, hæc somnolentia semper est fugienda in omnibus nostris operibus,maxime in diuinis celebrandis officijs,in quibus cum vigili,excitatoque corpore,etiam vigil animus Deo est exhibendus, ne nos sic somnolentos,& quasi pigritantes propter huiusmodi somnolentiam per Diabolum tunc tentemur, ac superemur, sternamurque ac obruamur magis in tenebris. *Sic Christe nobis omnibus Indulgeas credentibus, Vt prosit exorantibus,Quod præcinentes psallimus.* Ad intelligentiam similiter præfatæ huius orationis notandum est etiam (priusquam accedamus ad Deum orandum,vt aliquid ab eo petamus, & impetremus) quod statum gratiæ suæ procurare, ac quærere nos oportet,idest,prius nos operam dare,vt remissionem peccatorum à Deo potiamur,vt sic,quod psallentes, & præcinentes ab eo obtinere desideramus,nobis fiat,ac prosit etiam:vnde propter hoc dicebat fidelibus sapiens: Ante orationem,inquit,præpara animam,idest,munda,& laua animam tuam,vt quod petis à Deo,potiaris in sæcula sæculorum. Amen.

Somnolentia mystice quid.

Feria Tertia Ad Laudes Matutinas Hymnus Quintus.

ALes diei nuncius
Lucem propinquã precinit;
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.
Auferte,clamat, lectulos
Aegros sopore,desides:
Casteque recte,ac sobrie
Vigilate,iam sum proximus.
Iesum ciamus vocibus,
Flentes,precantes,sobrie.
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat:
Tu Christe somnum discute:
Tu rumpe noctis vincula:

Tu

Tu solue peccatum vetus;
Nouumque lumen ingere.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclyto,
Et nunc, & in perpetuũ. Amen.

TErtius dies est hodie,ex quo cœpimus Domino cantare.Sed heu hymno à nobis pertractando,notescit quantũ parũ proficiamus in re diuina. Et ni fallor,videtur mihi,imo Ecclesiæ sanctæ, axioma illud medicorum in nobis hodie verificari, nẽpe, quod grauissimus dolor vulnerum est in tertio die : sed quid loquor de medicorum axiomate?Moyses ille est,qui hoc dicit.Quando filij Iacob vendicanerunt stuprum sororis super viros Sichen,cum illi in dolo (persuasa circumcisione) die tertio, quando grauissimus est dolor vulneris; vrbem ingressi interfecerunt omnes.Dies ergo iste est dies doloris sanctæ matris Ecclesiæ ob nostram negligentiam . Nec dissimulare potest,quin & nobis, & sponso suo Christo illum demõstret. Nobis multis ostendit modis.& primo occasione ex brutis sumpta, cum de alite mentionem facit,sicut aliquando fecit etiam & sponsus Christus:quando ex hirundinis,& milui similitudine ignorantiam arguebat Iudæorum. Secundo ex voce sponsi, excitantis, cum ait: *Auferte,clamat,lectulos.*Tertiò ex fine:ad quem Christus sponsus nos vocat,nempe ad vitam.Et vt nos moueat, & verecundiam incutiat ex longa nostra ignauia,propria depromit sponsi verba , in exprobrationem infinitæ negligentiæ nostræ resonantia . Quæ verba magnam emphasim secum portant : & nisi insensati , & vt lapides stupidi simus,ægritudinem nostram,soporem,& desidiam,incontinentiam,prauitatem,crapulam, & somnolentiam nobis improperare aperte cognoscimus: & nisi immutemur,& in melius vitam,moresq; reformemus: se proximum nobis esse ad vlciscendum minatur, ait enim:*Vigilate,iam sum proximus*. Si ergo sapimus,audiamus piam matrem,admonentem id, quod nobis est reliquum:nempè: *Flentes, & precantes saluatorem*, nos inuocare debere : vt sit proximus nobis ad miserendum,non ad vlciscendũ:& hoc erit,si sobrij à rebus transitorijs fuerimus. sic igitur retenta præpositi animalis occasione , ac voce prædicti sponsi,per Prudentium huius cantici cantorem, & huius hymni hymnetem ; supradicta hæc omnia nobis demonstrat, dicens ,*Ales die nuncius, Lucem propinquam præcinit: Nos excitator mentium,Iam Christus ad vitam vocat,*&c. ¶ In quibus, vt præfatum est,dolet sancta mater Ecclesia ob nostram negligentiam,& somnolentiam longam,quam acriter reprehendit,& exprobat. Vnde ideo vocat nos primo,vt surgamus ad Deum laudandum , quia iam dies adesse festinat,quem prænunciat galli cantus , ac quia mentium excitator

Gen. 34.
Hier. 8.
Hymni huius Author

citator

Hymni divisio, & summa. citator Christus quoq; ad vitã vocat. Secũdo hortatur nos (quia clamat Christus, Auferte lectulos) vt caste, recte, ac sobrie vigilemus. Tertiò hortatur nos: vt Iesum, & Saluatorem in istis vigilijs inuocemus, flentes in eis, & precãtes, vt saluet nos, & muniat. Quarto oramus eundem Dominum Iesum Christum, vt huiusmodi nostram somnolentiam ipse omnino à nobis tollat: & vincula noctis rumpat: ac tandem nouum in nobis lumen infundat, quo non in nocte amplius, & in tenebris: sed in die honeste ambulemus. Secunda pars est ibi. Auferte clamat lectulos. Tertia est ibi, Iesum ciamus vocibus. Quarta est ibi. Tu Christe somnum discute. ¶ Ad singulorum ergo verborum præmissorum intelligentiam videndum est primo, quid hic per alitem intelligamus secundum literam. Secundo videndum est quid mistice nobis designent primum, & secundum carmen. Tertio videndum, quomodo Christus mentium nostrarum excitator vocet nos ad vitam. Per alitem ergo hic accipiendus gallus gallinaceus, qui ales est sic dictus, vt aliæ volucres: ab alis gerendis, quia alas habet, & alta ascendit: cui id natura inditum est, vt tanquam diei prænuncius, eius aduentum denunciet. Vnde versus de eo hic dicitur, scilicet. Excubitorque diem cantu prædixerat ales. Sicut ergo Gallus diei nuncius & excubitor lucem eius, siue aduentum præcinit, prænunciatque cantu suo: ita Christus, qui est mentium hominem excitator, præcinit, prænunciatque vitam, ad eamque nos vocat, adde ęternam. Sed mystice per alitem possumus intelligere Ioannem Baptistam, Prophetam, ac alios etiam prophetas, item, & Apostolos, Doctores, ac Prædicatores. Per diem vero æterna vita hic signari potest. Nam plerumque secundum beatum Gregorium, in sacro eloquio, diei appellatione, æterna mansio, & patria æterna designatur. vel per diem Christum significari: quemadmodum per lucem hic positam, ipsum designari dicimus; teneamus: vt prædictorum verborum huiusmodi sit sensus. Ioannes Baptista præuius dies idest, nuncius æternæ vitæ, vel diei, idest, Christi præuius, præcinit, prædicat, lucem propinquam, idest Christum aduentare ad generale iudicium: qui Christus in hoc mundo existens nostrarum mentium excitator, nunc nos vocat ad vitam æternam, capiendam, per vigiliam, sobrietatem, ac castitatem nostram adipiscendam, ac parandam. Ceterum excitator mentium Christus dicitur: quoniam cum in mundum venire dignatus est primo in mentem nostram, ac mentium omnium hominum excitatorem esse: maxime etiam quando mens nostra per eum, & per gratiam suam illuminatur ad cognoscendum Deũ, dicitur excitator mentis nostræ: imo ipsa mens nostra non est sufficiens, secundum Paulum, cogitare aliquid

Ales vnde dicitur, et eius natura.

Li. 9. Mor. cap. 3.

Dies mystice quid.

2. Cor. 3.

quid à se: sed sufficientia nostra ex Deo est, Vnde proinde discipulos monuit etiam, dicens: cum autem tradent vos, nolite cogitare quid, aut quomodo respondeatis: tunc enim docebit vos Deus, quando vos oportet loqui: non enim vos estis, qui loquimini, sed &c. Vocat vero nos Christus non tantum exterius, & per legem, & prophetas, Apostolos, Euangelia, ac predicatores: verum, & interius, stans ad ostium, & pulsans cor nostrum: vt illud contritum, & humiliatum per pænitentiæ sacramentum reddat, ac ad vitam nos adducat æternam. Et hic circa hunc vltimum versum notare possumus, quod Deus vocat nos ad se septemplici voce: prima est auctoritas scripturarum, sicut princeps, vel index vocat subditum per literam, aut epistolam, iuxta illud: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Secunda vox est species creaturarum, sicut vocat amicus amicum per signum. psal. Cæli enarrant, idest, ostendunt gloriam Dei, scilicet potentiam, sapientiam, & bonitatem, & opera manuum eius, idest, quàm mirabiliter operetur, annunciat, idest, ostendit firmamentum per suì reuolutionem. Tertia vox est Doctorum, sicut vocat aliquis alium per nuncium. prouer. 9. & misit ancillas, glo. predicatores, vt vocarent ad arcem, idest, ad cælum. Quarta vox est diuina inspiratio, sicut homo vocat amicum propria voce Iob 4. Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susuri eius. Quinta vox est collatio beneficiorum, sicut venator vocat auem, ostendendo cibum. Cant. 11. vox tua dulcis. Sexta est immissio flagellorum, sicut vocat mater puerũ, ostendendo, & mouendo virgam. Abacuc. 4. Audiui, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Isaias. 21. Horrui cum audirem. Septima vox est reuelatio angelorum: vt enim probat Dionysius cap. 4. cælæstis Ierarchiæ, reuelationes diuinorum perueniunt ad homines mediantibus Angelis. Apoc. 14. Vidi alterum angelum volantem, &c. *Auferte, clamat, lectulos; Aegros sopore desides: Caste recteque ac sobrie Vigilate; iam sum proximus.* ¶ Sententia istorum verborum, aut versuum prædictorum, non absimilis videtur illi, quam ore sacro Christus alias protulit: cum ad infirmum, triginta, & octo annos habentem, dixit: Vis sanus fieri? surge tolle grabatum, & ambula. Huic orationi etiam supradictæ videtur congruere illa Pauli ad nos admonitio, quę dicit. Non in cubilibus, & in pudicitijs dormiamus. Item: & illa alia Beati Petri, dicentis: Sobrij estote, & vigilate: similiter, & illa, quæ paulo post prædicti Apostoli verba subsequitur, videlicet. Hora est iam nos de somno, hoc est, de sopore, hoc est nos desides, ac dormientes: surgere, & ambulare, ac vigilare; Dominus enim prope est, idest, nobis proximus est, & adest nobis:

Matt. 10. *Quib. voc. nos Christus vocat.* *Apoc. 14.* *Nota.* *Ioan. 5.* *Matt. 25.* *Christus quomodo sit nobis proximus.*

nobis,ficut postulauimus supra eum adesse velle nobis, canentibus, ac postulantibus aliquid ab eo. vigilare vero spiritualiter dicitur, qui mentem suam à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit vt eo verius interna cognoscat;& tanto alacrius ad intima vigilet, quāto se ab exteriori quietitudine occultat.Proximus est, inquam, nobis Christus,vt sollicitet nos surgere e lecto, vt demus eius patri laudes,atque eas ipse audiat, & suscipiat, ac patri eas deferat. Aut proximus est nobis: quia incarnatus est de spiritu sancto ex Maria Virgine,& homo factus est.Vel proximus est,quia de proximo venturus est ad reddendum vnicuique secundum opera sua. Dicit ergo:O desides,& pigri sopore,idest,in somno;ac in operando:iam vestros relinquite lectos,homines ægros,& tristes efficientes: & in castitatem,ac iniustam rectamq; vitam,nec non & in sobrietatem, incumbite,& vigilate in orationibus,& hymnis,in psalmis,& canticis spiritualibus:quia dignatus sum vobis fieri proximus: quia vos me instanter postulastis superioribus noctibus,in alias vestris orationibus ad me, & ad patrem habitis: ideo nunc, qui sum proximus, hortor vos,vt auferatis lectos,idest, vosmetipsos tollatis (& ponit continens pro contento) de lecto vestro,& euigiletis ad orationes, quas ad patrem meum afferam. Sæpe ergo fratres præamandi, *Iesum ciamus vocibus:Flentes,præcantes sobrie.Intenta supplicatio: Dormire cor mundum vetat.* ¶ Ad intelligentiam horum præmissorum versuum videndum est primo, cur Iesum vocare hic iubemur à Matre Ecclesia: & quis sit iste Iesus, & quæ nam alia nomina ipse habeat. Secundo notandum,quod nam sit discrimen inter postulationem,& gratiarum actionem,ac quid sit supplicatio. Ad propositum primum ideo Iesum vocare hic hortamur:quoniam solus Iesus,quē colit Christiana religio,potuit reparare humanam naturā per gratiam, & gloriam,quam Adam dissipauit per culpam, & pœnam. Iesus ergo solus potuit humanam naturam reparare per gratiam, & gloriam,qui ipsam creauit bonam per naturam; sed Christus est illud verbum æternum filius Dei Patris: per quod verbum facta sunt omnia per naturam.Ergo ipse Iesus Christus Filius Dei potuit, imo de facto reparauit nos per gratiam,& gloriam. Hunc ergo Iesum semper inuocare tenemur:qui nos creauit,fecit,& reparauit, ac saluauit.Vnde ideo dicitur Iesus,inquantum est saluator,& reparator nostrorum omnium, & humanæ naturæ. Dicitur vero Christus, à chrismate,quasi vnctus. Ipse enim vnctus est æternaliter à Deo patre præ consortibus suis, & hoc nomen est oleum effusum. Hinc est quod in veteri testamento, Sacerdotes, & Reges Christi nuncupabantur:quia vncti erant vnctione temporali,iuxta illud psalmi: Nolite

Iesum cur tenemur inuocare.

Iesus cur sic nominetur.

Psal. 44.

lite tangere Christos meos, hoc est, patriarchas, prophetas, & sacerdotes. Item hic Iesus dicitur verbum patris: per quod pater ex tempore dixit, & creauit omnia creata ad extra. Item Christus dicitur filius æternus Dei patris, inquantum ab æterno est productus à patre per modum naturæ. Item dicitur veritas inquantum est imago patris æqualis, & ipsi per omnia similis. Item dicitur sapientia patris, inquantum est genitus, & productus de tota scientia, & memoria fæcunda patris: & per ipsum omnia sapienter disponit. Item dicitur lux æterna, siue lumen, inquantum est æternus patri, sicut lumen ipsi soli: & procedit à patre æternaliter, sicut lumen à sole: quia sicut nunquam fuit sol sine lumine, nec è conuerso: ita nunquam pater fuit sine filio, nec e conuerso. Et sicut lumen procedens à sole illuminat, & viuificat omnia; ita Christus illuminat & viuificat omnia, & maxime omnem hominem venientem in hunc mundum. Item dicitur ars patris, in quantum in eo ab æterno continentur ideæ, & rationes omnium rerum creatarum, ad quarum instar ex tempore facta sunt omnia. Item dicitur vita per essentiam, & quia omnibus influit esse, & dat vitam naturaliter, & sapienter omnibus dat vitã gratiæ, & gloriæ. Item dicitur lux ęterna, inquantum ab ęterno omnia prouidit: & ex tempore omnia regit, & rite disponit. Item dicitur nomen Dei, per quod Deus pater notificauit nobis suam voluntatem. Est secundo loco aduertendum, quod supplicatio late sumpta, idem est, quod precum porrectio, ac ipse precandi Deum actus: obsecrationes vero sunt adiurationes pro rebus difficilibus: vt pro conuersione impij, & pro remouendis malis. Orationes vero sunt, vt quando iam conuersis virtutes, & dona orantur. Postulationes, vt quando iam iustis gloria cælestis oratur. Gratiarum actiones sunt, de omnibus, & pro omnibus hominibus, qui sunt constituti in sublimi dignitate. Iesum ergo ciamus vocibus, idest, vocemus requiramus, ac nosmetipsos ei commendemus, quia creauit, & fecit nos, ac redemit, vt perfectus Deus: quia sapiens est in condendo legem naturæ, quia fidelis est in promissis: quia neminem fallit, quia rectus, & iustus est in iudicando; tribuens vnicuique secundum opera sua. Vnde non solum nos, sed etiam omnes populi, propter ista quatuor tenentur illum inuocare, & semper magnificare, ac laudare corde, & ore: prętertim nos sacerdotes prę alijs flentes, ac dolentes nostris, ac populi nobis commissi, peccatis, hunc Iesum semper precari sobrie, casteque ac præter omnem ebrietatem debemus. Nam si sobrij erimus, profecto non dormiemus, quia cor nostrum crapula non grauabitur, nec cibo, potuue onustum erit: sed erit totum intensum, totum erectum in Deum: & sic per consequens intenta no-

Iesus Christus dicitur verbum patris.

Christus dicitur veritas Dei patris.

Christus dicitur lumen.

Christus dicitur vita.

Supplicatio quid.

Iesum inuocare tenemur propter multa.

ta nostra supplicatio,& precum nostrarum porrectio ad Deum, dormire cor nostrum mundum vetat. *Tu Christe somnum discute: Tu rumpe noctis vincula. Tu solue peccatum vetus: Nouumque lumen ingere.* ¶ Quasi dicat: amoue à nobis, ac deijce somnum, non solum dico temporalem;sed etiam spiritualem,idest, peccatum:& discusso à te, Domine, peccato nostro, ac nobis remisso:statim rumpe etiam noctis vincula,idest,Diaboli laqueos, & rete: quos laqueos Diabolus tendit in carne nostra,& sensualitate: qui laquei dicuntur fomes, & concupiscentia: quibus retiaculis capit animam nostram, & rationem per consensum. Vel vincula noctis, idest, inferni pœnas, quæ dicuntur nox:istis namque vinculis nos princeps tenebrarum ligat in inferno. Solue etiam Domine,peccatum vetus,hoc est fomitem, & concupiscentiam,in carne nostra per Diabolum inflictam, & omnem culpam originalem:vt istis fomite,& concupiscentia, non irretiatur anima nostra, & ratio per consensum in peccato. Et demum nouum lumen ingere,ac immitte,infundeque in nobis, seu in cordibus nostris,idest,spiritus sancti donum,& gratiam: quibus eijciantur vetera peccata nostra; nos vero reuocemur hoc lumine gratiæ diuinæ. Amen.

Nox quid signet.

Vincula noctis quid

Lumen nouum quid.

Feria Tertia ad Vesperas Hymnus Sextus.

Telluris ingens conditor,
Mundi solum,qui eruens,
Pulsis aquæ molestijs,
Terram dedisti immobilem.
Vt germen aptum proferens:
Fuluis decora floribus:
Fæcunda fructu sisteret:
Pastumque gratum redderet.
Mentis perustæ vulnera,
Munda vigore gratiæ:
Vt facta fletu diluat,
Motusque prauos atterat.
Iussis tuis obtemperet:
Nullis malis approximet:
Bonis repleri gaudeat:
Et mortis actum nesciat.
Præsta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto,
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

SI laborantes non haberent aliquantulum relaxationis,profecto sub onere deficerent. Nimia etenim arcus contractio ipsum frangit. Hinc est, quod sancta Ecclesia in vespertinis hymnis (in istis fastis diebus) oculos cordis suorum filiorum oblectat: semper aliquid noui diuini operis canendo, vt in his sese oblectantes, vires ad seruiendum Deo semper reparent: & fiduciam ad petendum sibi,

sibi, quæ sunt eis necessaria, quotidie, & continue adaugeant. Ecce, quod heri firmamẽtum factum inter cælestes, terrenasque aquas, diuidens cecinit. Hodie, quæ hactenus sunt acta in mundi creatione; quasi epilogando rememorat: quia multum prostratos animos nostros releuant diuina beneficia, sæpe ad memoriam reuocata. Vnde creatorem terræ Deum primo inuocat, qui illam ab aquis liberauit, molestiam inferentibus, immobilitatemque illi dedit. Dein de consequenter postquam respirauit (onere aquæ submoto) cantat præceptum, quod hodie ipsi terræ contingit, nempe, vt proferret aptum germen. In quo quidem præcepto, non est negligenter prætereundus diuinissimus; & nunquam satis laudatus ordo ipsius præcepti, Nam cum clarissima distinctione in isto hymno ipse cantatur. Primum ergo præceptum terrę fuit: vt germinet herbam, deinde lignum, postea flores, demum fructus, vt ex his brutis pascua, hominibus pastum redderet gratum. Quæ omnia etiam nunc videmus fieri. Vox enim tunc, ac primum illud præceptum, velut lex quædam naturæ facta est, & permansit in ipsa terra, generandi, fructificandique vim consequenter ipsa exhibens. Nam seruate, quæso, quam sint vera, quę dicimus: In generatione enim è terra nascentium, non ne generatio prima est? deinde cum prominuerint paululum, herba est? postea floribus adornatur? demum fructibus ornatur? Ex quibus postea pastus, pascuumque gratum capitur: & magna etiam ligna ita nascuntur, & crescunt, durescunt, floribus adornantur, ac demum fructus perferunt ad pascua, & ad pastum opportunos, & si longiore tempore, quam fœnum. Nam viriditas, & herbositas consimilis est omnium, quæ seruntur. Et hic noli præterire illorum damnare ignorantiam: qui putant solem esse causam earum rerum, quæ ex terra nascuntur: Quando hic vides terram, & germen eius sole antiquiorem: nam post duos dies (postquam germinauit terra) factus est sol. Verum sancta Ecclesia postquam magna opera cecinit, beneficiaque nobis præstita cantauit, transit deinde, analogia quadam, sicut semper fere facit, ad ea, quæ sibi ad æternam vitam agnouit non solum expedire, sed necessaria esse, & quodam non ineleganti tropo loquitur de anima, tanquam de adusta terra per se: ac nisi rore cælesti humectetur, sterilis, & infructuosa, & inutilis est, vel de vulneribus corporibus inflictis ex ignis adustione: quæ nisi humectentur, & refrigerantia pharmaca explicentur, moritur homo: ita anima ardore peccatorum maxime adusta, si non (gratia refrigerante) mundetur, foueatur, ac curetur, æternaliter interit. sed ne gratia Dei sit vacua in anima, oportet & ipsam suam afferre humectationem:

Nota.

Nota de terra, & sole.

Similitudo

ctationem: vt fiat vtile pharmacum; nempe: vt fletu facta diluat, idest, adustiones ex peccato contractas, lachrimis humettet: Noua euitet vulnera: opportuna se exhibeat facientem, quæcunque iusserit medicus ille cælestis magnus: qui magnum (vbi iacebat) ægrotum curatum venit, & ita obedienter obtemperet: vt sibi nociuis non approximet. Sed semper sibi sanitatem prospiciens propinquam gratuletur, mortisque telum fugiat: vt tandem sic in æternum viuat. Ait ergo sancta Dei Ecclesia. *Telluris ingens conditor: Mundi solum qui eruens: Pulsis aquæ molestiis: Terram dedisti immobilem.* & quæ sequuntur. ¶ Vbi in primis octo versibus, quemadmodum iam supra dictum est: opus tertiæ diei creationis mundi apte, congruenterque describitur à sancta iam dicta Dei Ecclesia: quod quidem feria tertia in isto hymno cantatur per eam, seu per nos ad officium vespertinum: quia mundi creatio tertiæ diei primorum sex dierum ordine, & nomine respondet. nam, vt sacra testatur Genesis, tertio die productionis rerum, iussu Dei congregatæ sunt aquæ in vnum locum; & apparuit terra, protulitque eodem die ea, diuino imperio, herbam virentem, & facientem fructum. In octo vero sequentibus carminibus: sumpta materia ab ipsa terra, seu à terræ fructificatione, deprecatur a vitijs ablui, & mundari per ipsius spiritus sancti gratiam. ¶ Ad istorum ergo quatuor primorum carminum euidentiorem intelligentiam, videndum est primo, quomodo terra appareat, ac stet in medio aquarum: & sic quomodo ipsa disposita fuerit abipso Deo inter maria. Secundo videndum est, quid sit illud, quod totam terram mundi efficit: & in quo ipsa constare dicatur. Tirtio videndum est, quid sit illud, quod efficit aquam; & in quo aquæ consistant. Quarto videndum est, quomodo terra immobilis esse dicatur. Ad propositum ergo, primo dicẽdum est, quod sapientissimus architector omnipotens Deus in principio creationis disposuit faciem terræ eleuando montes, declinando campos, & deprimendo valles infimas: in quibus congregantur omnes aquæ, à montibus per campos decurrentes; ex qua dispositione patet, quod terram causant, & efficiunt ipsi montes: qui licet nobis plures esse videantur: quinque tammen solum esse tenentur, & teputantur a sacris theologis, famosissimi nempe: Mons lunæ: Mons Tyle, Mons appeninus, Mons adulas, & Mons Athlas: vt dictum est, efficiunt, & claudeunt totam terram habitabilem nobis notam cum suis maribus: quorum duo claudunt eam ab aquilone, & meridie, & cæteri tres efficiunt terram mediam, & terminant, & claudunt maria inter eorum latera. Et sic tota dispositio terræ consistit principaliter in mõtibus, & vallibus, & campis decliuibus.

Matth. 8.

Hymni cã tor est Ecclesia.

Hymni diuisio & sũma.

Genes. 1.

Terraquomodo eruta sit ab aquis

Quinque famosissimi montes totam terram habitabilem.

Nam

Nam de necessitate inter montes causantur valles: & si montes sunt inter se valde distantes: tunc inter eos in talibus vallibus causantur cāpi plani: sed nunquam possunt esse tam plani, quin aliquantulum sint decliues versus medium illius vallis. Et hinc est, quod aquæ, fontanales emanantes ex lateribus, aut radicibus montium, semper percurrunt per campos decliues vsque ad medium, & partes, depressiores, & inferiores illius vallis. Et sic ex multis fontibus decurrentibus à montibus fiunt flumina in vallibus. Et quia omnes valles, vt plurimum, sunt decliues, & declinant vsque ad aliquam vallem infimam, non habentem exitum: ideo semper flumina decurrunt per valles, & campos decliuos vsque ad infimam vallem: & ibi congregantur multa flumina: ex quorum congregatione causantur maria: in quibus consistit aqua, quæ est sub firmamento. Ex quibus omnibus sequitur, quod supradicti quinque mōtes principales cum suis ramis, scilicet, duo extremi, & tres intermedij, efficiunt totam terram nobis notam habitabilem propter suam eminentiam, & eleuationem super valles. Item sequitur secundo, quod maria nil aliud sunt, nisi valles infimæ inter altissimos montes: in quibus congregantur omnia flumina, & omnes aquæ à montibus per valles, & campos descendentes, & decurrentes. Quidam tamen præsupponunt, quod omnia maria se contegunt: & quod oceanus est multo maior tota terra, & circuit eam vndique: & dicunt, quod terra est in quà, sicut pila leuis, siue sicut pomum in pelui plena aqua, cuius sola summitas apparet super aquam: & dicunt, quod hoc fecit Deus in principio. Nam cum tota terra esset tecta aquis, Deus diuisit partes aquarum, & mansit illa pars discooperta, & sicca ad habitationem hominum: sed quia aquæ partes non possent in se contineri, quin fluerent super faciem terræ: nisi terra esset eleuata, & inclinata à centro versus vnam partem cæli: ideo dicunt isti, quod centrum terræ non est centrum mundi: imo inclinatur à centro per attractionem quorundam stellarum, ad vnam partem mundi: sed ista positio non placet Iacobo de Valentia: quia est contra totam philosophiam, ac contra sacram scripturam. Quomodo vero terra sit immobilis, probat ipse Dauid, dicens: Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitnr in æternum. & rursus: Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Dicit ergo, ò ingens, ac constans, fortisque ac immense conditor, creator, & factor Deus vniuersi orbis, & consequenter telluris, idest, elementi terræ: qui eruens, exuensque, ac spolians, siue detegens solum mundi, idest, terram exuens ex aquis: pulsis partim aquis, terram operientibus: vel pulsis

Dispositio terræ in quo consistat.

Quid sit illud, quod efficit aquam.

Maria qd.

Nota.

Iacobus.

Immobilis est terra.

elementis, quæ valde erant aquis molestiæ: dum inter se essent confusa, & mixta: vastabant enim terram, reddebantque eam germinibus, floribus, & fructibus inhabilem, ac sterilem: terram dedisti immobilem, idest aridam fundasti immobilem. Terra enim suo fixo loco perpetuo quiescit: neque (quemadmodum a alia elementa) agibilitatem habet in propria sua sede, ac regimine. Est enim terra inter alia elementa infima, nigra, despecta, ponderosa, rotunda, elementis alijs circundata, mater fructuum, radix plantarum, nutrix animalium, ædificiorum fundamentum, mortuorum receptaculum, machinæ mundialis centrum, concludit in se infernum, frigida, sicca, opaca, corporis humani materia, seruat metalla, herbis, & floribus, vt supradictum est, ac arboribus suis decoratur, circa eam motu circulari cælum cum syderibus voluitur, ab hominibusque calcatur. Cur autem creauit Deus terram, subdit, dicens sancta Dei Ecclesia. *Vt germen aptum proferens: Fuluis decora floribus: Fœcunda fructu sisteret: Pastumque gratum redderet.* ¶ Ad maiorem præmissorum versuum intelligentiam notandus est primo ordo generationis eorum; quæ ex terra nascuntur. Secundo videndum est de quibus principaliter fructibus hic intelligere debemus. Quantum ad primum dicimus: quod eorum, quæ supra in præfatione diximus, reminisci nos oportet, videlicet: quod in generatione è terra nascentium generatio est prima: deinde germina; tertia herba: postea flores: ac demum fructus. Bene ergo dicit sancta Ecclesia: quod Deus pepulit aquas tegentes terram, & eam fecit esse immobilem, & habitabilem: necnon etiam generantem, germinantem, florentem, ac demum fructificantem ad conseruandam vitam hominis, puta, frumentum, vinum, & oleum. Isti enim tres principales fructus sunt valde necessarij ad communes vsus vitæ humanæ propter tres effectus, quos efficiunt in homine. Nam panis confirmat cor hominis, idest, fortificat, & sustentat. Nam cibus panis post famem, & inediam, restaurat, & deperditum viuificat: & vires hominis: quæ ex inedia deficiebant: sed potus vini refocillat, & lętificat cor hominis. Oleum vero est valde nutritiuum propter suam pinguedinem, & bonum humorem, & qualitatem. Ideo causat bonam complexionem in homine: ideo est valde vtile ad comedendum in omni cibo: & est penetratiuum in omni medela. De istis ergo principalioribus (licet & de alijs omnibus possit etiam intelligi) fructibus hic terram sistere, & fore fœcundã Deum voluisse, & sanctam Dei Ecclesiam intellexisse credendum est. Non solum ergo, ò Domine; ne aquarum vis terram inundaret; terminum posuisti: quem non transgredientur, neque conuertentur

Terra. *Ordo generationis nascentiũ ex terra.* *Tres terræ fructus.* *Panis.* *Vinum.* *Oleum.* *Psal. 103.*

operire

operire terra, verum, & illam arboribus, herbarum, florumque, ac fructuum varietate ornasti, venisque etiam metallorum, videlicet, auro, argento, aere, cupro, stanno, plumbo, & ferro; quòd omnia domat; donasti, & summatim fructibus, ac liquoribus dulcissimis quidem replecti: vt nobis ea sic prædictis bonis referta, ac fæcunda gratum semper daret pastum. ¶ Diuinam huc vsque laudauit Ecclesia virtutem, à qua iam beneuolentiam captauit, & quia illam beneuolam reddidit: ideo vertit se modo ad eam, vt mentem nostram, vitiorum æstu perustam, vegetet, humectet, ac innouet, dicens: *Mentis perustæ vulnera Munda virore gratiæ; Vt facta fletu diluat, Motusque prauos atterat.* ¶ Ad præfatæ orationis hic ob oculos nostros positæ, intelligentiam videre debemus primo, quæ nam sint mentis nostræ vulnera. Secundo videndum est, quid per virorem gratiæ hic accipere debemus. Tertio videndum est, quot, & quæ sint facta, quæ fletu diluenda sunt. Quarto cognoscendum est, quid per prauos motus hic intelligere possimus. Ad primum ergo dicimus, quod cum antiquus hostis Diabolus captiuat, & pertrahit mentem nostram ad luxuriam, aut rapit eam ad aliquam culpā, proculdubio tunc illam ferit, & vulnerat, & sic quoties illam ferit, & vulnerat, tot vulnera mentem nostram habere in se inflicta per Diabolum dicimus, qualia sunt, cogitatio mala, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas peruersa, infidelitas, indeuotio, præsumptio, desperatio, timor male humilians, amor male accendens, suspitio, ira, inuidia, odium, exultatio in aduersis proximi, contemptus pauperum, vel peccatorum, personarum acceptio, perfidia, affectus parentum carnalis, inepta lętitia, sæculi tristitia, impatientia, auaritia, superbia, obstinatio mali, tædium boni, accidia, inconstantia, pæna pænitentiæ; dolor, quia non fecit plus malum, hypochrysis, amor placenti, verecundia de bono opere, amor priuans, sensus singularis, ambitio dignitatum, vanagloria de bonis naturæ, vel fortunæ verecundia, quæ omnia sunt mentis nostrę, idest, cordis nostri vulnera; quæ eam, & animam nostram, vulnerant, & grauiter sauciant: iccirco hic per virorem, ac rorem, siue humectationem gratiæ spiritus sancti, ea sanari, humectarique, ac refrigerari petimus, vt posthac mens nostra, non amplius sterilis aut saucita peccatis, & sic infructifera; rore, seu virore spiritus sancti vegetetur, reuiuiscat, & innouetur, vtilisque fiat, diluendo, nempe, flectu, ac gemitu, facta, idest, commissa peccata magis hic in mundo, quam in purgatorio. Facta autem, quæ hic fletu diluere debemus, accipi possunt omnia operis peccata. Nam supra petiuimus sanari peccata cordis, hic vero commissa, idest, operis peccata

Nota. Ferrum.

Viror spiritum sāctū signat.

Diluere facta, & purgare operis peccata.

cata expiari rogamus, qualia sunt, gula, luxuria, ebrietas, simonia, sortilegium, violatio dierum solemnium, sacrilegium, indigne communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in diuino officio, scandalizare suo malo exemplo proximum, & corrumpere, lædere hominem, vel in rebus, vel in persona, vel in fama, furtum, rapina, vsura, deceptio, ludus, venditio iustitiæ, exactio indebita, auscultasse mala, ioculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, vel vltra vires proprias quiddam aggredi, simulatio, tenere officium, ad quod quis non sufficit, vel quod sine peccato non agitur, chorizare, maioribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu, lucta, osculis, muneribus, itineribus, mendacijs, scripturis, circumstantias aggrauantes omittere, quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, scientia, ętas: tentationem præuenire, se ipsum ad peccatum cogere: A quibus omnibus cauere nos in futurum debemus. Et quæ facta in nobis inueniuntur, fletu, & gemitu, ac lachrimis statim diluere, ac emendare festinemus: rogantes insuper Deum, vt posthac motus nostros atterat, hoc est, voluntates nostras moderetur, & sensualitates, seu concupiscentias, voluptates, ac cogitationes nostras omnes, inducentes nos ad prauos, & malos actus, aut ad mala facta, aut ad mala opera, refrenet: vt omnino iusti mente, & corpore, hoc est, cogitationibus, & operibus, euadamus. Et taliter atterat, vt refrenet Deus motus nostros, seu mētis nostræ: Vt ipsa *Iussis suis obtemperet: Nullis malis approximet: Bonis repleri gaudeat: Et mortis actum nesciat.* ¶ Mens igitur nostra adimpleat Dei præcepta, nempe, legis gratiæ, ac legis canonicæ. Fugiat insuper peccata, scilicet, capitalia, superbiam, inuidiam, auaritiam, gulam, luxuriam, accidiam, & iram, & alia huiusmodi. Gaudeat vero repleri bonis, quæ ex obseruatione præceptorum haurit, & capit, scilicet, fide, spe, ac charitate: nam ex obseruatione mandatorum Dei repletur homo istis bonis. Demum nullum mortis, idest, peccati, actum mens nostra sentiat, sed semper actum huiusmodi fugiat. ¶ Verum ad abundantiorem prædictorum versuum intelligentiam, videndum est, quæ sunt mala: quibus mens nostra approximare non debet. Secundo notandum est, quæ nam sint bona, quibus prædicta mens repleri debet. Tertio notandum est, quando mens nostra mortis actum scire dicitur. Principaliter ergo à quatuor periculis, seu à quatuor malis, sibi cauere mens nostra, seu anima nostra debet, à quibus ipsa læditur: quæ designantur per quatuor animalia, in hoc sequenti versiculo memorata: quæ sunt, aspis, basiliscus, leo, & draco: quorum nomina gerit Diabolus.

Motus quid.

Præceptorū tria sunt genere.

Peccata capitalia quæ, & qua.

Quatuor mala à quibus anima læditur.

Diaboli nomina.

bolus. Nam ipse dicitur aspis, inquantum reddit hominem surdum, & cæcum per peccatum; nam ponit caudam vitiorum in aurem hominis, ne audiat vocem incantantis sapienter, ideſt ne audiat exhortationes, & doctrinam euangelicam. Huic ergo beſtiæ non approximet mens noſtra. Dicitur Baſiliſcus, inquantum inducit luxuriam, & inficit concupiſcentiam hominis, & incitat ad luxuriam. Dicitur leo, inquantum incitat ad iram, & ſuperbiam. Dicitur Draco, inquantum incitat ad auaritiam, & ad ambitionem: quæ omnia deuorant hominem: ideo eis nullatenus approximet, ſed magis ſtudeat bonis repleri cæleſtibus, ſpiritualibus, ac temporalibus, hoc eſt, gloriæ, ac fortunæ. Vel gaudeat bonis repleri, ſcilicet, ſummis bonis, ac medijs: ſummis, ſcilicet, fide, ſpe, & charitate: medijs philoſophia, ſcicet, doctrina, ac curationum virtute ac huiuſmodi: quæ ita inter vtrumque ſunt poſita, vt aliquando per hæc ſola æterna patria, aliquando vero gloria terrena acquiratur. Vel gaudeat repleri bonis, ſcilicet, donis, ſpiritualibus, & animæ virtutibus; aut bonis, ſcilicet, operibus: vt ſic bonis operibus intenta, non cogitet illicita, & nefaria concupiſcant. Cum enim mens noſtra huiuſmodi cogitat, & concupiſcit, mortis actum experiri dicitur, ideſt, moritur: ſed talis mors vocatur potius dormitio, quam vera mors: ſi vero malum, quod intus cogitauit, foris oſtendat, & in effectum perducat, non ſolum mortua eſt; ſed etiam per peccatum ab Eccleſia ſeparata, & in perditione proxima eſt. Verum quando peccatum aliquod magnum commiſit, & multo tempore in eo perſeuerauit, non ſolum mortua eſt; ſed iam fœtet, & eius turpiſſimam famam audire abhorret ſancta Eccleſia.

Quibus bonis repleri debet mens noſtra.

Mens noſtra quando mortis actum experiatur.

Feria Quarta ad Nocturnum Matutinum Hymnus Septimus.

Rerum creator optime,
Rectorque noſter aſpice:
Nos à quiete noxia
Merſos ſopore libera.
Te ſancte Chriſte poſcimus:
Ignoſce tu criminibus,
Ad confitendum ſurgimus;
Moraſque noctis rumpimus.
Mentes, manuſque tollimus:
Propheta ſicut noctibus,
Nobis gerendum præcipit;
Pauluſque geſtis cenſuit.
Vides malum, quod geſſimus:
Occulta noſtra pandimus:
Preces gementes fundimus:
Dimitte, quod peccauimus.
Præſta pater piiſſime,
Patrique compar vnice,
Cum ſpiritu paraclyto,
Regnans per omnē ſæculū. Amē.

ECclesia nostra Apostolica, cui spiritus sanctus præsidet, & quã non per aliud genus ministrorum gubernat, quam, per Apostolicum: ab eo illuminata, agnoscens, quam caliginosa, quam tenebrosa, & quam calamitosa sit illa vita, in qua homines in tenebris, & cæcitate peccatorum ambulant, ac permanent: considerans similiter, quam perniciosus, & detestabilis ac damnabilis sit status ille, in quo Deus non cognoscitur, vel parum eius cultus, siue religio colitur: nocte intempesta omnes rumpens moras, surgens ipsa, profunde deprecatur Deum; vtens sanctorum exemplis; quos ipsa nouit à Domino exauditos esse: & nobis dictis, factisque prece pisse; vt in ipsa litera hymni patet: ipsa, inquam, suorum filiorum nõ immemor, imo continue eorum salutem sitiens (nõ enim latet eam, quam dulcis sit cum Christo suo, iucundusque, ac salutaris status, & perfectionis, & gratiæ) hortatur nos, vt ad confitendum Deo, & purgandum lachrimis vitia, surgamus: vt sicut à somno corporis excitamur hoc nocturno tempore ad Deum laudãdum, ita eius gratia expergiscamur à somno peccati, ac bonis operibus inuigilemus, & ait. *Rerum creator optime: Rectorque noster aspice: Nos à quiete noxia Mersos sopore libera.* & infra. ¶ Vbi, & in quibus omnibus; si bene totius hymni huius literam, ac totam eius vitam, & medullam considerimus, inueniemus, quod in eo describitur à sancta Dei Ecclesia per Beatum Ambrosium huius cantici cantorem, & authorẽ, vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ, quod est pernecessarium illud sacramentum pænitentiæ. Nam illo detegitur in primis cordis contritio vbi, dicitur: Mersi sumus sopore, o Domine, aspice, & libera nos a quiete noxia. Dispicitur secundo oris confessio. cum subsequimur: ad confitemdum surgimus. In sequentibus vero operis describitur satisfactio. ¶ Ad intelligentiam ergo istorum quatuor versuum videndum est, quomodo Deus noster sit omnium rerum, idest entium, & naturarum creator. Secundo notandum est. quomodo sit rector noster. Tertio dicendum est, quid hic, aspicere, signet. Deus ergo ad solum præceptum sine aliquo ministro fabricam omnium rerum, ac totius mundi per se ipsum ex nililo fecit: quia ipse dixit, & facta sunt omnia per verbum suum, nec eius aliquis consiliarius fuit. Nam sicut ab æterno pater dicendo ab intra producit verbum, & ambo spirando producunt spiritum sanctum, per actum voluntaris, ita pariter pater, ex tempore dicendo, ad extra, per verbum suum produxit, hunc mundum visibilem, & rerum omnium vniuersitatem, & pater, & verbum spirando super omnia creata, per spiritum sanctum produxerunt ea in esse essen-

Hymni huius Author.

Hymni diuisio & sũma.

Deus omnium rerum creator est.

essentiæ. ¶ Similiter omnipotens Deus, qui est omnium rerum creator, dicitur etiam Rector. nam Deus, siue Dominus dicitur à dominando, quod idem est, quod totam domum disponere, regere, & gubernare ad suam voluntatem, & arbitrium, & propter seipsum mouere, & ideo procurator, aut filius non dicitur dominus domus: licet totam domum disponat, & regat, & gubernet: sed quia hoc non facit propter se, nec ad nutum suum, sed ad nutum, & præceptum, & ad voluntatem domini domus, & patrisfamilias: ergo solus ille, propter quem, & ad cuius nutum fiunt omnia, dicitur dominus domus, & rector, & gubernator. Quia ergo solus Deus per se gubernat, & regit vniuersum: à quo dependit cælum, & tota natura in essendo, & gubernando: ideo solus Deus, & dominus est vniuersi gubernator, & rector. ¶ Vltimo aduerte, quod aspicere hic nihil aliud volumus significare, quam misereri. Aspicit enim Dominus, quando miseretur. Vnde illi dicitur à Propheta. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Sic etiam, & Petrum negantem dignatus est Dominus respicere. Aspexit sic, & populum suum Aegyptiaca seruitute depressum, vt eriperet, dicens ad Moysem. Videns vidi afflictionem populi mei: qui est in Aegypto, & gemitum eius audiui, & descendi, vt liberem eum. Dicit ergo litera: O rerum omnium, idest, entium, & naturarum, creaturarumue omnium creator, ac rector, aspice nos, & miserere nostri Domine: & nos sopore, hoc est, in peccato inuolutos diu (dormire namque, seu sopore mersum esse, est in peccato iacere, secundum Beatum Gregorium: si enim somni, seu soporis appellatio culpa non esset: nequaquam Paulus dixisset discipulis: euigilate iusti, & nolite peccare) libera, & educ nos ab huiusmodi quiete noxia inutili, ac mortifera. ¶ Amplius non contenta sola contritione sancta nostra mater Ecclesia, transit modò ad aliam partem sacramenti prædicti pænitentiæ, quæ est confessio: nam vbi est taciturnitas oris, ibi non est speranda venia criminis. cap. quis aliquando. de pænit. dist. 1. Ideo genuflexa ante Deum dicit: *Te sancte Christe poscimus: Ignosce tu criminibus: Ad confitendum surgimus: Morasque noctis rumpimus*. ¶ Ad intelligentiam huius præfatæ nostræ orationis notandum est primo, quot modis Christus dicitur Sanctus. Secundo aduertendum est, quodnam discrimen sit inter peccatum & crimen. Tertio obseruandum quotuplex sit confessio. Et quidem Christus tripliciter dicitur sanctus naturaliter quoad humanitatem, primo ratione corporis à spiritu sancto formati. Secundo ratione animæ cum plenitudine omnis perfectionis, & virtutis, & gratiæ creatæ, & vnctione, & spiritus sancti prę consortibus suis creatæ. Tertio ratione vnionis personalis

Rector Domini & quomodo.

Videre, & aspicere quid significent.

Psal. 24.

Exod. 3.

Lib. 8. moral. cap. 1

1. Cor. 5.

Tripliciter Christus dicitur sāctus.

Nota.

nalis ad verbum,quod eſt ſanctum eſſentialiter:& ideo iſtud nomen Dei ſcilicet,verbum incarnatum dicitur ſanctum, non ſolum ratione humanitatis aſſumptæ, cuius pars ſemper fuit, & eſt conformis diuinæ voluntati,& caro ſemper fuit conformis, & ſubiecta rationi: & ſic ſemper Chriſtus fecit voluntatem patris: de quo dixit Dauid: *Pſal. 39.* In capite libri ſcriptum eſt de me,vt facerem voluntatem tuam &c. Et ſic ſicut ſolus Chriſtus, ſecundum humanitatem, eſt naturaliter liber à culpa,& morbo ipſius Adam: ita ſolus eſt naturaliter ſanctus etiam ſecundum humanitatem.Ideo de humanitate Chriſti ſancta dicitur pſal.98. Adorate ſcabellum pedum eius:quoniam ſanctum eſt.& ſic patet,qualiter nomen Dei, quod eſt verbum incarnatum, eſt ſanctum,& non ſolum,quoad diuinitatem,ſed etiam, quoad humanitatem: & ſic quoad vtrumque dicitur nomen Dei ſanctum per *Pſal. 110.* totam ſcripturam,& etiam omnipotens:vnde pſal. Sanctum, & terribile nomen eius. ¶ Quantum vero ad ſecundum propoſitum notatur in regula.peccatum.de reg.iur. in 6. quod peccatum conſiſtit in faciendo:quia dicitur prauus actus. Sed delictum dicitur deſertio boni:& dicitur delictum,quaſi derelictum. Crimen vero eſt peccatum graue & accuſatione,& damnatione dignum;& dicitur illud quod poteſt deduci in publicam accuſationem,& in foro contentioſo poteſt puniri:vt eſt crimen hæreſis:crimen læſæ maieſtatis, ſacrilegij,ſimoniæ, periurij,vſuræ,adulterij,& huiuſmodi: de quibus 12. q. 2.in ſum. & 75. diſt. cap. 1. Vltimo dicimus, triplicem eſſe confeſſionem,ſcilicet, fidei,laudis,ſiue beneficiorum, & peccatorum. Prima,ſcilicet,confeſſio fidei continet in ſe totam legem Dei,& obſeruantiam legis:& per conſequens ſacramenta Euchariſtiæ,& oblationem eius.Et confeſſio laudis,ſeu beneficiorum præſupponit confeſsionem fidei; quia in tantum laudamus Deum, memorando eius beneficia,in quantum ipſum credimus eſſe omnipotentem, & creatorem,& redemptorem,& glorificatorem,ſicut in lege memoratur. Item confeſſio peccatorum præſupponit etiam confeſsionem fidei: Nam in tantum corde contrito,& humiliato confitemur peccata noſtra,inquantum per merita paſsionis Chriſti, & virtute ſacramenti pænitentiæ veniam credimus conſequi ex Dei miſericordia:ſicut in lege promittitur nobis. De hac ergo tertia confeſsione peccatorum, ſcilicet, non perperam hic dicemus fari ſanctam Eccleſiam: tum propter ea, quæ ſupra in litera hymni dicuntur:tum etiam propter ea,quæ ſequuntur. Nam dicit ad confitendum ſurgimus, ideo ignoſce criminibus:ecce,quod ſua confitetur peccata. Ex hac ergo hymni hiſtoria, diſcamus,fratres præamandi, ſollicite procurare (poſtquam peccati vulnera accepimus) medelam,& ſanationem vulne-

Cap. peccatum de reg.iur. in 6.

Differentia inter peccatum & crimen.

Triplex confeſſio.

vulnerum:& nunquam dormiamus in peccatis. nam inquit Ecclesiasticus: Festina, ne tardes conuerti ad Dominum;& ne differas de die in diem. Præterea audi Beatum Gregorium: Qui enim, ait, vetera faciendo non detegit: nouæ vitæ opera minime producit. Qui nescit lugere, quod grauat: non valet proferre, quod subleuat. Ipsa námque compunctionis vis poros cordis aperit,& plumas virtutum fundit; cumque se studiose mens pigra vetustate redarguit, alacritate iuuenescit. Et Augustinus, Nescimus, inquit quando, aut quomodo, aut ibi moriemur: vbique enim mors nos expectat. Quid plura subdit, quanto maiorē morā fecerimus in peccato: tāto difficilior erit confessio:& confessio, quæ fit morte vrgente; & si non damnatur, vt mala: non est tamen Deo speciosa, sicut illa, quæ fit ex voluntate, & non necessitate: est enim velut confessio latronum, qui non confitentur mala sua, nisi prius tormentis tentata,& interrogata fuerint. ¶ Surreximus Domine,& ante te genuflexi *Mentes, manusque tollimus: Propheta, sicut noctibus: Nobis gerendum præcipit. Paulusque gestis censuit.* ¶ Propheta Dauid in psal. edocuit nos mentes, manusque noctu ad Deum tollere debere, cum ait: In noctibus extollite manus vestras in sancta,& benedicite Dominum,& alibi: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Sanctus quoque Paulus gestis, id est, operibus, actionibusue, aut dictis,& verbis, ac scriptis, nos similiter idem docuit, dicens: Hora est iam nos de somno surgere.& rursum: surge, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis. Notemus ergo ex isto primo versu, seu carmine, quod statim, atque surreximus de stratu, mentem, & cor nostrum ad Deum erigere debemus, iunctis, versus cælum, manibus, dicentes. O Christe, subleuamus, attollimusque ad te animam nostram, mentem nostram, ac corda nostra, nec non,& manus nostras, petentes à te Domine, veniam,& remissionem peccatorum,& gratiam tuam,& gloriam in futuro, sicut nouimus fecisse Dauid, & sicut Paulus nobis epistolis, scriptis,& factis indicauit, ac exemplis esse faciendum. Nam ipsi exemplum dederunt nobis, imo fiduciam sperandæ salutis: vt sicut ipsi, à te, ò Christe sancte; exauditi sunt: ita nunc nos miseri,& humiles,& ante te genuflexi exaudiri à te in tribulationibus, ac in somno peccatorum, fidimus,& speramus. Nota etiam hic non esse prætereundum, sed cum attentione meditandum, quantum externæ cerimoniæ, & nos ad deuotionem excitent, & Deum promptè ad exaudiendum inclinent, contra hæreticos modernos, qui derident huiusmodi manuum extensionem propter illud, perperam interpretantes Isaiæ: cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: quique tales damnant factas,& præceptas per sanctissimos

Ecclesi. 5. *Lib. 31. mor. c. 33.* *August. in psal. 100. & 101.* *Psal. 148* *Rom. 13.* *Cerimonia quid.* *Isai. 1.*

ctissimo Prophetas, & Apostolos, imo antonomatice per Prophetã, & Apostolum. Sed ipsi cæci hæretici non vident id, quod legitur in Exodo: quod cum Israel pugnaret aduersus Amalec in deserto, Moyses ascendit super verticem collis: cumque eleuaret manus, vincebat Israel: si vero paululum remisisset, Amalec populum superabat. Aron autem, & Hur sustinebant manus eius ex vtraque parte. Nec ipsi miseri cæci vident, quod legitur in 3. li. Reg. 8. vbi dicitur, quod Salomon stetit ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cælum orans pro populo, & ait: Domine Deus Israel non similis tui Deus, &c. Nec infælices cernunt, quod in Genes. ab omnibus legitur: Leuo, inquit, Abraam, manum meam ad Deum excelsum possessorem cæli, & terræ: O stulti non ne, & Isaias dixit: Manus remissas erigite: & genua debilia roborate. omnes ergo, ò præamandi fratres, siue Pontifex, siue alius sacerdos, siue laicus sit, aut alias clericus, dum incipit orare Deum, & orationem ante eum habere, eleuet, & extollat, extendatque manus suas, iuxta ea, quæ supra nos monere ad sic agendum videmus. Sentiant demum garruli isti, quod, & ille sacer Imperator Iustinianus ad Tribunianum dicebat. quod, inquit, nemo alius neque sapere, neque optare ausus est: res quidem nobis difficillima, imo magis impossibilis videbatur; sed manibus ad cælum erectis, & æterno auxilio inuocato eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui & res penitus desperatas donare, & confirmare suæ virtutis magnitudine potest. *Vides malum, quod gessimus, Occulta nostra pandimus: Preces gementes fundimus: Dimitte quod peccauimus*. ¶ Quasi dicat: Nunc Domine, potes iudicare, mala, quæ fecimus: iam enim patefecimus tibi illa, ac manifestauimus non secus ac Dauid; cum dixit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. & alibi: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non abscondi. Item non secus ac etiam ipse primus parens noster pandimus tibi hodie nostra peccata. Dixit enim Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Cum itaque prædicti patres confessione peccati meruerint veniam omnes, vt refert Sanctus Augustinus in cap. sicut primi. de pænit. dist. 8. sic nos etiam, qui non aliter, quam illi propalauimus nostra peccata venia, gratia tua, ac tandem gloria æterna nos dignare. ¶ Sed pro pleniore superiorum quatuor versuum intelligentia videndum est primò, quomodo Deus videt malum, quod gerimus. Secundo videndum est, quomodò peccata occulta dicuntur. Tertio videndum, quid sit peccare. Et cur hominem fecerit Deus, qui peccare posset. Quoad primum ergo aduertendum est, quod sex requiruntur ad hoc, quod aliquid cognoscatur, & videatur

[Margin notes: *Exod. 17.* — *3. Reg. 8.* — *Genes. 14.* — *Isai. 35.* — *Nota.* — *L. 1. C. de Vet. iur. enuc.* — *Psal. 50.* — *Genes. 3.*]

deatur

deatur à nobis. Primò, quod sit in tempore præsenti: & non sit remotum à præsenti: ideo non videmus, quæ fuerunt tempore belli Troiani:nec quæ fient cras Secundo, quod non sit remotum nimis à loco nostro:ideo non videmus quæ sunt in Persia,& India:& etiam si terra poneretur in cęlo,non videremus eam.Tertio,quod medium sit diaphanum; quia si esset corpus opacum, puta paries in medio, non videremus rem vltra parietem, Quarto, quod illud medium diphanum sit illuminatum: nam si esset tenebrosum, non videremus rem quantumcumque propinquam. Quinto, quod posit immutare,& causare speciem suam in intellectum, aut sensum nostrum: & ideo non possumus intelligere cogitationem hominum. Sexto,quod illa res cognita,& visa,habeat esse;& ideo ea,quæ non habent esse in se,non possunt videri,nec sentiri:& quæ non habent esse in se: nec in sua specie: nec possunt cognosci per sensum: nec per intellectum. Quia quod nõ est nõ cõtingit sciri Ex quo sequitur,quod,si aliquod istorum deficit, non potest res videri, nec cognosci. Ergo sex sunt causæ ignorantiæ in aliquo cognoscente. primo remotio temporis à præsenti.Secundo remotio loci longinqui. Tertio medium opacum. Quarto diaphanum tenebrorum. Quinto si defectus est in essendo. Sexto si cognoscens non illabitur menti alterius, non potest cognoscere eius cogitationem. Cum autem nullum istorum sex possit Deo obesse:nec obsistere.ergò nihil est ei occultum, nec incognitum:nec potest quid ignorare. Ergo ille videt malum, quod gessimus. ¶ Ad secundum præsuppositum dicimus, quod occulta,scilicet,peccata possunt tripliciter dici occulta. Vno modo quia ab occulto impugnatore,scilicet,interiori cõcupiscentia,sunt suggesta, & illicita,vel illecta. Aut solo proposito sunt commissa. aut in secreto sunt perpetrata. Occulta ergo peccata nostra,quæ concupiscentiâ suggerẽte,aut solo proposito,aut in secreto commisimus; pandimus tibi Domine & manifestamus. ¶ Ad tertium respondemus: quod peccare nihil aliud est,nisi animam à laqueo sensualitatis,& concupiscentiæ,& fomitis carnis capi,& illaqueari,Dimitte ergo,idest,remitte,relaxa,& tolle,quod peccauimus,idest,laqueum,qui illaqueauit nos,vel quo illaqueauit nos,vel quo illaqueati, ac capti fuimus in anima nostra. Ad vltimum dicimus, quod siquis quærit hic,cur Deus hominem fecerit,qui peccaret,quo ad hoc assignantur plurimæ rationes. Prima vt ostendatur diuina potentia,qui solus inuertibilis est:omnis autem creatura vertibilis est. Secunda,vt declaretur Dei sapientia,quæ de malo scit eligere bonum: quod non potuit fieri,nisi Deus creaturam fecisset vertibilem in malum. Tertia, vt manifestetur Dei clementia, qua Christus per mortem suam hominem

Ad alicuius rei cognitionem sex requiruntur.

Peccata dicuntur tripliciter occulta.

Peccare quid.

Homo peccabilis, & quarè.

nem perditum liberauit. Quarta, vt ostendatur Dei iustitia: qua non solum reddit iustis præmia, sed etiam malis supplicia. Quinta, vt homo non sit peioris conditionis, quam aliæ creaturæ: quas omnes Deus sic administrat: vt eas proprijs motibus agere sinat. Vnde hominem in proprio arbitrio relinquere debuit. Sexta est laus humana: laus enim est viri iusti, qui potuit trasgredi, & non est transgressus. Septima est decor vniuersi: quia opposita iuxta se posita magis elucescunt: ita mali bonos commendant ad inuicem comparati. Octaua ratio est, quia boni exercitantur, & probantur per malos.

Feria Quarta ad Laudes Matutinas Hymnus Octauus.

Nox & tenebræ, & nubila
Confusa mundi, & turbida:
(Lux intrat, albescit polus,
Christus venit) discedite.
Caligo terræ scinditur:
Percussa solis spiculo:
Rebusque iam color redit
Vultu nitentis sideris.
Te Christe solum nouimus:
Te mente pura, & simplici:
Flendo, & canendo quæsumus
Intende nostris sensibus.
Sunt multa fucis illita;
Quæ luce purgentur tua.
Tu lux eoi sideris
Vultu sereno illumina.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclito,
Et nunc, & in perpetuum. Amē.

Hymnus iste omni refertus est lætitia. Hactenus canendo nunquam sic exultauit Ecclesia sancta, sicut modo facit. Quantum distat iste auroræ hymnus ab hymno nocturno præterito. Quid dico differt? imo proprie consequitur. Recordare quomodo clamabat ad optimum rerum creatorem, suumque proprium rectorē: vt liberaretur à noxia quiete. Et vt hoc obtineret, nihil prætermittebat; mentem, manusque tollebat ad cælum: flebat, & confitebatur, & hoc etiam nocte intempesta. Et quia Dominus timentium se voluntatem facit, & deprecationem eorum exaudit: & si tantum valet vnius iusti assidua deprecatio, quantum putamus valere multorum, Ecclesiam repræsentantium, orationem apud Deum: qui ore proprio promisit, dicens: Clamabunt ad me, & ego exaudiam eos: hinc est, quod concepta fiducia (vt preces toto gemitu, totaque instantia oblatæ, & factæ, exaudiantur) se se præparat pro Dei gratia recipienda, & mirabilis est modus iste præparationis.

Psal. 144. *Psal. 33.*

Primo

Primo impedienda diuinam gratiam à se remouet, scilicet, in primis quatuor versibus. Secundo iubilat quasi videns ad se descendere obtentum fauorem; & hoc ibi, nempe, in alijs quatuor sequentibus versibus. Tertio protestatur, se amplius nolle in duas partes claudicare, Deo, & mammonæ seruiendo, cum iterum subdit: se velle solum Christum: quem nouit mente pura, ac simplici quærere: tantum perseuerantiam donet, regendo vagos sensus nostros, tam interiores, quam exteriores. Demum fatetur se agnoscere multa sibi falsa, sub boni specie repræsentata: quæ egent purgatione, & orat, vt oriens ille, videlicet, qui ex alto per viscera misericordiæ Dei nostri nos visitauit, serenitate sui vultus illustrare dignetur: Quanta autem eloquentia hoc faciat sancta Dei Ecclesia, seu mauis Prudentius, huius hymni editor: & quot vtatur tropicis locutionibus: quantas immisceat allegorias, non est facile dictu, sed vnico dicam verbo. Hymnus est totus eloquens, totus tropicus, & allegorijs plenus. Considera eloquentiam in primis quatuor versibus: qui velut flumen, imo torrens tempore Austri, omnia vitia deportant. In secundis quatuor tot sunt tropicę locutiones, quot sunt verba: caligo terræ, solis spicula, color rebus, vultus sideris nitentis. Hæc omnia sunt pulcherrimæ translata ad peccatum, & ad Christum, & ad gratiam. In reliquis quatuor est plana, apertaque oratio, superiora declarans. Demum in quatuor vltimis versibus tota locutio est allegorica, fucus illitus, lux purgans: eorum fidus, serenus vultus. Ait ergo hymni hystoria, & literam, maxime primorum quatuor versuum: *Nox, & tenebræ, & nubila: Confusa mundi, & turbida (Lux intrat, albescit polus, Christus venit) discedite.* ¶ In quibus, vt dictum est, patet Ecclesiam primo describere ipsius solis ortum, ei quidem temporis parti proprinquum: qua in fine officij matutini hymnus iste canitur. Deinde expræsse hunc sensibilem solis ortum, ac diei effulgentiam, proportionabiliter ad animarum illuminationem post peccatorum tenebras (expulsa nocte) applicat: quæ Christo vero sole adueniente, fit; sunt namque hic tenebræ spiritualiter sumptæ, peccata, lux vero diuina gratia: quæ omnium hominum corda, quæ illuminari merentur, suæ cognitionis præsentia illustrat. Polum, siue cælum anima nostra. Sol spiritualis est Christus Dominus, qui assumpsit carnem humanam. Dicit ergo litera primorum versuum. O nox, quæ soli te interponis, & obstas: imo, quæ es ipsa solis priuatio: & ò tenebræ, quæ lucem cæli purpuresm, & omnium rerum faciem occultatis: quia vnum corpus estis, non lucens, sed atrum, & nubibus tectum, ac totum omnino obscurum: & ò confusa mundi turbida:

Hymni diuisio, & summa.

Luc. 1.

Hymni huius Author

Nox quid.

Tenebre quid sunt.

quę cum

quæ cum nocte, & tenebris, & nubibus omnia in vnum mixta quandam confusionem, vaporemque caliginosum ac tempus turbulentum causatis: quoniam lux subintrat, & illabitur: ac cælum etiam fit album, ac lucidum, & iam incipit albescere, & splendescere. Item, & eo, quod etiam Christus venit: qui est & ille dies valde illuminans, ideo vos discedite, ac cedite locum luci, cæloque ac diei ipsi. ¶ Ad spiritualem modo constructionem tu per temetipsum considera, ac iudica. ¶ Insuper ad abundantiorem prædictorum versuum intelligentiam, nolo etiam hic omittere quinque esse peccata aliud alio grauius. Primum est peccatum cogitationis: secundum delectationis, tertium consensus, quartum operationis, quintum consuetudinis. Quæ omnia explicantur his vocibus, scilicet. Turbida cogitatio, confusa delectatio, nubilosus consensus: Tenebrarum opus: Nox, mala consuetudo, sed intrante luce diuinæ gratiæ: Albescente cælesti desiderio: Christo vero tandem veniente, necesse est, vt supradicta discedant. Dicamus ergo sic etiam. O turbida, idest, ò pecca cogitationis. O confusa mundi, idest, ò delectationes carnales confusæ. O nubila, idest, ò consensus nubilosi, ò nox, idest, ò peccatum malæ consuetudinis, quæ consuetudo mala peccandi necessitatem, & tandem mortem inducit, discendite à nobis omnibus, quia peccare nolumus amplius, sed solum Christum incarnatum posthac agnoscere volumus, qui intrans in animas nostras, depellit peccata, & fit anima illius ingressu, & accessu albescit, luceque sua accedente, & illuminante, illuminatur tota. Abite, inquam, hoc est, à nobis discedite, ò nox, ò tenebræ, & omnia confusa nobis facientia, quia. *Caligo terræ scinditur, Percussa solis spiculo, Rebusque iam calor redit Vultu nitentis sideris.* ¶ Caligo, inquam, terræ, hoc est, omnis tenebrosus vapor, siue nebula, spiculo solis, idest, radio solis, qui terram oriens percutere solet (vnde fit, vt omnis caligo, adueniente tali luce, abscedat, ac lumine tali cæteræ tenebræ cedant,) scinditur, idest, à terra in altum eleuatur, & extollitur, ac euanescit, & sic tunc rebus omnibus, puta herbis, plantis, lilijs, floribus, arboribusque omnibus redditur color, per præsentiam videlicet, sideris, seu solis nitentis. Sol enim gelida resoluit, flores aperit, fructus maturat, corpora diaphana penetrat, visum retundit, vaporesque eleuat, & sic calor postea redit. ¶ Verum ad altiorem præmissorum quatuor versuum intelligentiam, videndum est primo, caligo in sacra scriptura quid significet. Secundo videndum est, quid per terram mystice hic intelligere debeamus. Tertio quid per solem. Quarto quid per eius spiculum. Quinto, quid per colorem.

Quinque peccata aliud alio grauius.

Nota.

Spiculum quid.

Sol.

rem. Sexto, quid per vultum accipere possimus, dicendum est. Quia ergo in caligine oculus confunditur, ideo ipsa mentis nostræ per pænitentiam confusio, caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus ob nubilat mentem, secundum Gregorium. De qua quidem confusione per Salomonem dicitur Ecclesiast. 4. Est confusio, inquit, adducens gloriam. cum enim ad mentem male gesta reducimus, graui mox mœrore confundimur. Perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas deuastat, in ærumna mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Per terram vero hic non ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus, sed homines, qui in terra habitant, vel etiam peccatores intelligere possumus. Ad hæc per solem hic Christum solem iustitiæ capere similiter possumus. Nam sicut sol per suam præsentiam causat diem, & lucem in nostro hemispherio: in qua luce omnia videntur, & discernuntur à nobis, & per suam absentiam causat noctem, & tenebras: in qua res non possumus discernere, ita pariter Christus, qui est sol iustitiæ per suam præsentiam causauit, & portauit lucem in aduentu suo, & dedit legem, & euangelia, in qua videmus, & discernimus veritatem omnium, quæ latebant in cerimonijs legis veteris. Ex quibus patet Christi legem, & euangelium dici posse huius solis esse spiculum. Per calorem vero spiritum sanctum, ac eius gratiam accipere possumus. At per res animas nostras, seu mentes nostras, per sidus eundem Christum. per vultum autem eius aduentum, aut legem, aut veritatem, & lucem. Dicit ergo hymni historia. Caligo terræ scinditur, idest, ipsa mentis hominis, seu peccatoris confusio per pænitentiam, ac ipsa pænitentiæ operatio, fit, ac soluitur, & exoluitur, & persoluitur, percussa solis spiculo, hoc est, tacta, ac mota à verbo, aut à lege diuina Christi solis iustitiæ. Rebus iam color redit, idest, & spiritus sanctus, qui abscesserat propter peccatum, redit mentibus nostris, seu animabus peccatorum, scilicet, per aduentum sideris, idest, solis Christi in hunc mundum, aut per suam præsentiam, & lucem. *Te Christe solum nouimus: Te mente pura, & simplici Flendo, & canendo quæsumus, Intende nostris sensibus.* ¶ Te inquam, ô Christe solum nouimus, scientes, quod tu dixisti: Videte quod ego sim solus: & non est alius Deus præter me. Et cum Paulo agnoscentes, quod vnus est Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, & in omnibus nobis. Et canentes etiam quotidie cum Symacho Papa: Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus. Et quia tu dixisti

Caligo in sacra scriptura quid signet. *Li. 4. mor. cap. 21.* *Multitudo cogitationum quid.* *Terra quid misticè significet.* *Christus sol iustitiæ & quomodo.* *Spiculum solis quid.* *Calor quid.* *Res quid.* *Sidus quid.* *Vultus quid.* *Deut. 32.* *Ephes. 4.*

Exod. 20. dixisti Domine, non habebis Deos alienos coram me: merito igitur te solum, ò Christe, nouimus. ¶ Sed huic loco videntur reclamare ea, quæ Beatus Gregorius scripta reliquit in lib. 16. moralium. cap. 59. Quippe qui Numquid nam, inquit, non sunt Angeli, & homines, cælum, & terra, aer, & maria, atque repentia? Et certe scriptum est: Creauit, vt essent omnia. Ergo non solum Christum Deum cognoscimus. Sed aliud (respondet idem sibi ipsi) est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter; atque aliud immutabiliter. Cedo, quod hæc supradicta sint omnia, sed principaliter non sunt; quia in semetipsis minime subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. cum ita namque in illo subsistant, à quo creata sunt, nec ea, quæ viuunt, sibi met ipsis vitam tribuunt, nec ea, quæ mouentur, & non viuunt, suis nutibus ad motum ducuntur, sed illa cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam vero non viuificans in extremam essentiam mire ordinans, seruat. Vere igitur ò Christe, nouimus te etiam redemptorem nostrum, & iam fuisse, & esse, & futurum esse etiam præmiatorem, & glorificatorem nostrum, & non aliud, & hoc confitemur pura mente, sinceroque corde, ac sine hypocrisi. Vnde ex hoc rogamus te, flentes peccata nostra, non secus ac

Greg. lib. mor. 16. c. 59.

Sap. 1.

Solutio. Contingit esse quadrupliciter.

Luc. 7. Maria Magdalena pro peccatis suis ad pedes Domini fleuit; vt sicut illam per septiformem gratiam à vitijs exurgere, & ad te Deum redire fecisti, ita erga nos peccatores te benignum, atque clementem exhibeas. Et te etiam insimul canentes, & laudantes rogamus, vt intendas nostris sensibus, idest, vt geras curam eorum,

Psal. 118. ne videant vanitates, ne detractiones audiant, ne se grauent nimio potu, vel esu, ne subodorent venena, ne tangant obscena, aut ne aliena rapiant, & huiusmodi, quæ tibi, Domine, displicent, ac semper odisti. *Sunt multa fucis illita, Quæ luce purgentur tua: Tu lux eoi sideris Vultu sereno illumina.* ¶ Fucus hic pro dolo, vel fraude (Commissis eius alijs significationibus) potest accipi: alias est color adumbratus, & falsus, qui inter veros colores positus, offuscat eos. Inde fucatum dicitur, quod alieno superducto colore, decorum videtur, & ornatum. Nam honores, opes, voluptates huiusmodi præseferunt speciem boni, sed vere bona non sunt; boni enim imagine incautos multos fallunt; iccirco fucis illita non immerito dicuntur. Illita autem verbum significat infecta, tincta, & maculata. Eos vero trisillabum idem significat, quod orientalis. Est igitur eoum sidus ipse sol, qui quotidie in parte orientali exoritur. Multa igitur sunt fucis illita, quia in hoc mundo opes, quæ sunt spinæ, & honores, & dignitates, quæ

Fucus qd.

Illita quid. Eous, eoa, eoum qd signat.

sunt

sunt seruitutes: & alia innumerosa huiusmodi, quæ nobis videntur bona, & non sunt vere bona; sed, vt diximus, sunt aliquando spinæ, & seruitutes. Bona naturaliter ex eo dicuntur, quod beant, hoc est, beatos faciunt homines, secundum legem Bonorum. ff. de verborum, & rerum signific. sed ista sub specie boni nos vt plurimum vanos, & incautos fallunt, ac decipiunt. Proin e, ò Christe, quæ sunt huiusmodi, fac, vt nos tui Christi fideles, & tui amatores, videamus, & cognoscamus, & si nunc in nobis sunt, quam primum tua luce, quæso, purgentur, quæ quidem lux tua est lux eoi sideris, hoc est, solis orientalis, & quæ illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ideo eadem tua luce, ac tuo sereno vultu, & aspectu, ac claritate spiritus sancti, illumina nos. Nec vnquam permittas nos hoc in mundo, ò Domine, labia nostra (heu, heu, est, qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo) ad illius Apocalypsis mulieris vasculum, veneno plenum admouere. Amen. *Ioan 1.* *Apoc. 17.*

Feria Quarta ad Vesperas Hymnus Nonus.

Cæli Deus sanctissime:
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo;
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens.
Lunæ ministras ordinem;
Vagosque cursus siderum.
Vt noctibus, vel lumini
Diremptionis terminum,
Primordiis & mensium
Signum dares notissimum.
Illumina cor hominum:
Absterge sordes mentium,
Resolue culpæ vinculum.
Euerte moles criminum.
Præsta pater pijssime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

AD quartum opus diuinum considerandum nos vocat mater Ecclesia, vt tali in consideratione spiritus ille noster in Dei seruitio promptus aliqualem vigorem, refocillationemque sumens; infir-

infirmam carnem regat, sustineatque, sed profectò qui ex hoc cantico cupit recreari, qui ex hoc diuino opere gustum desiderat, & nutriri appetit; demum qui consolationem ex hoc spectaculo in hoc mundi theatro concupiscit, non illum oportet solum, vt spectatorem magnorum, immensorumque operum diuinorum se præbeat, sed etiam ipsum oportet aliquid de suo labore apponere. Nam spectatores athleatarum non sunt tantum inspectatores decertantium, sed ipsos etiam quodam impetu, ac concitatione quadam participare oportet ipsorum decertantium laborum, & illis fauere, quibus inclinantur. Sed dices, quid oportet hic apponere nostri? Respondeo omnino necessarium esse, eos, qui magnarum rerum spectacula amant, non habere animum inexercitatum ad intellectum, & cognitionem rerum propositarum. Audi ergo paululum, si aliquando in nocturna serenitate ad ineffabilem astrorum pulchritudinem oculis intentis cogitasti de talium luminum opifice. Quis est ille, qui his floribus cælum varium reddit? rursum in die, si ratiocinatione sobria didicisti diei miracula, & per hæc visibilia, iuxta suum esse, suum motum, & suum ordinem, quæ oculis corporeis videntur, de Deo inuisibili ratiocinatus es, dicens: Quantus est ille, qui hæc tam magna, tam pulchra, & tam ordinata iuxta talem ordinem, numerum, & mensuram, creauit? Si sic præparatus accedis ad operum diuinorum opificium inspectator, discedes non sine fructu, sed cum magna animi tui consolatione, ac gaudio. Ita quidem accessit, qui hunc edidit, ac cecinit hymnum. Vnde enim illa prima ex corde exclamatio, nempe: *O cæli Deus sanctissime*; nisi ex longa diuinorum operum contemplatione, imo potius ex dulcissimo Dei gustu? actus, ac ductus ex mirabilium rerum consideratione, quas tam pulchre pingit; & ita commode (pro ut animus conceperat) exprimit? vt nullum sit verbum sine emphasi quadam cum mysterio appositum. Hinc lucidum centrum, vagos cursus siderum, nec non terminum dirimentem à nocte diem, distinguentem primordia mensium, luminum ex notissimo ipsius lunæ motu. Hæc omnia emaparunt ex corde repleto, & magna diuinorum operum consideratione. sic & nos oportet esse affectos, si volumus ista cum vtilitate, & cordis lætitia contemplari, quæ etiam in natura sunt manifestissima in hoc mundo; propter quæ debemus Deum laudare, & illi gratias agere, & nos cum sancta Dei, & nostra matre Ecclesia, canentes Deum sic: *Cæli Deus sanctissime*, *Qui lucidum centrum poli Candore pingis*

pingis igneo: Augens decore lumine. In quibus, & sequentibus primo sancta Ecclesia Dei virtutem, & prudentiam ab operæ quartæ diei productionis luminarium, siue à formatione astrorum ipsius cæli laudat. Secundo facit ad ipsum Deum orationem, vt corda nostra spirituali lumine visitet: quo peccatorum nostrorum tenebræ depellantur. Secunda pars est ibi. Illuminator hominum. ¶ Ad præmissorum quatuor versuum intelligentiam nota, quod centrum hoc loco temporaliter sumptum pro ipsius cæli spatio, & orbe sumitur, polus vero pro cælo. Candor vero igneus solem hic indicat, ignis naturam habentem, seu naturam ignis imitantem. Per decorum vero lumen ipsius solis splendorem, & lucem, ac lumen accipimus. Dicit ergo hymni textura: O Deus cæli, seu firmamenti sanctissime: qui ipsius firmamenti spatium, & orbem pingis, decorasque, & ornas cādore igneo, idest, pro sole; & auges ipsum poli, cæliue centrum decoro lumine, idest, clara luce, lucidissimisque radijs. ¶ Sed cum prædicta omnia facta sint etiam in hoc paruo mundo: qui est prædestinatorum, & electorum numerus, obseruemus qualiter mystice sumantur. Quid enim mystice est lucidum centrum poli? Non ne Apostolorum corda? quæ in Ecclesia tanquam poli sustinentes ipsum, fulgent, & ista igneo candore die Pentecostes fuerunt spiritu sancto nobilissime picta: & confidentia aucta sunt illo, scilicet, decoro spiritus sancti lumine. Sed quia ipse proprie dies fuit quartus: in quo flammea solis rota fuit constituta, ideo prosequitur: *Quarto die qui flammeam Solis rotam constituens, Lunæ ministras ordinem, Vagosque cursus syderum.* Primus ergo dies ille, quem modo celebramus cum tanta lætitia, nempe, natiuitatis est dies. Secundus est dies passionis. Tertius resurrectionis. Quartus est prędictus Pētecostes dies, in quo sancti Apostoli, veluti, ipsius solis, idest, Christi Domini nostri, rota splendens constituti, idest, confirmati fuerunt, ex qua quidem sanctissima, & diuino amore inflammata rota Apostolorum, & luna, idest, totus populus fidelium hominum, idest, ipsa Ecclesia, ordinem, idest, normam viuendi honestè accepit. Et sancti doctores, & prælati, veluti splendidissima sydera vagos cursus peregerunt in doctrina catholica, & Apostolica, ex quo ordine lunæ, ac vagis siderum cursibus, dirempti, idest, distincti sunt termini, scilicet, fidelium, ac infidelium. Vnde propter hoc sequitur: *Vt noctibus, vel lumini Diremptionis terminum: Primordijs, & mensium Signum dares notissimum.* ¶ Formata est igitur luna (prout hic dicitur) vt præberet terminum, limitemue, ac metam diremptionis, hoc est, distinctionis diei, ac noctis. nam noctu luna lucet, & non interdiu, luna, inquam, noctem illuminat, lumen mutat, augmentum patitur, & detrimentum. Item

Hymni huius Author est Ecclesia.

Hymni diuisio, & summa.

Centrum quid.

Polus quid

Mundus quid.

Quartus dies quid signat.

Apostoli sunt rota solis iustitiæ.

Luna quid mystice significet.

Sydera quid mystice significent.

Luna ad quid sit facta.

luna Regina cæli appellatur, quia sol tanquam medius planetarum participat omnes proprietates luminum,& eas ad lunam cum lumine suo transmittit: ipsa vero à luna, quæcunque à sole recipit, sic influit. vnde quia per eam tali modo virtutes planetarum recipimus, merito regina cæli vocatur. Producta est etiam luna, vt daret signũ, siue inditium initijs, seu principijs mensium. In vniuscuiusque enim mensis lunaris principio, ac exordio luna renouatur, lumemque suum reintegrat. Vnde apud Græcos primordium Mensium neomenia dicitur, idest, noua luna, siue nouilunium. vnde Propheta dicit: Buccinate in neomenia tuba. *Illumina cor hominum. Absterge sordes mentium: Resolue culpæ vinculum: Euerte moles criminum.* ¶ Orat hic Ecclesia Deum, vt in quolibet homine hoc dignetur Deus facere: quod in toto mundo hactenus fecit. Primo enim Deus in mundo fecit lucem, vnde orat, vt cor hominum illuminet, idest, animas hominum. Secundo die diuisit aquas Deus, & terra apparuit arida, quæ prius erat cooperta aqua,& sic orat conuenienter, vt mens nostra nitens, ac munda, (absterfis eius sordibus, illam opertam, ac immundam reddentibus) appareat in conspectu Dei. Tertio die fecit terram fertilem, vt produceret herbam, & fructus, propterea orat: vt homo possit fructus dignos facere, vt, nempe, per pænitentiam vincula criminum resoluat, ac sublata culpa opera meritoria peragat. In quarta die hodie, videlicet, fecit Deus solem,& lunam,& luminaria magna in cælo, de quibus ait psaltes: Qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei,& lunam, & stellae in potestatem noctis. Vnde ex hoc sumpta occasione orat, vt homo possit emergere ex magna congerie, ac criminum mole: vt in posterum Deo sanctius seruiat. Amen.

Primordium mensium quid.
Psal. 80.

Feria quinta ad Nocturnum Matutinum
Hymnus Decimus.

Nox atra rerum contegit
Terræ colores omnium:
Nos confitentes poscimus
Te iuste iudex cordium,
Vt auferas piacula:
Sordesque mentis abluas,
Donesque Christe gratiam.
Vt arceantur crimina.

Mens ecce torpet impia:
Quam culpa mordet noxia:
Obscura gestit tollere,
Et te redemptor quærere.
Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime:
Vt in beato gaudeat
Se collocari lumine.
Presta pater piissime &c.

Nostra

NOstra sancta mater Ecclesia in sanctitate, & iustitia Deo semper seruire flagrans, sciens cum Isaia, quod quærendus est Deus, dum inueniri potest, præceptis item Beati Pauli dictis: Abijciamus opera tenebrarum; inherens, hoc præsenti hymno describit per Beatum Ambrosium huius hymni authorem, primo noctis, seu nocturni temporis qualitatem, & conditionem, quę est, vt herbarum colores, ac cæterarum rerum in suis profundis obducat, seu sepeliat. Secundo eandem noctis qualitatem aptè transferens ad habitum mentis nostræ; rogat Deum, qui penetrat omnia obscura, & cui nuda sunt omnia, vt mentem nostram mundet ab omni obscuritate peccatorum. Tertio rogat huiusmo li peccatorum tenebras à Deo propelli de medio nostri: & in futurum nos in beato collocari lumine. Secunda pars est ibi. Nos confitentes poscimus. Tertia est ibi. Repelle tu caliginem. ¶ Ad veram ergo primorum duorum præfati hymni versuum, qui sunt isti, scilicet. *Nox atra rerum contegit Terræ colores omnium*: intelligentiam historialem, nec non & mysticam etiam: notandum est, quod nox hoc loco pro nocte vera, & sensibili ponitur. Per colores vero rerum omnium terræ pulchritudinem, decoremue, aut ornamentum intelligimus. At per res omnes intelligimus, & accipimus germina, herbasque, folia, ac flores, nec non & ipsos terræ fructus. Dicit ergo litera hymni: Nox atra, & nigra contegit, ac cooperit, & abdit colores, idest, decorem, pulchritudinemq; aut ornamenta omnia rerũ, scilicet, germinum, herbarum, florum, fructuumque terræ. Sed mystice per noctem peccatum. Per colores ornamenta virtutum: per res ipsas virtutes. Per terram mentem nostram accipe. Vnde mirum quidem est, quam differat præsens consideratio à vespertina externa consideratione. Heri considerabat lucidum centrum poli igneo candore pictum, decoroque illud auctum lumine; & reliqua operum ornamenta. Tota circa tenebras versatur hodie, & quasi hoc transitu admirans rerum vicissitudinem exclamat. *Nox atra rerum contegit Terræ colores omnium*. Quasi dicat; heri tam pulcher erat polus: nunc atra nox contegit omnium terræ colores. O hominum instabilis mens, quæ nunquam in eodem statu permanet, modo gaudet, modo tristatur, modo sperat, modo ardet, modo frigescit: modo desperat, modo nimis præsumit. Hęc est supradicta terra, cuius pulchritudinem, cuius decorem, & ornamentum virtutum suarum, atra nox peccati contegit. Hanc perturbationem sentiebat ille, qui dicebat: Meliora video, proboque Deteriora sequor: sed quid de illa loquor profana, cum sanctus Paulus diceret: Non enim, quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio, inuenio

Luc. 1. *Isai. 55.* *Hymni huius Author.* *Hymni diuisio & summa.* *Nox quid signet.* *Color quid Terra qd.* *Mens nostra nunquam firma.*

nio enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati, propterea clamabat ingemiscens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed quid in tanta rerum supradictarum confusione sit faciendum; & cui in tanta mutabilitate adhærendum sit; profecto docet, dicens: *Nos confitentes poscimus: Te iuste iudex cordium: Vt auferas piacula: Sordesque mentis abluas: Donesque Christe gratiam: Vt arceantur crimina:* ¶ Ipsum enim laudans,& confitens,tanquam iustum iudicem cordium, poscit, nempe: Vt potius attendat, quod concupiscit, quam quod sensus faciat. Nam concupiscit desiderare iustificationes Domini omni tempore,sed grauatur carne.

Sap. 9. nam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Vnde orat iustum suum iudicem,vt auferat crimina,& abluat peccata, ac insimul donet suam gratiam, seu diuinum eius adiutorium: (sine quo nihil possumus facere) ad hoc vt crimina arceat,& cohibeat,ne nobis nocere possint. De peccatis non fit mentio, quia dum viuimus in hoc corpore, si dixerimus, quia non habemus peccatum, mentimur, & nos ipsos seducimus. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & remittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Sic & Paulus ad Titum de ordinandis scribens, nullam de peccato habuit mentionem; sed ait, si quis sine crimine est, sicuti est homicidium, adulterium, furtum, fraus, sacrilegium, ac cætera huiusmodi. Si enim, inquit Augustinus, dist. 81. c. Apostolus, diceretur loqui Paulus de peccato, idest, si quis est sine peccato: omnis homo reprobaretur. Vnde, & de Episcopo similiter loquens prædictus Beatus Paulus ait. Oportet enim Episcopum sine crimine esse. Ex quibus supradictis patet, quod nos sine Dei gratia non possumus nec bonum agere, nec peccata vitare. Vnde ipsemet omnipotens Deus scriptum reliquit nobis, dicens: Sine me (Ioan. 15.) nihil potestis facere. Et Apostolus: Nunquid, inquit, idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? Sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Legitur præterea in Concilio Arausicano in decretis conciliorum, tomo primo. capite sexto: ac dicitur: Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus,laborantibus, vigilantibus,quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri,nō autē diuinitus,vt credamus,velimus,vel hęc,sicut oportet, agere valeamus,per infusionē,&inspirationē sācti spiritus in nobis fieri confitetur: resistit iste talis Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? & gratia Dei id sum, quod sum. idem ait.

Criminis nuncupatione quid intelligatur.

Tit. 1.

Peccata sine Dei adiutorio & gratia vitare nō valemus.

Opor-

Oportet ergo nos, præamandi fratres, multum orare Deum, ac eius diuinum implorare adiutorium, vt in nobis suam infundat gratiã, qua mediante piacula, idest, crimina nostra à nobis per misericordem Deum transferantur, ac remittantur. Hoc enim loco piacula pro crimine, & flagitio sumitur, sicut in libro Iudicum, cum dicitur: Nunquam tantum nefas, & tam graue piaculum factum est in Israel. ¶ Sed suam iniquitatem cognoscens homo, statim quadam demonstratiua emphasi ad oculum fere iudicis sui ostendit, dicens: *Mens ecce torpet impia: Quam culpa mordet noxia: obscura gestit tollere: Et te redemptor quærere.* ¶ Supra proposuit se peccati vulnera accepisse, cum dixit: Nox atra &c. & inuocauit Deum, vt dignaretur illa sanare, & insimul suam gratiam conferre, & adiutorium; cum dixit. Nos confitentes &c. Hic narrat, imo ad digitum demostrat, quę nam pars sit saucia, & eam ostendit, dicens: Mens ecce iuste iudex cordium impia torpet, quam tamen noxia mordet culpa, & pungit, & propter hoc obscura omnia sollicitat abijcere, & te omnino posthac, ò redemptor, quærere. ¶ Ad supradictorum omnium tamen intellectum abundantiorem primo notandum est, cur hic mens impia appelletur. Secundo videndum est, vnde dicatur culpa, & quid sit, & quot modis mordeat. Tertio videndum est, quæ nam dicantur obscura, & cur ea mens elaboret à se tollere. Quarto videndum est, quomodo mens nostra quærere debeat redemptorem nostrum. Quantum ad primum dicimus, quod mens nostra ideo dicitur hic impia, & peccatrix; quia in abscondito, & in occulto peccauit, aut in proposito proposuit malum facere, ideo ipsa torpet, ægrotat, ac tristatur, scilicet, suis peccatis. Mens ergo impia dicitur per peccatum: pia vero per naturam. omnem enim naturam, & substantiam à Deo naturaliter, & substantialiter bonam esse creatam fatentur sacri Doctores, sed in carne hominis propter peccatum primorum parentum malam concupiscentiam, & morbum inflictum, cuius morbo, & concupiscentia caro nostra taliter fuit corrupta, quod ex proprijs viribus non potest vitare peccatum, nisi fuerit ipse homo per gratiam Dei adiutus. Ad secundum descendentes dicimus, quod culpa dicitur à deculpo, culpis, culpsi, siue deculpo, culpas, siue decudo, cudis, quod idem est, quod terebrare, figere, & compungere, quia cudit, & pungit conscientiam peccatoris. Et illa culpa dicitur communiter peccatum, & dolus in anima, siue in spiritu. Dicitur etiam telum fixum in anima. Et dicitur etiam spina iugiter mordens, & pungens conscientiam. Vnde dupliciter mordet conscientiam peccatoris, Vno modo ex solo timore penæ, & cogitatione mali. Vt Iudæi postquam cruci-

Iudic. 20.

Mens cur impia dicitur, & quo modo.

Natura per se bona creata fuit

Culpa vnde dicitur, & quid illa sit.

Culpa dupliciter mordet.

crucifixerunt Christum, bene nouerunt, se male egisse & contra iustitiam, & ideo quando viderunt solem obscuratum, terremotum
Luc. 23. &c. reuersi sunt in ciuitatem, plangentes, & percutientes pectora sua. Sed talis compunctio, & remorsus conscientiæ non fuit pœnitentiæ fructuosus: quia fuit ex sola confessione, & formidine pœnæ futuræ propter peccatum, & ita in multis peccatoribus. Alio modo illa culpa, & spina potest pungere, & mordere peccatorem cum dolore, eo quod offendit Deum summum bonum, & perdidit gratiam, & amorem Dei. Sed quanquam ista sit bona compunctio, non dum tamen perfecta est, & pœnitentialis. Ad hoc igitur, vt sit perfecta, & nos hic vera dicamus, quia culpa noxia nostra mordet conscientiam nostram; oportet primo, quod sit dolorosa cum supradicto respectu. Secundo, quod in nobis sit cum proposito nunquam amplius committendi peccatum. Tertio cum firmo proposito
Nota. confitendi. Quarto cum proposito satisfaciendi, tum enim talis remorsus, & compunctio dicitur contritio pœnitentialis, & fructuosa. Et sic patet, quod licet illa spina culpæ mordeat continue, & accuset conscientiam, tamen non potest eijci, nisi per contritionem,
Obscura q dicantur. & confessionem, & cum proposito satisfaciendi. Ad tertium dicimus, quod obscura hic sunt opera tenebrarum, aut ipsa peccata, quoniam hæc opera in tenebris, idest, in peccatis peracta sunt, & non in luce, & gratia. Obscura ergo dicuntur supradicta opera, idest, peccata, quia fiunt in obscuris: & in nocte, idest, in abscondito, & in occulto, ac in recessibus ipsius mentis, vt peccatum inuidiæ, & odij inueterati, & omnia peccata, quæ manent, ac sunt in proposito. Ideo vero ista obscura cupit à se tollere, ac ista peccata
Peccatum quæ mala homini afferat. gestit abijcere, quia peccatum affert homini multa mala, primo enim elongat eum à Deo. Secundo sauciat animam culpa: Tertio captiuat in potestate Diaboli. Quarto reddit hominem Deo odio-
Bona gratuita quæ sunt. sum. Quinto expoliat ipsum omnibus bonis, non solum gratificis, sed etiam gratuitis, scilicet, originali iustitia gratificante, & scientia omnium rerum. Sexto indurat ipsum ex consuetudine in malo. Propter hæc ergo mens nostra gestit tollere obscura peccata, & redemptorem quærere. Verum quomodo mens nostra potest quærere Deum, & inuenire? eo nimirum modo, quo Rex ipse Dauid quæ-
Mens nostra quomodo Deum quærere debeat. siuit, & inuenit. Experrectus enim Dauid à somno intempestiuus festinabat ad Deum, vt ad diluculum, & lucem diei, statimque suis cogitationibus Deo aderat, conuersationemque, & sermonem quẽ cum Deo habebat, quibuscunque alijs rebus, ac negocijs præponebat. Anima ergo, cuius ante omnia desideria ardorem, & dilectionis vehementiam erga Dominum ostendebat ita, vt assidue intentus in

tus in Dei dilectionem ferebatur. Vnde audi illum, qui qualiter inuenire posset Deum inquit: In terra deserta, in via,& in aquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem tuam,& gloriam tuã. Et alibi: *Psal. 62.* Quis dabit mihi, inquit, pennas vt columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce, subdit idem, Elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Sic igitur faciendo poterimus quærere, & inuenire Deum, non secus ac adinuenit sanctus Ioannes Baptista, qui ipse quoque antra *Nota.* deserti petiuit, ne leui macula contaminaretur. Vnde sicut Ioannes internam audiuit inspirationem, & diuinam reuelationem, sic mens nostra intenta in Dei amorem, ardorem, & desiderium audiet intus, hoc est, auditu eius, verbum Domini loquentis nobis, quid facere debeamus, vt habeamus vitam æternam. Nunc quia mens redemptorem suum adinuenit existens ante faciem eius dicit ad eum *Repelle tu caliginem Intrinsecus quam maxime: Vt in beato gaudeat, Se collocari lumine.* ¶ Hic, inquam, mens nostra orat redemptorem suum, vt mentis nostræ tenebras, idest, caliginem de mente nostra repellat, vt videre posthac possimus melius viam mandatorum eius, & in sancto lumine suæ gratiæ ipsam constituere dignetur. Dicit ergo, ò redemptor noster repelle, & procul pelle, caliginem, idest, peccatorum cæcitatem, quæ intriscecus in anima permanet, quam maxime, idest, quam valde intrinsecus existentem, ac sedentem, vt illa tandem gaudeat se collocari in æterna beatitudine. Amen.

Feria Quinta ad Laudes Matutinas
Hymnus Vndecimus.

Lux ecce surgit aurea:
Pallescens fatiscat cæcitas:
Quæ nos met in præceps diu
Errore traxit deuio.
Hæc lux serenum conferat:
Purosque nos præstet sibi:
Nihil loquamur subdolum:
Voluamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies:
Nec lingua mendax, nec manus:
Oculi nec peccent lubrici:
Nec noxa corpus inquinet.
Speculator adstat desuper:
Qui nos diebus omnibus:
Actusque nostros prospicit:
A luce prima in vesperum.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

IN toto isto hymno sancta Dei Ecclesia primo hoc facit, nempe, *Hymni Author Ecclesia, aut Prudẽtius.* ipsius auroræ ortum describit per Prudentium, vt quidam dicunt;

cunt; appellans auroram lucem. Secundo profitetur omnem cæcitatem peccatorum per hanc diuinam lucem aperiri, & lumen videre. Tertio orat, vt hæc diuina lux seruet nos in posterum puros, ore, & corde. Quarto dicit Deum omnes actus nostros, ac opera & bona, & mala intueri. Secunda pars est ibi. Hæc lux serenum conferat. Quarta est ibi. Speculator adstat desuper. ¶ Sed vt sancti huius hymni medulla bene degustetur, sapiatque, memoriæ retinendus est nocturnus dolor ille: quando nox atra rerum omnium colores terræ tegebat: angustiaque illa impiæ mentis, quam noxia culpa mordebat: & dolor ille, quo mens gestiebat (nec poterat) obscura tollere: deinde diligentia illa pia, qua redemptorem quærebat: Demum pia supplicatio ad ipsum redemptorem: vt faceret ipse, quod ipsa mens facere nesciebat, nempe, vt ipse caliginem repelleret, & præcipue intrinsecam: vt notificaret, quod non de naturali nocte, & caligine loquebatur: sed gratias Deo, qui exaudiuit, reddit, pro quo beneficio statim in principio ostendit animum, dicens: Ecce Dominus exaudiuit me. Nam etiam depulit noctem, substulit de medio obscura illa, quæ gestiebam ego tollere, nec poterã, demum depulit intrinsecam caliginem, prout illum meum redemptorem oraui, Hoc ipsius intueor oculis mentis. nam: *Lux ecce surgit aurea: Pallens fatiscat cæcitas; Quæ nos mei in præceps diu Errore traxit deuio.* & quæ sequuntur. ¶ Ad hanc ergo pulcherrimam, diuinamque auroræ lucem, semper quidem timendam, omnis peccatorum cæcitas, quæ duxit nos multum deuio errore in ruinam, & præcipitium, aperitur dissoluiturque in lumen. Fatiscat ergo, idest, largè, abundanterque aperiatur, pallens, idest, timens, peccatorum cæcitas, quæ traxit nos longo tempore deuio in errore præcipites. Nam quam viam rectam cæcus oculus peragrare potest? semper pergit per deuia, nisi aperiatur, & si aliquando recte graditur, & hoc ignorat. *Hæc lux serenum conferat: Purosque nos præstet sibi: Nihil loquamur subdolum: Voluamus obscurum nihil* ¶ Hæc lux, inquam, & gratia diuina conferat nobis virtutem spiritus sancti, vt videamus, quæ agenda sint, & donet nobis puritatem animæ: quod est, vt præstet nos puros sibi, idest, ad honorem suum, & hoc sit, vt nihil loquamur deceptiuum, aut fraudolentum, & nullum cogitemus peccatum, quod nos apud lucem tantam habeat reddere obscuros. *Sic tota decurrat dies; Nec lingua mendax, nec manus: Oculi nec peccent lubrici: Nec noxa corpus inquinet.* ¶ Hic ad intelligentiam prædictorum versuum nota, quod nomine diei totius tota præsens vita insinuatur, sicut & in euangelio: cum ait Dominus noster: Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit enim nox, quando nemo po-

Hymni diuisio, & summa.

Dies pro tota vita accipitur.

mo poteſt operari. Nota ſecundo, quod noxa hic culpam ſignificat, aliquando ſignificat peccatum, & delictum, aliquando pœnam, præſertim & in Cæſareo, & Pontificio iure. Item & ad pleniorem iam dictorum quatuor verſuum cognitionem, nota quæ dicuntur per Salomonem in libro prouerbiorum, nempe, quod ſex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. *Speculator adſtat deſuper, Qui nos diebus omnibus Actuſque noſtros proſpicit, A luce prima in veſperum.* ¶ Lucem primam hic vocat noſtra mater Eccleſia diei exortum, ſicut & veſperum diei extremitatem. Omnia enim opera noſtra diurna proſpicit Deus, & non ſolum diurna, verum etiam, & nocturna, & quæ in tenebris facimus, & hoc quidem non vno, aut duobus, ſed omnibus vitæ noſtræ diebus. Vnde pſaltes ſanctus eos, qui contrarium putant, arguit, dum dicit: & dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob, Deinde paulo poſt ſubdit: Qui plantauit, inquit, aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Dominus ſcit cogitationem hominum, quoniam vanæ ſunt. & iterum, ſi aſcendero in cælum, tu illic ades, ſi deſcendero in infernum ades: & Paulus ad Hebræos, Non eſt, inquit, creatura inuiſibilis in conſpectu Dei, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius. & illud: Innocui viuite, numen adeſt. Poſſumus etiam per lucem primam intelligere ipſum vitæ noſtræ introitum; & veſperam finem vitæ, aut exitum, ſicut cantat Dauid: Dominus, ait, cuſtodiat introitum tuum, & alibi: A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino. Etenim ab ipſo vitæ noſtræ exortu ad calcem vſque Deus opera noſtra proſpicit ita, vt ne minimus quidem cogitatus noſter oculos eius fugiat.

Sex ſunt quæ odit Deus. Prou. 6.

Lux prima ortum diei ſignat. Veſperum diei finem indicat.

Pſal. 120. Pſal. 93. Pſal. 123.

Lux prima myſtice quid.

Pſal. 120. Pſal. 129.

Feria Quinta ad Veſperas Hymnus Duodecimus.

Magnæ Deus potentiæ:
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti:
Partim leuas in aera.
Demerſa lymphis inprimens:
Subuecta cælis irrogans:
Vt ſtirpe vna prodita
Diuerſa rapiant loca.
Largire cunctis ſeruulis:
Quos mundat vnda ſanguinis;
Neſcire lapſus criminum;
Nec mortis ferre tædium.

Vt

Vt culpa nullum deprimat,
Nullum leuet iactantia,
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.

Praesta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne saeculu. Amē.

Psal. 88. VIrtutes, & opera Dei nostri cum Propheta cantare, ac psallere semper prompta sancta nostra mater Ecclesia, & potius sacrificium laudis, quam oblationes, & holocausta ei offerre volens: in hæc sacratissima erupit verba, scilicet: *Magnæ Deus potentiæ, Qui ex aquis ortum genus: Partim remittis gurgiti, Partim leuas in aera.* & quæ sequuntur. In quibus, ac omnibus sequentibus commendat sancta Ecclesia diuinam virtutem, & omnipotentiam ab opere quintæ diei productionis, ac creationis rerum sensibilium; qua ex aquis diuino nutu producta, ac creata referuntur in Genesi volatilia, & aquatilia. Petit deinde, vt eiusdem Dei, & Domini nostri virtute, nullus Christi fidelis, qui sacratissimis maxime ablutus sit aquis baptismatis, in prosperis extollatur, aut in aduersis deprimatur, deijciaturue. ¶ Ad huius ergo hymni intelligentiam nota, quod hactenus vidimus terram ornatam proprijs germinibus. Vidimus, & cælum accepisse stellarum flosculos, & velut gemellorum ocelorum exornatum esse fulgoribus, magnorum luminarium coniunctione. Reliquum erat aquis etiam proprium tribui ornatum. Venit ergo Dei præceptum, & statim flumina sculpta, & stagna fæcunda facta sunt, & singula istorum repleta sunt naturalibus, & proprijs animantium generibus. Similiter & mare parturiebat natalium genera. Similiter, & neque quantum aquæ erat in cænosis, & limosis locis, id ipsum ociosum erat, & vanum, aut exors perfectionis suæ. Nam ranæ & culices ex ipsis lacunis efferebant, Quæ enim adhuc videntur, sunt præteritorum demonstratio, & sic omnis aqua festinabat ad præstandum ministerium magni præcepto opificis, ita vt eorum animantium genera producta nullus enumerare possit. Hinc est, quod eorum vitam, statim actuosam, & se vbique monstrantem, contemplans nostra mater Ecclesia exclamauit, vt diximus, dicens: *Magnæ Deus potentiæ.* Nam eo quod dixit Deus: Producant aquæ reptilia animarum viuentium, & magna, & inenarrabilis Dei potentia signatur. Dicit ergo parens Ecclesia: O magnæ Deus potentiæ, apud quem, inquit Lucas 1. non est impossibile omne verbum, & numquid (num. 11) manus Domini inualida est? cum ipsi subest (sapi. 12.) cum voluerit, posse. Qui & fortis, & Dominus potens est. Qui, inquam, ortum, idest, productum ac natum genus, scilicet, animalium, piscium, nempe, ac auium ex ipsis aquis, & ipsos pisces, & aues

Hymni Author est Ecclesia.
Hymni diuisio & summa.
Genes. 1.
Sol, & Luna.
Flumina, & lacus.
Mare.
Loca limosa.
Deus ex quo cognitus sit magnæ esse potentiæ.
Luc. 1.
Num. 11.
Sap. 12.

& aues partim remittit, hoc est, pisces remittit, ac committit, & reponit in aquis, siue in gurgite, siue in mari, siue in fluminibus, siue in lacu, partim vero leuat in aera, hoc est ipsas aues vehit, tollit, extollit, & volare facit in aera, quia forte ex elemento aeris prædominantis constant, ideo aeri committuntur. & hoc est, quod ait Boetius in libro quinto de consolatione philosophiæ. Sunt quibus alarum leuitas verberetque ventos. Et liquido longe spatia ætheris enatent volatu. ¶ Vel mistice, sic dicito. Genus ortum ex aquis, scilicet, baptismatis, partim committis, & remittis, Domine Deus, gurgiti, hoc est, inferno, & profundo lacui, malos, nempe, & reprobos homines; & partim leuas in aera, idest, pios iustos, ac bonos homines cælis ipsis irrogas, idest, dignaris, credis, & gaudere permittis. quasi dicat: sicut in aere aues collocasti, & in aere conuersari eas voluisti Domine, ita in cælis homines, vel sanctos proponis habere locum, & domicilium. Vel per pisces intelliguntur cupidi, auari, & luxuriosi homines, qui in fluxu cupiditatum huius mundi immerguntur: per volucres vero intelligas pænitentes, & spirituales homines, qui in spiritualem conuersationem, quasi in aera, leuantur. ¶ Dixit Ecclesia, quod pisces, & aues ex aquis creatos partim gurgites, partim aerem habitare fecit Deus; nunc quæ sunt illius orti generis partes, & proprium declarat: & cur sic, reddit rationem dicens: *Demersa lymphis imprimens, Subuecta cælis irrogans, Vt stirpe vna prodita Diuersa rapiant loca.* ¶ Ad horum quatuor versuum intelligentiam nota, quod Beatus Gregorius in homilia Ascensionis Domini ait, nempe: quod aliud est cælum æthereum, aliud aereum: cælũ quippe aereum terræ est proximum: vt & aues cæli dicimus, quia & eas volitare in aera videmus. Ergo cæli hic non pro orbibus sumuntur cælestibus: nam illos nec habitant, nec volando tranant aues, sed pro partibus aeris, siue pro ipso aere accipitur, quomodo in sacra scriptura frequenter cæli nomen sumitur: vt in eo psalmi loco, volucres cæli, & pisces maris, & in euangelio dicitur, & volucres cęli comederunt illud. sic quoque cælo pro aere vsus est Iustianus in suis institutionibus, cum ait, nam ius istud non solum humani generis proprium est, sed omnium animantium, quæ in cælo, quæ in terra, & quæ in mari nascuntur. Secundo nota, quod producta, nataue, aut prodita ex vna stirpe, nempe ex aqua, dicitur diuersa rapere loca, quoniam ex eodem principio materiali aqua, videlicet, producta aquatilia, & volatilia etiam, diuersa sortiuntur habitationis suæ loca, hoc est, pisces aquam, & aues aerem. Dicit ergo hymni historia, demersa lymphis imprimens: idest, tu Domine demersa, hoc est, deorsum mersa, & submersa, scilicet, cete grandia, ac pisces omnes, imprimens lymphis,

Boet. *Gregor.* *Calũ duplex est.* *Psal. 8.* *Luc. 8.* *Instit. de iur. nat. & gen. & ciu. §. 1.* *Aquatilia, & volatilia quo modo diuersa rapiant loca.*

phis, ideſt, ſubmergens ſub aquis, ſubuecta vero, hoc eſt, ſurſum euecta, & elata, ſcilicet, volatilia cæli, irrogans, & eleuans ſurſum in aerem, vt ex vna ſtirpe, & origine, ac ſtipite, aqua, ſcilicet, huiuſmodi prodita, productaque aquatilia, ac volatilia, ſibi diuerſa acquirant, accipiantque, ac ſibi vendicent loca, aera, nempe, & aquam. Vnde verſus: Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba, Ceſſerunt nitides habitandæ piſcibus vndæ; Terra feras cæpit, volucres agitabilis aer. Ex ſupradictis omnibus nota multiplicem aquæ eſſe fructum, & vtilitatem. Aqua enim piſcibus decoratur, aqua aeri præbet informationem, eſt volatilium ornamentum, aqua ſuper cælos etiam eleuatur, aqua tempeſtatibus ſubijcitur, omnes fontes, & flumina ad mare continuantur, ad locum vnde venerunt reuertuntur, aqua omnibus, eſt communis, in cryſtallum congelatur, Irim in nubibus cauſat, ſordes purgat, hortos irrigat, febricitantes ſua frigiditate, & humiditate delectat, naues vehit, lumen recipit, ad ſuum principium reuertit, loca vacua ſubit, lapides cauat; ignem extinguit. Olim mundum purgauit, in mari rubro populo Dei ceſſit, de latere Chriſti fluxit: hanc Chriſtus in vinum mutauit, ac de ipſa baptiſmi materiam ordinauit. O benedictum elementum, & tantorum origo bonorum, *Largire cunctis ſeruulis, Quos mundat vnda ſanguinis, Neſcire lapſus criminum: Nec mortis ferre tædium.* ¶ Bene diximus paulo ante, aquam ex latere Chriſti exiſſe; ac ſacramenti baptiſmatis materiam per eundem Chriſtum Dominū noſtrum fuiſſe ordinatam, quod ex ſupra enarratis his quatuor verſibus etiam clarum euadit, cum ſancta Eccleſia orat ſibi donari omnes, quos prædicta ſanguinis Chriſti aqua, ac vnda tetigerit; mundaueritque; neſcire amplius ſcandala peccatorum, nec mortis perpetuæ anxietatem, ac dolorem experiri. In aqua enim ſacramentum baptiſmatis, tanquam materia eius propria miniſtratur, & in pretioſo Chriſti ſanguine conſecratum eſt, efficaciamque habet. In cuius rei argumentum ex latere ipſius Chriſti; ut prædictum eſt, dormientis in cruce, profluit ictu militaris lanceæ ſanguis, & aqua in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Et hoc myſterium aperiens Beatus Ioannes ait in prima ſuarum Epiſtolarum: Hic eſt, inquit, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chhriſtus. Et rurſum eodem loco: & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt. Sed, ô Domine, ſic nos in poſterum conſerua ſine peccatis, *Vt culpa nullum deprimat, Nullum leuet iactantia, Eliſa mens ne concidat, Elata mens ne corruat.* ¶ Alludendo hic ad piſcium, & auium conditionem pe-

Aquæ vtilitas.

Ioan. 19.
Ioan. 5.

nem petimus hic nobis à Deo concedi, vt culpa grauis nullum ad ima degrauet, ficut pifces demerguntur aquis. Petimus etiam, vt nullum iactantia, & animi elatio fuftollat ad alta more auium, per inane volantium, quod poteft contingere homini quatuor modis, fecundum Henricum in homilia Dominicæ xij. poft Pent. primo, cum homo putat, fe habere bonum, quod non habet, quem Paulus ex obliquo repercutit, dicens. Si quis exiftimat, fe aliquid effe, cum nihil fit, ipfe fe feducit. Secundo cum quis bonum, quod habet, à fe ipfo habere arbitratur, Diabolum profecto imitans, qui per elationem dixit, nefcio Dominum, & ego feci me ipfum, quem redarguit Apoftolus, dicens: Quid enim habes, quod non accepifti? Tertio cum quilibet & fi bonum, quod habet, cælitus fibi datum nouit, tamen hoc pro fuis meritis fe accepiffe confidit, contrarius Apoftolo, dicenti: Quis prior dedit illi, & retribuetur illi? Quarto cum fingulariter fe aliquis bonum putat habere, & cæteris defpectis, fpecialiter bonus videri appetit. Petimus item tertio loco, ne mens noftra elifa mole criminum, aut aduerfitate deijciatur, deprimaturue, ficut pifces. nam etiam mens elata profpero fucceffu, aut rebus lætioribus, ad inftar auium, corruat, rogamus, & fummatim petimus à Deo; vt non deprimamur peccato, & ne extollamur fuperbia. Amen.

Eleuatur quis iactantia quatuor modis.

Gal. 6.

Exa. 5.

Feria Sexta ad Nocturnum Matutinum Hymnus Tertius Decimus.

TV Trinitatis vnitas;
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ excubantes pfallimus.
Nam lectulo confurgimus
Noctis quieto tempore,
Vt flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.
Quo fraude quicquid dæmonum
In noctibus deliquimus,
Abftergat illud cælitus
Tua poteftas gloriæ.
Ne corpus adfit fordidum,
Nec torpor inftet cordium,
Nec criminis contagio
Tepefcat ardor fpiritus.
Ob hoc redemptor quæfumus,
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamur actibus.
Deo patri fit gloria, &c.

ET fi femper Deus à nobis laudari debet, illo præcipue tempore magis laudari conuenit, in quo fumus affecti beneficijs eius

(nam propter hoc in Ecclesia sunt quædam solemnia anniuersaria instituta. nam ista nox illa est, in qua pro nobis Dominus noster Iesus Christus tanta fecit, dixit, & passus est, pedes discipulorum lauit, sanctissimum instituit testamentum nouum, in suo corpore, & sanguine sacrosanctum instituit Eucharistiæ sacramentum. Illustrissimum illum sermonem omni diuina, & salutari doctrina refertum docuit, deinde sub proditione Iudæ raptus per totam noctem dira pro nobis passus est. Vnde ob hoc sancta nostra mater Ecclesia, quæ nunquam obliuiscitur Dei beneficiorum, nec dicere cum Propheta: Sic psalmum dicam numini tuo in sæculum sæculi; vt reddam vota mea de die in diem, in hac sacratissima nocte surgens è stratu, & ante omnia sic inuocat suum creatorem, ac redemptorem Deum. *Tu Trinitatis vnitas, Orbem potenter qui regis, Attende laudum cantica, Quæ excubantes psallimus*, &c. ¶ In quibus omnibus sancta Dei Ecclesia petit, vt nos, qui consurgimus, vt Deum laudemus, laudibus eius intentos, exaudiat. Secundo postulat, vt quicquid culpæ noctu à nobis contractum est, clemens abluat. Tertio orat, vt immunditiam corporis, animique pigritiam, ac tepiditatem a nobis tollat. Pars secunda est ibi. Quo fraude quicquid Dæmonum. Tertia est ibi. Ne corpus adsit sordidum. Vel sic: Ecclesia sancta, maxima compuncta contritione Deum primo inuocat, eum sibi beneuolum faciens, & inquit, Tu Trinitatis vnitas. Secundo narrat, seque bene dispositam exhibet ad abijcienda opera tenebrarum; & per omnia Christum imitari. ait enim, Ecce namque lectulo consurgimus, cupientes excutere de corde, ac corpore nostro sordes omnes, vt consequenter postea protegas nos à conuentu malignantium Dæmonum. Tertio rogat, vt sibi id fiat, quod petit, nempe, antidotum, siue remedium contra instantia peccata. Vnde ait: Ob hoc redemptor quæsumus. ¶ Ad intelligentiam præmissorum quatuor carminum notandum est primo, quomodo relatiuum, quod est in secundo carmine positum, sit legendum; an masculinum, an vero fæmininum. Secundo videndum est, quotuplex in sacris scripturis inueniatur Trinitas. Tertio aduertendum, qui nam excubare dicantur. Quarto considerandum est, quomodo nos Deum laudemus, quomodo ei canticum cantemus, & quomodo ei psallamus hic in mundo. Itaque relatiuum in secundo versu positum, scilicet, qui regis orbem potenter: si (vt quidam cantare solent) tibi placet legere, quæ, dicens, orbem potenter, quæ regis, refertur ad antecedens expressum, scilicet, vnitas, si vero dicas, qui, vt bona pars legit, intelligitur ipsum referri non ad nomen præcedens

Psal. 6.

Author hymni Ecclesia.

Hymni diuisio, & summa.

Alia diuisio.

dens expressum, sed ad alterum tantundem significans, vtpote ad nomen, Deus. Vnitas namque Trinitatis: Vnus est verus Deus. In vnitate enim naturæ diuinæ tres sunt personæ, Quarum prima est à nulla, secunda est per generationem à sola prima. Vnde nota, quod multiplex inuenitur in scripturis Trinitas. Est enim Trinitas increata, quæ ineffabilis est. Aliæ Trinitates sunt creatæ. Inter has vna est, quæ cecidit, scilicet, suggestio Diaboli; delatio sensualitatis; & consensus rationis, quæ tria significata sunt per serpentem, mulierem, & virum in paradiso. Tertia est, in quam cecidit, scilicet, ignorantia veri, impotentia boni, & concupiscentia mali. Quarta est, per quam homo resurgit, scilicet, fides, spes, & charitas. Item est Trinitas, per quam ad gratiam reparamur, scilicet, triplex substantia, quæ est in Christo, hoc est, Diuinitas, anima, & caro. Est etiam & alia Trinitas, per quam regeneramur, scilicet, spiritus, aqua, & sanguis; spiritus, inquam, sanctificationis, aqua ablutionis, sanguis redemptionis. Est demum & alia Trinitas, per quam ad gloriam reformamur, vt sunt dotes animæ; scilicet, cognitio, delectatio; & comprehensio. ¶ Tertio loco aduertendum est, quod excubantes; qui in quarto versu hic nominantur; illi dicuntur: qui vigilant, vigiliasque agunt. Dicimus demum, quod aliter Deum laudamus nos hic in mundo, vel hic in via, aliter laudatur in patria à beatis. laudamus nos si quidem Deum in via in creaturis, siue per creaturas, eo quod lucet in eis, & hoc genus laudis potest esse cuiuslibet hominis. Nam laudamus Deum, inquantum in eis perfectiones, quæ reperiuntur in sole, & luna, & stellis, & cæteris creaturis: nos excitant ad magnificandum, & laudandum Deum, qui eas creauit. Laudamus vero nos Christiani Deum in se, & per se, idest, in Christo, & per Christum, qui nos redemit, & custodit, & quotidie suo sanctissimo corpore, & sanguine, cibat, vocat, iustificat, & tandem glorificat nos singulos, sicut iam naturam nostram in se glorificauit, & ad dexteram æterni patris euexit. In patria vero beati laudant Deum in se magis perfecti: quia etiam perfectius cognoscunt, & diligunt, eo quod vident eum per essentiam, & omnia in eo. Secundo nos cantamus hic nouum canticum, idest, canticum gratiæ, quod dicitur canticum euangelicum, siue lex euangelica. Nouum canticum, quia per Christum nouum hominem, quilibet baptizatus est. Nam canticum vetus Moysis, nempe; & primum canticum cantauerunt omnes patres veteris

Multiplex Trinitas est.

Trinitas per quam resurgimus.

Laudare Deum cantare & psallere quomodo differunt.

Quid petebatur in cantico Moysis & quid in cantico nouo.

testamenti. In quo petebatur, & desiderabatur misericordia, & redemptio. Sed in nostro, & nouo cantico nunciatur per nos ista misericordia, & redemptio. Item priscorum sanctorum patrum canticum cantabatur sub protectione, & fide, & spe futuri Christi, & illa cantabantur in cithara, & psalterio materiali, & legali. Sed nos cantamus canticum nouum in cithara spirituali, scilicet, fide, spe, & charitate, & cum psalterio spirituali decem cordarum, scilicet, cum confessione decem articulorum fidei, ad Christum nostrum pertinentium; nempe, incarnationis suæ: Natiuitatis de Virgine, Baptismi, prædicationis, operationis miraculorum, mortis, & passionis, resurrectionis: in cælum ascensionis spiritus sancti in Apostolos missionis, per prædicationem Apostolorum Ecclesiæ congregationis. Tertium canticum cantant sancti in cælo, quod est canticum gloriæ, & æternum, & hoc cantant cum clara visione, & fruitione, & fælicitate, dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, &c. ¶ Psallere vero ad vitam actiuam pertinet, vt non solum cantare, & prædicare legem Euangelicam; sed etiam psallere, idest, operari secundum eam, debeamus. Tu ergo Trinitatis vnitas: qui potenter mundum regis, & gubernas, attende, & accipe laudum nostrarum cantica, quæ tibi vigilantes psallimus, celebramus, ac secundum ea operamur. *Nam lectulo consurgimus Noctis quieto tempore, Vt flagitemus vulnerum A te medelam omnium.* ¶ Spiritualiter de lecto surgere est, inquit Beatus Hieronymus; animam à carnalibus desiderijs, vbi ægre quiescebat, extrahere. Præterea benedicimus; vt flagitemus à te, Domine, medelam nostrorum vulnerum. Nam sicut hoc tali die, scilicet, hac sexta feria dicitur, Adam expulsum fuisse à paradiso vulneratum propter peccatum: ita ergo nos: qui trahimus ab eo, tanquam à radice, hæc vulnera, scilicet, infirmitatem, ignorantiam, malitiam, libidinem, vel concupiscentiam, he expellamur à gratia Dei; petimus sanationem omnium, scilicet, eorum quæ accepimus hic nos per nosmetipsos à Diabolo vulnerum. Est enim homo infirmus, ac tardus ad bonum: & pronus ad malum quatuor generibus peccatorum. Primò ex ignorantia vnde primum vulnus est ignorantiæ, Secundo ex infirmitate, vel impotentia. Vnde secundum vulnus est infirmitas. Tertio ex malitia, vnde tertium vulnus est malitia. Quarto ex cõcupiscentia, vnde ipsa est quartum vulnus. Ratio.n. hebetatur in cognoscendis. Voluntas induratur, vel infirmatur, & debilitatur in bonis operandis, voluntas de facili inclinatur ad malum,

Cithara spiritualis quid. Psalteriũ spirituale quid.

Canticum tertium.

Psallere quid.

Hom. Fer. 5. Fent.

Vulnera, qua accepimus ab Adam.

Propter quatuor genera peccatorum infirmatur homo ad bonum.

lum, & per concupiscentiam voluntas inordinate, & illicite exardescit ad malum, Hæc ergo supradicta vulnera consolidari à Deo hic petimus. *Quo fraude quicquid Dæmonum In noctibus deliquimus, Abstergat illud celitus, Tua potestas gloriæ.* Gloriæ igitur ac laudis tuæ, Domine, potestas, ac imperium, cælitus ideſt, diuinitus, abstergat, abluat, ac quæso diluat, quicquid deceptione, astuue, ac calliditate Dæmonum, ideſt, Dæmoniorum in tenebris vitiorum deliquimus, ac peccauimus; illud, inquam, abstergat, abluat, mundetque, ac nitidum illud totum reddat, ac de noctibus ad diem adducat. *Ne corpus adsit sordidum, Nec torpor instet cordium, Nec criminis contagio Tepescat ardor spiritus.* ¶ Adnotandum est hic primo, quid sit corpus, & quot modis in sacra scriptura sumitur. Secundo videndum est, quid significet hic torpor cordium. Et quidem corpus dicitur, quod corrumpi potest. Quandoque vero corpus dicitur bonum opus, iuxta illud, si oculus tuus, ideſt, intentio tua, simplex fuerit, & totum corpus tuum, ideſt, opus tuum lucidum erit. Item dicitur vniuersitas peccati. Vnde Apostolus: destruitur totum corpus peccati. Quandoque significat coniugem, ait enim Paulus. Qui fornicatur, in corpus peccat. Sed melius dicitur, quod Paulus in illo loco intelligit de proprio corpore, quod cum per baptismum factum sit membrum Christi, per fornificationem efficitur membrum meretricis. Vnde subdit: Tollam, inquit, ego membrum Christi, & faciam meretricum membra? absit. ¶ Sed torpor cordium hoc loco malitiam; seu malam intentionem significare non perperam forte dices. At per contagium maculam, aut inquinamētum, peccati, & animæ morbum poteris intelligere. Per ardorem vero spiritus, eius gratiam, ac amorem, ac eius feruorem percipias. Dicit ergo, Ne corpus nostrum, seu opus nostrum, minime, quæso Domine, sit sordidum; sed sit totum lucidum, nec etiam torpor cordium, seu malitia, ac mala intentio cordium, instet, aut insideat, aut supra sit, aut prædominetur nobis. similiter nec permittas; Domine, per aliquod contagium, aut peccati maculam, aut animæ morbum, gratiam, & amorem spiritus sancti, tepescere in nobis, aut deficere, nec vt tepidi, aut vt frigidi euomamur ab ore Dei. *Ob hoc redemptor quæsumus: Reple tuo nos lumine, Per quod dierum circulis Nullis ruamur actibus.* ¶ Ad veriorem horum versuum elucidationem nota, quod hic nomine dierum non tam spatium temporis diurnum, quam totum vitæ nostræ tempus accipiendum est; Non enim solum orandum est nobis, ne diurno in tempore corruamus in peccatum, sed etiam in nocturno, cum non minus nocte, quam die possumus prauis actibus Deum offendere. Cum ergo hic oramus Deum, quod toto vitæ no-

Corpus quid, & quot modis sumitur.

Rom. 6.

1. Cor. 6.

Torpor qd.

Contagiũ.

Ardor spiritus quid.

Apoc. 3.

Nominum dierũ quid

ſtræ curriculo non prolabatur in peccatum; diem etiam omnem vitæ noſtræ ac noctem illa oratione complectimur, neque vllum vitæ noſtræ tempus tum ſecludimus. Dicit ergo, ob hoc, ſcilicet, ne tepeſcat ardor ſpiritus in nobis, ac ne, vt tepidi, euomamur ab ore Dei, ideo te rogamus, Domine, vt tuo nos lumine, aut ſplendore, repleas, per quod quidem lumen, ſplendoremue in dierum circulis, id eſt, in dierum horum reuolutionibus, nullis vnquam malis, ac prauis actibus, aut culpis ruamus, cadamuſue in peccatum. Amen.

Feria Sexta ad Laudes Matutinas Hymnus Decimus Quartus.

Aeterna cœli gloria:
Beata ſpes mortalium:
Celſi tonantis vnice:
Caſtæque proles Virginis.
Da dexteram ſurgentibus:
Exſurgat, & mens ſobria;
Flagranſque in laudem Dei,
Grates rependat debitas.
Ortus refulget lucifer,
Sparſamque lucem nunciat:
Cadit caligo noctium;
Lux ſancta nos illuminet.
Manenſque noſtris ſenſibus,
Noctem repellat ſæculi;
Omnique fine diei
Purgata ſeruet pectora.
Quæſita iam primum fides
Radicet altis ſenſibus:
Fæcunda ſpes congaudeat,
Quo maior extat charitas.
Deo patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli filio,
Cum ſpiritu paraclyto,
Et nunc, & in perpetuum. Amẽ.

Nota. SOl nunquam magis horrendum ſpectaculum vidit, quam hodiernum; propter quod ſuum retraxit lumen, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, quæ tenebræ myſtice in hodiernum
Matth. 27 vſque diem adhuc perſeuerant ſuper totam terram. Nam Chriſtus crucifixus Iudæis eſt ſcandalum: Ecce tenebræ, & ij ſunt omnes terra. Nobis autem (qui aliquando fuimus tenebræ, nunc autem lux in Domino) Dei virtus, & Dei ſapientia, ob virtutem, ſeu vigorem fidei, ſpei, & charitatis, donatum à Deo nobis; quando in nocte Dei ſapientia capiebatur, colaphis cædebatur, ſpinis coronabatur, leuabatur in lignum, omnibuſq; ſannis afficiebatur. Nihilominus tamen ſancta Eccleſia illum omnipotentem mundi rectorem laudat, & nocte intempeſta magna cum pietate è lecto ſurgens ab ipſo vulnerum medelam efflagitat. Hic ille eſt ergo, qui velut blaſphemus, & reus leſæ maieſtatis ad tot tribunalia trahitur, &

eandem inter duos latrones cruci affigitur. Iste est æterna cæli gloria, quæ tria verba infinitam arguunt dignitatem: O gloria cæli æterna, quæ possunt dici à nobis, sed non comprehendi. Et idem ipse, qui si videtur hodie despectus, & nouissimus virorum, tamen mortalium spes est beata, & quid dico mortalium spes? ipse vnicus Filius Dei, mundum terrefacientis tonitruis, & fulgoribus suis: qui cum tanti patris sit filius, est nihilominus, & pater noster, quia proles castæ virginis matris est. Est & dextera eius etiam. Nam propter nos subleuandos, dexteram nobis extendit hodie: ne simus ex illis tantum, ad quos dicit: Extendi manus meas ad populum non credentem, sed tantum beneficium nos agnoscentes: exurgat & mens nostra ideo à terrenis libera in amorem crucifixi credens, debitasq; pro tanto dono redemptionis gratias rependat. Nam mortuus est propter peccata nostra, & propter scelus populi mei (dicit pater) percussi eum. Cum ergo iam beneficium refulgeat ac splẽdeat ruat ergo tenebrarũ caligo peccatorum, & sancta nos redemptionis lux illuminet, & firmam fidem in sensibus nostris externis ponens, sęculi tristem repellat mortem, & vsque ad vltimũ vitæ nostræ diem semper munda in Dei gloriam nostra seruet pectora. Ante omnia fides non sit infructuosa, sed in cordibus nostris radices absconditorum sensuum alte figat, spes fructificans in operibus bonis congaudeat, fidatque fidei, quia iam spe salui facti sumus. Quo vtriusque, scilicet fidei, & spei, gaudio de condonata nobis hodie à Deo misericordia in Christo crucifixo, hic charitas erga Deũ, & proximum extat maior, inuicem nos diligẽtes, sicut Christus nos dilexit, vt tandem in patria mutata fide in spem, & spe in rem, sola charitas ardens remaneat sua completa perfectione. His generaliter cognitis iam nunc diligentius hymnum hunc consideremus. Dicit ergo. *Aeterna cæli gloria: Beata spes mortalium: Celsi tonantis vnice, Castaque proles Virginis*. & reliqua. ¶ In quibus omnibus sancta Dei Ecclesia per Beatum Ambrosium huius præsentis cantici, seu hymni Authorem, post filij Dei inuocationem, describit propinquum diei visibilis exortum: Orat deinde eundem Dei filium, vt sicut ortus est dies, ita lux diuina oriatur in cordibus nostris, depulsis malorum tenebris. Vltimo rogat, vt fide, spe, & charitate nos illustret, ac muniat. Inuocatio filij Dei fit in principio, cum dicimus: Aeterna cæli gloria &c. pars secunda est ibi. Ortus refulget Lucifer. Tertia est ibi. Quæsita iam primum fides, &c. ¶ Aduertendum est ergo ad intelligentiam horum primorum quatuor versuum, quod quatuor per ordinem filio Dei, ad quem, vt diximus, sermo dirigitur; attribuuntur, primus siquidem vers-

Isai. 53.

Hymni huius Author

Hymni diuisio, & summa.

ſus dicit; quod filius Dei eſt gloria æterna; & perpetua, & indeficiens ciuium cæleſtium. Secundus verſus dicit, quod hominum Chriſtianorum hic in mundo viuentium eſt ſpes vnica, & in quo ſo-
Ierem 17. lo eſt ſperandum. Vnde, Non ſis, inquit Ieremias, mihi tu formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. Tertius dicit, quod Dei patris eſt vnigenitus. Quartus dicit, quod ſacroſanctæ Virginis eſt filius, & proles. Incarnatus enim eſt de ſpiritu ſancto ex Maria Virgine. De qua quidem Chriſti incarnatione multę extāt in veteri teſtamento figuræ, & prophetiæ, de quibus vide infra in libro tertio. in hymno primo, verſiculo tertio. Iterum aduertendum eſt, quod in tertio carmine ſupra poſito vocamus Deum altitonantem, non ad poetarum imitationem, qui ſuum Iouem appellant altitonantem; quod profanum eſt, & ridendum, verum quia in ſacra ſcrip-
1. Reg. 2. tura tonare inuenitur etiam Deo tribui, vt in libro Regum: Do-
2. Reg. 22. minum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſis in cælis tonabit. ſimiliter, & in ſecundo libro legitur ſic: Tonabit de cælo Dominus, & excelſus dabit vocem ſuam. ¶ Dicit ergo. O Chriſti gloria æterna, ac indeficiens angelorum, & quia pater per te glorificatur: o Beata ſpes mortalium, ſcilicet, Chriſtianorum, ò fili cæleſtis patris tonantis ſecundum diuinitatem, & ò fili caſtæ Virginis Mariæ ſecundum humanitatem. ***Da dexteram ſurgentibus: Exurgat, & mens ſobria: Flagranſque in laudem Dei: Grates rependat debitas.***
Dextera quid. ¶ Dextera hic idem ſignificat, quod auxilium Dei. Aliquando tamen dextera dicitur Chriſtus, qui eſt manus, & dextera ipſius patris, qua pater exercet ſuam virtutem, & qua creauit humanum genus, & vicit Diabolum, qui quidem Chriſtus eſt Deus ante ſæcula, &
Pſal. 37. verbum in ſinu patris. Vnde propter hoc dixit pſaltes. Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem? Prę terea hæc quatuor verſuum ſententia non abſimilis illi videtur, qua
Pſal. 43. Propheta ſanctus ad Dominum clamabat, dicens: Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen ſanctum tuum, ideſt, vt no-
Pſal. 118. men tuum laudemus. item, & illi, ſcilicet, Fiat manus tua, vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi. item, & illi, ſcilicet Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis. Dicit ergo hymni textura, Da Domine, ac praſta ſurgentibus ad laudandum te auxilium tuum, & ſic emitte manum tuam de alto, & eripe nos, & libera nos. exurgat & mens noſtra patiens, & abſtinens, & ſobria, nempe, in amorem tuum, & illa obnixe ardens in laudem tuam in hymnis, & canticis, & pſalmis grates, ſiue gratias perſoluat debitas de beneficijs, redemptionis, ſcilicet, creationis, & conſeruationis, ſicut ſollicite agebat Paulus pro beneficijs ſibi, & alijs col-
latis,

latis, dicens: Gratias ago Deo meo, qui me confortauit in Christo; qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum. *Ortus refulget, lucifer: Sparsamque lucem nunciat, Cadit caligo noctium, Lux sancta nos illuminet.* ¶ Describitur hic visibilis diei vicini ortus. Vnde Lucifer hoc loco est stella illa, quæ oritur in principio diei. Porro de hac stella ait Eusebius Emissenus: Vesper, inquit, qui & hesperus dicitur stella est, quæ alio nomine lucifer vocatur. Et hesperus quidem, siue vesper, vocatur in fine diei, lucifer vero in principio. Sæpe enim quando oritur, paucissimo interuallo solem præcedit. ¶ Sed spiritualiter, lucifer, idest, Christus natus refulget, idest, lucet, docet, prædicat, & populum illuminat, & sic lucem sui ipsius sparsam, ac natam, & vbique dispersam, Dei sapientiam, scilicet, se nunciat, & demonstrat, quia carne, in qua videri posset, indutus est, & suâ præsentia quoscunque attigit, illustrare sufficit. Vnde propter hanc sparsam lucem, & præsentiam sapientiæ Dei, caligo, idest, tenebræ, & opera tenebrarum, scilicet, peccata noctium, idest, hominum peccatorum; cadunt, receduntque ac deficiunt per præsentiam ipsius lucis perpetuæ, ac sanctæ. Vnde ideo bene petimus, vt nos illuminet lux sancta ista. Nam Christus secundum vtramque naturam dicitur lux illuminans: quia secundum diuinitatem illuminat intus animam, & secundum humanitatem informat exterius vitam. Et hoc tripliciter, scilicet, miraculis, prædicationibus, & exemplis. Non solum ergo nos illuminet, verum & semper ista lux sancta iugiter in sensibus, aut mauis in cordibus nostris, maneat, quod est illud, quod sequitur, dicens. *Manensque nostris sensibus, Noctem repellat sæculi; Omnique fine diei Purgata seruet pectora.* ¶ Ad intelligentiam prædictorum versuum nota, quod per sensus corda nostra hic intelligere possumus, per noctem vero Principem huius sæculi, idest, tenebrarum harum, per sæculum vero, & mundum ipsum, & mundi amatores, & impios, ac iniquos secundum Augustinum in lectionibus, quas legimus in cæna Domini: per diem vero totum tempus vitæ nostræ. Dicit ergo: Illuminet nos lux hæc sancta permanens semper in mentibus, ac cordibus nostris, repellatque sæculi huius noctem, hoc est, Principem iniquorum, impiorum, ac sæculi, mundiue amatorum, & hoc ideo à te petimus in hac nocte Domine; quia sicut in hac nocte passionis tuæ, quando mortem patiebaris, principem huius mundi misisti foras, & tu superfuisti, trahens ad te ipsum omnia. Dixisti enim in passione tua: Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras: ita digneris illum eijcere, & expellere à nobis tanquam à mundo. Vnusquisque enim nostrum paruus mundus esse dicitur. Itemq;

Euseb. in hom. vigil. Pascha.
Vesper, & lucifer qd.
Christus informat, & quomodo.
Sensus qd.
Nox quid.
Sæculum quid.
Dies quid.
Ioan. 12.

hæc

hæc lux ſancta, & inuiſibilis omni tempore vitæ noſtræ ſeruet pectora, ideſt, prædicta corda noſtra purgata, munda, ac nitida omni ſorde peccati. ¶ Et quoniam hæc lux ſancta in noſtris ſenſibus habitare nequit, niſi illis primo fides, ſpes, & charitas inſita ſit, hac nunc de cauſa ſubſequitur, dicens: *Quæſita iam primum fides Radicet altis ſenſibus: Fæcunda ſpes congaudeat Quo maior extat charitas.* ¶ Hoc loco numerus, & ordo trium præcipuarum virtutum fidei, ſpei, & charitatis inſinuatur. Primum enim ſibi locum vendicat fides, ea credens, quæ ſupra ſenſum, & rationem ſunt. Quia fides earum rerum eſt, quæ ſub aſpectum non cadunt, atque ab hominum ratione, ac intelligentia remotæ ſunt. Non tamen rerum appellatione hic intelligendæ ſunt res omnes, ſed rerum dumtaxat, quæ ſunt circa Trinitatem ſummam, & verbi incarnationem, nec non circa Eccle-

Fides cur dicitur quæſita. ſiam, Communionem ſanctorum, peccatorum remiſsionem, & vitam æternam, vt notatur in l. 1. C. de ſum. Trinit. & fid. cath. & dici-

Fides qd. tur, quæſita, quia poſt iuſtificationem, vel per auditum, vel per viſa miracula augeſcit. Hæc autem fides lumen eſt animæ, oſtium vitæ, & fundamentum ſalutis æternæ: Quia illuminat, & tenebras infidelitatis expellit. Si quidem vbi fides non eſt, ibi tenebræ ſunt. Vt ſu-

Exod. 10. pra de Iudæis, & gentibus diximus. Vnde Exod. 10. Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti, tribus diebus nemo vi-

Spes quid. dit filium ſuum, nec mouit ſe de loco, vbi erat. Vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat. Secundum ſibi addicit locum ipſa ſpes, quæ eſt certa expectatio æternæ ſalutis, ex gratia, & meritis

1. Pet. 1. proueniens. Vnde Petrus ait: Benedictus Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, & conſeruatam in cælis. Cęterum vbi dicitur, fœcunda ſpes, bene dicitur, quia ſic legit alma mater Eccleſia. At ſi quis legeret ſecunda ſpes, non perperam legeret, eo quod ſpes eſt ſecunda poſt fidem. Concludo tamen cum ſancta matre Eccleſia canendum eſſe, fæcunda ſpes. Quod ratione, & authoritate probo. Nam quid

Spes quid. eſt ſpes, niſi quædam fæcunda, copioſaque, atque abundans, & immenſa expectatio æternorum bonorum? quæ propter futuram beatitudinem, quam expectat, quæ omnium fæcundiſsima erit, fæcunda nuncupatur. Porro ex dictis Origenis poteſt eligi, legendum eſſe, fæcunda ſpes, & non ſecunda, dum dicit: Puto, inquit, quod prima ſalutis initia, & fundamenta fides eſt, profectus vero, & augumenta ædificij ſpes, perfectio autem, & culmen totius operis charitas, quæ nunquam excidit etiam in Regno cæleſti, fides enim in fu-

turo

turbo conuertetur in scientiam, spes in rem, charitas autem augebitur, succedente tunc clara diei visione; & præsenti illa æternorum bonorum possessione, ac perfectione: cæteræ vero duæ mutabuntur: vt dicitur dist. 2. de pænit. cap. charitas. Est autem charitas virtus infusa diuinitus, qua sincere diligitur propter se Deus, & propter Deum proximus. Dicit ergo litera hymni. ¶ Quæsita iam primum fides radicet altis sensibus, &c. idest, ante omnia fides nostra non sit vllatenus infructuosa, sed in cordibus nostris radices absconditorum sensuum alte figat. Spes similiter fructificans in operibus bonis congaudeat, fideique fidat, quia in spe salui facti sumus. Quo maior extat charitas, quo vtriusque, scilicet, fidei, & spei, gaudio de condonata hodie nobis à Deo misericordia in Christo crucifixo, hic charitas erga Deum, & proximum extat maior inuicem nos diligentes, sicut Christus nos dilexit, vt tandem in patria mutata fide in spem, spe in rem, sola charitas ardens remaneat sua completa perfectione. Amen.

Charitas quid.

Feria Sexta ad Vesperas Hymnus Decimus Quintus.

Plasmator hominis Deus,
Qui cuncta solus ordinans:
Humum iubes producere,
Reptantis & feræ genus.
Qui magna rerum corpora,
Dictu iubentis viuida,
Vt seruiant per ordinem
Subdens dedisti homini.
Repelle à seruis tuis
Quicquid per immunditiam,
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.
Da gaudiorum præmia;
Da gratiarum munera,
Dissolue litis vincula.
Adstringe pacis fædera.
Præsta pater piissime,
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

CVm omni iudicio Dauid ad Dominum clamauit, dicens: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Hodie est vltimus dierum diuinorum creationis, in quo terram ornauit alio ornamento. Secunda die terram ab aqua purgauerat. Tertia ipsam terram fæcundam fecerat, decorans eam floribus, & fructibus. Quarta fecit luminaria in firmamento cæli, vt diuiderent diem, ac noctem, & luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.

terram. Quinta aquam, & aerem repleuerat animantibus. Hodie terram ex ipsa terra multis, & diuersarum specierum animalibus creatis replet. Cum ergo Deus, vt diximus, è terra animalia creasset, quæ & si inornatum essent ipsius terræ, erat tamen mundus, velut magna domus sine habitatore, Deerat enim Dominus domus. Frustra hæc enim essent ornamenta, & si pulcherrima (præsidente deficiente) nisi in præparatam domum introducantur. Vnde bene ad istud propositum dicebat Imperator Iustinianus, inquiens. De personis prius videamus. Nam parum est ius nascere, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur. Quo circa, ne homo omnino ignoretur, ac ne frustra facta, & condita ad eius vtilitatem viderentur, Reliquum omnino erat, vt formaretur homo. Formauit igitur hodie Deus hominem, qui primus omnium Adam fuit, quem omnibus præfecit animantibus, dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Huius itaque diuini, & humani operis solemnitatem prędicare, ac memorare nobis cupiens sancta mater Ecclesia, Deum magnificando, totum prædictum laudans comprehendensque opus principio, quod sequitur; sic Deum affatur: *Psalmator hominis Deus, Qui cuncta solus ordinans, Humum iubes producere, Reptantis & feræ genus.* & reliqua. ¶ In quibus diuinam sancta Dei Ecclesia commendat virtutem à productione operis sextæ diei. Rogat secundo, vt immundum omne à nobis repellat. Petit tertio placidam sibi concedi & pacem, & æternæ dona vitæ. Secunda pars est ibi. *Repelle à seruis tuis.* Tertia est ibi. Da gaudiorum præmia. ¶ Ad præmissorum ergo quatuor versuum veram intelligentiam notandum est primo, quomodo Deus sit hominis plasmator, secundo declarandum est quotuplex à Deo receperit esse homo. Tertio notandum, quale corpus dedit Deus primo homini. Quarto videndum est, quid est homo. Quinto dicendum est aliquid de ipsius proprietatibus. Sexto de brutis, ferisq; ac reptantibus animalibus examinandum est aliquid. ¶ Ad primum ergo dicimus, Deum esse hominis factorem, & plasmatorem, quoniam ipse dixit per Moysen in Genesi. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra; & creauit tunc Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Et sic, summa bonitas volens communicare bonum suum alijs, fecit creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, amando possideret, possidendo beata esset. Fecit autem Deus primum hominem, formando corpus eius per ministerium Angelorum de limo terræ in agro Damasceno, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ,

Instit. de iur. nat. gen. & ciuili. §. fina.

Genes. 1.

Hymni diuisio & summa.

Deus quomodo sit hominis plasmator.

Nota. dist. 40. c. illud.

vitæ, ideſt, animam creauit, quam corpori facto vniuit. Vnde Chriſoſtomus inquit. Nec eſt aliud homo, quam corporis, animique concretio. Aduertendum tamen, quod homo non ſolum accepit à Deo eſſe naturale, ſicut cæteræ creaturæ, ſed & pulchrum eſſe, & præeſſe; prout etiam ex verbis Geneſis iam recitatis poteſt colligi. Nam eſſe naturale eſt illud, quod conuenit cum cæteris creaturis tam animatis, quam inanimatis; puta eſſe naturale, & vegetatiuum,& ſenſitiuum,per quod dicitur ad imaginem Dei ſpecialiter factus, per quod attingit ſcientiam, & notitiam rerum tam ſpiritualium, quam corporalium, & attingit omnes virtutes tam theologales, quam morales. Attingit omnia dona gratiarum, ac ſacramentorum, & finaliter attingit veram beatitudinem, & hoc eſt pulchrum eſſe, quod accepit homo à Deo vltra cætera animantia. Accepit etiam, & præeſſe à Deo homo, quia præfecit eum Deus omnibus animantibus, & cæteris creaturis, vt patet in Geneſi, cum dixit, Dominabitur piſcibus maris, & volatilibus, & beſtijs terræ. Homini enim terra, & elementa, & bruta præſto ſunt, & famulantur. Homini militat cælum: huic ſalutem procurant angelicę mentes. Homini animalia alia ad cibum, alia ad veſtitum vſui ſunt. Quæ vero magnarum ſunt virium,dedit,Deus homini ad excolendam terram, vt in colenda terra iuuarent; vnde ex hoc iumenta dicta ſunt. Hinc factum eſt etiam, quod prætores noluerunt hominem ei rei, quę minoris eſſet, accedere,propter eius dignitatem. Homo ſiquidem accepit à Deo oculum carnis, vt videat mundum, & oculum rationis, quo videret animam, & oculum contemplationis, vt videat Deum. ¶ Ad hæc corpus tale dedit Deus primo homini, quod animæ ſubiectum eſſet, vt eſſet obtemperans ſine rebellione, vt eſſet propagabile ſine libidine, eſſet vegetabile ſine mortalitate;vt etiam eſſe, cõforme animæ;& vt ſicut anima erat innocens, & tamen poterat peccare, ſic corpus eſſet impaſſibile, vt tamen poſſet mortalitatem incurrere. Fuit item corpus hominis ita conditum,vt in eo nulla eſſet pugna rebellionis. nulla pronitas libidinis, nulla immutatio vigoris, nullaque corruptio mortis. Porro homo græce antropos dicitur, ideſt, arbor inuerſa. Habet enim caput cum capillis ad modum radicis, bracchia vero cum cruribus ſunt quaſi rami. ſolus quoque homo eſt erecti corporis, & huius ratio eſt, quia in alijs animalibus abundat in capite materia, deprimens, & deficit calor erigens, quod non eſt in homine. Secundo quia rectitudo ſtaturæ corporis atteſtatur rectitudini mentis ſurſum tendentis; vnde vates: Igneus eſt illis vigor, & cæleſtis origo Seminibus.& ille alter. Pronaq; cũ ſpectent animalia cæ-

Pulchrum eſſe.

Præeſſe.

Nota.

Iumenta vnde dicta.

L. iuſtiſſime ff. de adil. edi.

Quale corpus dedit Deus homini.

De natura corporis humani.

Homo quid ſit.

Homo eſt erectus, & quare.

lia cætera terram, Os homini sublime dedit, cęlumque videre iussit, & erectos ad sidera tollere vultus, & Boetius de consolat. philos. lib. quinto ait, de brutis loquens. Quæ varijs videas licet omnia discrepare formis, Prona tamen facies hebetes valet ingrauare sensus. Vnica gens hominum cælsum leuat altius cacumen, Atque leuis recto stat corpore, despicitque terras. Humanum insuper corpus ex quatuor componitur elementis. Apparet terra in ossibus, & carne. Aqua vero in humoribus. Aer continetur in pulmone. Ignis continetur in corde, & ideo inferius cor est latum, & superius acutum; quam formam ignis tenet. Sed proprietates hominis sunt discernere inter honestum, & turpe, vnde solius hominis est honestum prosequi, cum omnia bruta non nisi vtilia, & delectabilia prosequantur. Item solius est hominis passiones ordinare ad limitem rationis. Item supra modum per intellectum eleuari, & ideo quando quis per adhæsionem in terrenis se mundo inferiorem facit, iam quasi honore humanitatis exutus, proprietatem accipit bestiæ ita vt dicatur fieri per immunditiam porcus, per iram canis, per rapinam leo, & sic de alijs. Item intellectualibus theorematibus speculari, & delectari talibus, verecundari in turpi perpetrato. Item perfecte esse coniugale animal, eo quod legibus ordinatas faciat honestas nuptias. Item ciuile esse animal, quia distributiones, & cohabitationes, & fœdera, & pugnas perfectas habet ex vrbanitatibus ordinatas. Item disciplinæ esse perceptibile propter rationis vsum. Esse item animal mansuetum natura propter ciuilitatem. Animal risibile, gloriabile propter perfectas gaudendi rationes, quæ soli contingunt homini. Item creaturarum esse dignissimam. Vnde Chrisostomus dicit, Dignitas humanæ originis facile agnoscitur, considerata sublimitate Authoris. Neque enim facile poterat esse, vel leue, quod manus sacra confinxit, & cælestis manus talem substantiam animauit, maxine cum artifex Deus potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus; vt quem secundum præsidem post se facere disponebat, cum faceret plenum, atque perfectum, habentem in se & dignitatem, qua præcelleret, & potestatem, qua cunctis animantibus imperaret, soli seruiens illi; à quo ei cuncta fuerant subiugata, vt imperaret mundo, seruiret Deo, creatorem susciperet, creaturam sibi parere compelleret. Hæc de homine. ¶ Nunc de feris, ac reptantibus animalibus aliquid dicendum est, & quidem feræ, seu bestiæ sunt, quæ perfectam habent phantasiam, vel phantasiæ perfectæ sunt, quæ mediam inter irrationabilia locum sortitæ sunt, erudiri tamen ab homine, aut mansuescere nesciunt. Reptilia vero sunt; quæ imperfe-

De proprietatibus hominis.

Solus homo honestũ prosequitur.

Homo mãsuetum animal.

Chrisost.

De brutis, feris, reptantibusque animalibus.

Bestia qd.

ctam

ctam habent phantasiam, quasi media inter bruta, & plantas. At iumenta, quæ, & si carent ratione, disciplinæ humanæ quoquo modō capacia cum sint, rationis aliquid participare videntur, mediam quasi sortita conditionem inter bruta, & homines. ¶ Dicit ergo hymni cantor. Tu es Deus creator & hominis, scilicet, Adæ fictor, ac factor, Tuque Deus solus es, qui cuncta disponis, ac ordinas, Ait Propheta de te, Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia tu es Deus solus. Tu inquam, pręcipis, ac permittis, humum, siue terram, genus serpentum, & bestiarum procreare, ac producere, similiter verbo, ac præcepto tuo, Domine, magna alia animalia facis viuida; quod est, quod, sequimur, dicentes. *Qui magna rerum corpora Dictu iubentis viuida, Vt seruiāt per ordinem, Subdens dedisti homini.* ¶ Fuerunt enim pecora, & alia terrestia animalia viuida, siue viuentia dictu iubentis Dei. Habet enim Genesis, Dixit Deus. Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, & factum est ita. Vnde nota, quod dicere Dei; prout iam dictum est supra lib. primo, hymno primo iubere est simul, & facere, quemadmodum bene dicit diuinus psaltes. Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Dictu ergo iubentis, idest, verbo tuo præcipientis Domine, magna iumenta, pecora innumera, & bestias omnium, ac diuersarum specierum viuida, & animata fecisti, eaq; animalia omnia supposuisti, subiecisti, dedistiq; vsuiq; suo contulisti, ac esse voluisti, vt nempe ad comestionem alia; alia ad terram excolendam, alia ad equitandum, alia ad vehendum homines, & homini inseruirent, & alia etiam ferrent, & per ordinem homini seruiunt. Propter hoc propheta tanto affectus beneficio ait. Constituisti eum, hominem, scilicet, super omnia opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Ex omnibus supradictis, & ex omnibus vespertinis supra expositis hymnis adnota quod opera sex dierum, prout Moyses distinxit, moraliter sic habentur. Significat enim rerum creatio de nihilo, impij iustificationem. Firmamenti operatio, boni propositi confirmationem. Aquarum congregatio, cordis adunationem. Siderum perfectio, exemplum bonæ operationis. Piscium, & ouium formatio, statum actionis, & contemplationis. Hominis plasmatio, rectitudinem intentionis. Postea sequitur septima dies æternitatis, scilicet, requies. *Repelle à seruis tuis Quicquid per immunditiam, Aut moribus se suggerit, Aut actibus se interserit.* ¶ Ad præmissorum quatuor versuum intelligentiam notandum est primo, qui nam dicantur esse serui Dei & quare. Se-

Psal. 71.
Psal. 26.
Dicere Dei quid.
Nota.
Psal. 8.
Opera sex dierū exponūtur moraliter, & quomodo.

re. Secundo notandum est, quod oramus Deum, ab eoque petimus eis diuina gratia, & bonitate à nobis repelli quicquid immundum, & impurum, aut vitæ nostræ instituto, ac ordini suggeritur, aut operibus nostris interuenit, vt honesti sint mores nostri, & actus proprij. Tertio notandum est discrimen inter mores, & actus.

Serui qui. Serui ergo hoc loco dicuntur homines mundi huius, quos ad seruiendum sibi Deus, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem Deo seruire summa libertas est: ab eius seruitute recedere turpissima seruitus est. Huius se seruum gloriabatur. Paulus, cum

2. Tim. 1. dicebat, Paulus seruus Christi Iesu: & iterum. Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis, & Dauid, Ego seruus

Differentia inter mores, & actus. tuus, & filius ancillæ tuæ, & iterum. Seruus tuus ego sum. Hæc vere est differentia inter mores, & actus, quod mores modumque rationemque viuendi, & vitæ institutum designant. Nam probos mores & bonos dimus, cum quis recte vitam ordinauit, & honeste viuit, prauos vero, & peruersos dicimus, cum quis improbã ducit vitam. Sed actus sunt operationes, quas facimus, & secundum quas, aut bonis, aut malis moribus imbuti censemur, & iudicamur. *Da gaudiorum præmia, Da gratiarum munera, Dissolue litis vincula, Astringe pacis fœdera.* ¶ Quatuor hic à Deo postulamus, primum, quod cælestium gaudiorum post hanc vitam det nobis præmia. Sunt

Ambros. enim præmia gaudiorum, secundum B. Ambrosium in Luc. 7. inco-

Præmia gaudiorũ qua. lumitas sine debilitate, salus sine dolore; vita sine morte, fælicitas sine impedimento; securitas sine fastidio, vbi societas sanctorum electorum omnium, solemnitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. Secundum est, quod postulamus, quod in præsenti vita nobis elargiatur suarum gratiarum dona. vtrumque enim à Deo iure merito postulandum est, siquidem ille solus ambo illa confer-

Psal. 83. re potest, quod & Dauid confessus est in psalmo dicens: Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Tertium, quod discindat, & abscindat in nobis rixarum, & contentionum occasiones, & litium incen-

1. Cor. 4. dia extinguat, quia Deus noster (vt ait Apostolus, non est Deus dissentionis, sed pacis. Quartum; quod placido fædere pacis nos nox omnes ad inuicem hoc est in futuro sæculo adstringat. Amen.

Sabbato ad Nocturnum Matutinum Hymnus Sextus Decimus.

SVmmæ Deus clementiæ,	*Vnus potentialiter,*
Mundique factor machinæ:	*Trinusque personaliter.*

Nostros

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe:
Quo corde puro sordibus
Te perfruamur largius.
Lumbos, iecurque morbidum
Adure igne congruo:
Accincti vt sint perpetim
Luxu remoto pessimo.
Vt quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus
Donis beatæ patriæ,
Ditemur omnes affatim.
Presta pater piissime;
Patrique compar vnice,
Cum spiritu paraclyto
Regnans per omne sæculũ. Amẽ.

CVm peccatum carnis, idest, rebellis caro, libidinosique motus connascantur nobis in pœnam originalis peccati; nam amissa originali iustitia per diuini præcepti transgressionem, statim insurrexit carnis contra spiritum rebellio, propter quam primi parentes, fecerunt sibi perizomata, idest, succinctoria, & breues brachas: proinde omnium mater Ecclesia à suo sponso Christo erudita, vt libidinem tanquam ignem fugiat, hoc hymno iam præmisso pro impetrando contra hoc vitium auxilio appropriatam diuini nominis inuocationem facit. nam cum hoc carnis vitium, & peccatum sit pœna peccati: pœnæ vero non relaxentur aliquo debito; sed iudicis clementia: Deum summę clementiæ inuocat, vt ex sua benignitate relaxet, quod ex nostro meremur peccato, & dicit: *Summe Deus clementiæ: Mundique factor machinæ: Vnus potentialiter: Trinusque personaliter*. &c. ¶ In quibus omnibus sancta Dei Ecclesia per Beatum Ambrosium præfati cantici hymnetem primo Dei inuocationem facit. Secundo petit cum hymnis eius suscipi fletus, & preces ab eodem Domino. Tertio mentis, & corporis postulat sibi elargiri ab eodem met Deo castitatem. Quarto rogat vitam sibi tandem dari æternam. Secunda pars est ibi. Nostros pius cum canticis. Tertia est ibi. Vt quique horas noctium. *Hymni huius Author* *Hymni diuisio,& sũma.*
¶ Ad maiorem igitur euidentiam huius primæ totius hymni partis notandum est, quid per mundum, quidque per eius machinam intelligere debemus. Secundo videndum est, cur sancta Dei Ecclesia post secundum versum, hic positum, subdat, dicens, Deum esse vnum, & trinum. Quantum ergo ad primum dicendum est, quod mundus hoc in loco accipitur pro vniuersitate rerum creatarum. Vnde Ioannes; & mundus per ipsum factus est, trina, scilicet, mundi machina, ac tres illæ totalis mundi, vel totius vniuersi partes, scilicet, cælestis, terrestris, & infernalis; vel angelica, cælestis, & elementalis: de quibus partibus loquuntur etiam hymni Ascensionis Domini, & Beatæ Mariæ Virginis, ibi: Vt trina rerum machina cælestium, terrestium, & infernorum. Et ibi. Trinam regentem machinam claustrum Mariæ baiulat. Ad secundum vero præ- *Quid, per mundum & eius machinã intelligendũ sit.*

ro præſuppoſitum; ideo ſubdit Author hymni poſt ſecundum verſum, Deum vnum eſſe, & trinum adnotandum; quoniam iſte mundus, ſenſibilis, ſeu iſta mundi machina, eſt productus, productaue eſt à Deo ad inſtar illius mundi exemplaris, & æterni: ideo in ſe retinet quaſi per omnia veſtigium, & ſimilitudinem illius, eo quod mundus productionis, & emanationis creaturarum ſequitur mundum productionis & emanationis diuinarum perſonarũ. Nam ſicut ab æterno pater dicendo ab intra producit verbum, & ambo ſpirando producunt ſpiritum ſanctum per modum voluntatis: ita pariter pater ex tempore dicendo ad extra per verbum ſuum produxit hũc mundum viſibilem, & pater, & verbum ſpirando ſuper omnia creata per ſpiritum ſanctum produxerunt ea in eſſe eſſentiæ. Cum ergo Deus ſit trinus, & vnus, non ſolum impreſſit veſtigium trinitatis ſingulariter in vnaquaque creatura, in quantum omnia fecit ſub numero, pondere, & ſub principio, medio, & fine, ſed ad hoc totum iſtum mundum fecit trinum, & vnum quantum ad naturam, & ſubſtantiam. Nam licet iſte mundus creatus ſit tantum vnus in numero per aggregationem: tamen eſt trinus in natura, & gradu, & machina; ſecundum quod Deus trinam machinam creauit in eo. primo in gradu creauit naturam angelicam totam ſpiritualem, & incorpoream, & incorruptibilem. In ſecundo gradu creauit naturam elementalem corpoream, & corruptibilem; & ſic mundus licet ſit tantum vnus: tamen conſtat ex triplici, & trina natura ſpirituali, & ſic mundus eſt trinus, & vnus ad inſtar ſui creatoris, qui hic dicitur trinus. ¶ Cæterum vbi dicit hymni Author in ſecundo carmine: Mundique factor: nota, quod hoc dicit rememorando, quæ hactenus per totam hebdomadam cantauit: vt omnia ſibi facilia oſtendat, qui ex nihilo tam magnam fecit machinam, quæ omnia erant fruſtra, niſi quod oramus, donet; nihil enim pro fuerit naſci, niſi & redimi profuiſſet, & ob hoc addit: Vni Deo omne ſubeſſe poſſe: qui tamen eſt omnipotens, ſapiens, & bonus, poteſt, ſcit, & valet; & ſecundum has proprietates eſt trinus perſonaliter. exaudiat ergo, ſi agnoſcentes infirmitatem noſtram, non oretenus tantum; ſed cum fletu cordis illum orauerimus, vt ſequitur. *Noſtros pius cum canticis Fletus benigne ſuſcipe: Quo corde puro ſordibus Te perfruamur largius.* ¶ Profecto, qui dixerunt arma clericorum eſſe debere orationes lachrymas, & ſuſpiria, veritatem dixerunt. Ecce quomodo nunc noſtra Santa mater Eccleſia in caſtris exiſtens, hoc eſt, in Eccleſijs, quærit inimicos euertere, ac profligare ſuis armis: imo iam vicit, & proſtrauit illos, ita vt modo vult eius arma, quibus ſuperauit inimicum Dæmonem, cantans Dei laudem, ei præſentare; atque

Mundus eſt trinus, & vnus.

diſ. 36. c. ſi quis. 23. q. 3. cap. conuenior.

Arma clericorũ quæ Caſtra clericorũ ſũt Eccleſia.

que donare non secus,ac solet post assecutam victoriam de inimicis suis milites,& duces temporales præsentare vexilla,ac arma, atque triump hum ipsi Domino in Ecclesijs. Vnde ideo dicit: Nostros fletus,idest,nostra arma,quibus alias,& modo superauimus hostes huius mundi,carnem,nempe,mundum,ac Dæmonem, benigne suscipe. Perpetrata ergo,præamandi fratres,& inimicos nostros, fletibus,lachrymis,suspirijs,ac orationibus puniamus, vitam nostrã corrigamus, mores mutemus, & mala,ac vitia,resistẽdo,& cãticis hymnicis iugiter Deo canẽdo, vincamus, vt peruenire ad gaudia æterna mereamur,& Deo summo bono largius,perfecteque perfrui. Igitur qui Deũ posthac iniuste cogitando offenderit, qui se peccatis vltro obtulerit, & in illis diu perseuerauerit, qui non solum peccauerit, sed semetipsum virtute priuauerit,qui proximũ suum malo exẽplo corruperit, fletibus statim ad instar Beati Petri huiusmodi luat excessus, & lachrymis eosdem expurget, expietque. Dicit ergo: O benigne Deus, lachrymas,luctus, atque fletus nostros tãquam arma cõtra hostes nostros benigne audi,& intellige,&cognosce afflictionem nostram de commissis peccatis. etenim (confitemur) peccauimus tibi,iniuste egimus,iniquitatem fecimus,sed modo lachrymis nostris enitimur mundare,lauare, & abstergere sordes cordis nostri, vt mũdo,ac puro corde,& simplici te Domine,largius, perfectius, ac amplius perfruamur in futurum. Amen. Nunc partem morbo laborãtẽ Deo ostendimus,ac exhibemus,vt illam Deus accẽdat igne sui amoris,ne amplius labatur in labem peccati,& subiungimus sic: *Lumbos iecurque morbidum Adure igne congruo: Accincti vt sint perpetim: Luxu remoto pessimo.* ¶ Ad hanc præmissę orationis veriorem elucidationem notandum primo est,cur lumbos,iecurque nostrum aduri igni congruo à Deo petamus. Secundo notandum est quomodo lumbi accingendi sint. Tertio videndum est quomodo luxus,seu luxuria remouenda à nobis. Itaque ideo lumbos,iecurque nostrum aduri igni congruo, conuenientique,idest,igne spiritus sancti, qui non affligit, sed suauiter ardet,à Deo hic postulamus:quoniã in lumbis esse dicitur voluptatum carnalium sedes. Iecur vero dicitur esse locus cupiditatis,quę carpit hominem,& expleta non multo post siti vehementiori premitur. Vnde dicit Dominus de Leuiathan,idest,de Diabolo,ad Iob,nempe,quod fortitudo eius est in lũbis eius. Sed lumbos accingimus, secundum Gregorium de pænit.dis.2.§.si enim; cũ carnis luxuriam per continentiã coarctamus:sicut in euangelio nos monet Dominus,dicens:sint lumbi vestri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus vestris. Et Apostolus ad Ephesios, State ergo succincti lũbos vestros in veritate. Et sapiens ait. Mulier fortis accinxit fortitu

De pænit. dis. 5. §. 2.

Voluptatũ carnaliũ sedes.
Iecur quid
Iob 40.
Accingere lumbos q d
Luc. 12.
Ep hes. 6.

Accingere lumbos sex modis cõtingit. dine lũbus suos, quia carnis in se concupiscentiam restringit. Sed secundũ Albertum Magnum. Luc. 12. sex modis lumbi accinguntur, videlicet, fortitudine contra emollitionẽ, iustitiæ disciplina contra motũ surgentem, castigatione carnis contra mali radicẽ, continentia contra passionem, vim mentis eneruantem, virilitate animi contra oblectamentorum tentationem. De primo modo dicitur prouer. 45. Accinxit fortitudine lũbos suos, & roborauit bracchium suum. De secundo, scilicet, iustitiæ disciplina dicitur Isaię xi. Erit Iustitia cingulum lumborum eius, non enim restringitur luxus sæculi, nisi disciplinæ seueritas carnis adhibeatur. De tertio modo dicitur Apoc. 1. præcinctum ad mamillas zona aurea: Zona enim aurea est restrictorium meditationis scripturarũ ad mamillas cordium. De quarto dicitur Iudith. 8. habens cilicium super lũbos, ieiunabat omnibus diebus vitę suę, pręter sabbata, & neomenias, & festas domus Israel. De quinto dicitur Iob. 83. Balteum Regum dissoluit, & præcinget fune renes eorũ. De sexto dicitur Iob. 12. Accinge sicut vir lumbos tuos, & interrogabo te, responde mihi. Non enim Deo respondere poterit, qui oblectamenta tentationum, & veritatum non restringit. Hierem. 1. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Cæterum à nobis vti remouebimus luxũ? certe hoc modo. Nã sicut Magi per aliã viã reuersi sunt in regionem suam. Matth. 26. sic nos per alium esum, aliumque appetitũ, & alium vestitum (hæc enim tria inducunt luxuriam) quibus hucusque vsi fuimus; propellamus à nobis omnẽ luxum. Et primo per ciborũ parcitatem. *Nam luxuriat raro non bene pasta caro.* Secũdo per aliũ appetitũ, à quo maxime canendũ est, quia inde frequenter mors, & corporis, & animę sequitur, quãdoquidẽ cõcupiscẽtia cũ conceperit parit peccatũ, peccatũ vero cũ cõsumatũ fuerit, generat mortẽ. Tertio vitãdus est apparatus nimius corporis; nã beatus est, qui cũ tunicis nouis sumet noua cõsilia. fugiẽda est igitur omnino, præamandi fratres, luxuria, famã siquidẽ denigrat, corpus debilitat, mentẽ excruciat, rationẽ excæcat. corpus maculat, bursã euacuat, prodigalitatẽ ampliat, corpus, & animã coinquinat, & infirmũ detrudit, à Deo separa, vocẽ acerbat, visum minuit, & offuscat. Hæc omnia supradicta Ludolphus his versibus pertringit, nempe.

Luxuria quomodo remouẽda sit à nobis.

Iob. 1.

Luxuria damna,

Ludolph. cap. 20.

Sit tibi potus aqua, cibus aridus, aspera vestris,
Dorso virga: breuis somnus: durumque cubite.
Flecte genu: tunde pectus; nuda caput orans.
Hæreat os terræ, mens cælo, lingua loquatur.
Nunc potius pœnas peccatis exige dignas:
Quam te perpetuis abdicat Iudicis ira.

Reduc

Reduc etiam diligenter ad memoriam tuam cilicium, & locustam B. Ioannis Baptistæ, labores Pauli, Vigilias Bartholomæi, saccum, & panem Hieronymi, tunicam, & vepres Benedicti, si luxuriam fugere,& vitare decreueris. Adure ergo Domine, & accende, congruo igne, scilicet, tui amoris, qui est spiritus sanctus, lumbos nostros, plenos carnalibus disiderijs, iecurque, siue hepar morbidum, idest, ad peccatum inclinatum, & morbo sensualitatis infectum, vt sint ambo accincta perpetim contra omnem libidinem omni inposterum semoto pessimo luxu, ac libidinis relaxatione, solutioneque omni mala luxuriæ. Sed ad quid præmissa petimus? *Vt quique horas noctium Nunc concinendo rumpimus, Donis beatis patriæ Ditemur omnes affatim.* ¶ Ad præmissorum versuum notitiam notandum primo est, quid sit rumpere noctium horas. Secundo adnotandum est, quæ nam sint illa dona, quibus ditari à Deo postulamus. Tertio notandum est,quæ sit vis dictionis affatim. Aduerte igitur, prout dictum supra in hymno feriæ tertiæ ad matutinum, quod nec noctem, nec horas noctium vllatenus rumpimus; imo tunc nox sicut dies, illuminatur, sed rumpimus commoda nostra carnalia, quis enim ignorat, quam carnalis sensus laborem fugiat, quietem diligat, dulcem amet soporem, & sternere in lecto potius, quam vigilare cupiat? Verum dona beata, quibus ditari cupimus, bona, & dona gloriæ esse putandum est; qualia sunt clara, & facilis visio diuinæ essentiæ, & indiuiduæ Trinitatis: item perfecta, & secura possessio summi boni, item & sufficiens, & perfecta fruitio prædicti summi boni, item & vera, & perfecta beatitudo, & perconsequens immortalitas cum impassibilitate, & claritas, & subtilitas, ac agilitas. Sed affatim, hoc loco, abunde, facundeque significare non perperam forsitam dicemus. Quicunque ergo noctium horas rumpimus, Domine, & non illis totis somno indulgentes; sed sopore ante finem noctis excusso, & tibi Domine, psallentes æternæ gloriæ muneribus affatim, idest, generaliter omnes ditemur. Amen.

Nota.

Quid sit rūpere horas noctiū.

Dona quibus ditari cupimus quæ sint.

Affatim qualiter exponatur

Sabbato ad Laudes Matutinas Hymnus Decimus Septimus.

Aurora iam spargit polum:
Terris dies illabitur,
Lucis resultat spiculum:
Discedat omne lubricum.

Phantasma noctis decidat:
Mentis reatus subruat:
Quicquid tenebris horridum
Nox attulit culpæ, cadat.

Et mane illud vltimum:
Quod præstolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canore concrepat.

Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto
Et nunc, & in perpetuum. Amē.

Hymni Author. Ambros. Hymni diuisio, & summa.

HYmnus iste, quem hic audiuimus, tres habet partes, & in eo primo sancta mater Ecclesia lucis aduentum describit, cū ait, *Aurora iam spargit polum*. Secundo petit, vt depulsa nocte peccati, diuina nos lux illuminet, cum sequitur: *Phantasma noctis decidat*. Tertio postulat, vt lux ista ad lucis perpetuæ consortium peruenire nos concedat, vt fruamur Dei cognitione. ¶ Verum ad veriorem totius hymni intelligentiam notādum est, quod hic hymnus continuatur superiori, tali pacto, Domine ita nos rumpimus horas noctium, vt nos omnes ditemur, & simus diuites in Christo,. Nam ecce, Domine, aurora aduentauit, quæ, & polum illuminat. Vnde mater Ecclesia semper aduentante luce (vt videri potest in omnibus hymnis laudum præcedentibus) gaudet, & varijs locutionibus illam repræsentat, vt mistice intelligamus fieri in cordibus fidelium, quod fieri in aere cernimus. Ecce tribus modis auroram describit, spargit polum, terris illabitur, resultat spiculum. Ita aurora diuinæ gratiæ post noctem peccati aspergit intellectum, illabitur voluntati, & memoriæ spiculum lucis persistit, vt nunquam obliuiscatur beneficiorum Dei, bona semper appetat, & vera absque aliquo errore sequatur. Quod si hoc contigerit, omne spiculum peccati discedet, tenebrarum cadet phantasma, in totumque subuertetur mentis reatus, & hoc ob veritatem, bonitatem, & gratitudinem erga Deum. Et sic cum iubiloso canore mane illud vltimum, quod nescit vesperare, occurret nobis à Deo gloriosum, idest, in lucem. Ex omnibus supradictis collige Auroram hoc in loco pro diuina gratia accipi posse, ac pro ipso Christo Domino nostro; polum vero pro intellectu, seu anima nostra. At terram pro hominibus huius mundi, aut etiam pro hominibus terrenis, & peccatoribus, sed diem Christum notare dicemus. Spiculum vero Christi faciem, ac aspectum nobis innuere mystice credendum est. Denuo per lucem ipsam Christi pulchritudinem, & claritatem. Nouissimo loco, lubricum dicimus intelligi hic quicquid animæ nostræ prolapsum infert ad peccandum, vt impuritas, ac fæditas peccati. Dicit ergo primorum quatuor versuum historia. Aurora iam spargit polum, idest, diuina gratia ac ipse Christus clarificat, ac illuminat polum, hoc est, intellectum nostrum, seu animam nostram, ac corda, mentesque fidelium hominum: Diesque, idest,

Aurora quid. Paulus qd Tertia qd. Dies quid. Spiculum quid.

Christus,

Christus, siue diuina eius gratia illabitur terris, idest, nobis Christianis, de terra factis, nostræque voluntati ingeritur, & lucis spiculum resultat, idest, Christi facies, ac aspectus, exultat, ac gaudet, lucem suam in corda nostra fuisse dilapsam. Ergo discedat nunc à nobis omne lubricum, idest peccati fœditas, omnisque immunditia, lucique cedat locum quicquid animam nostram coinquinare potest, nempe, *Phantasma noctis decidat: Mentis reatus subruat: Quicquid tenebris horridum Nox attulit, culpæ, cadat.* ¶ Ad quorum verborum intellectum notandum est primo quod phantasma hoc loco pro diabolica illusione, seu vana visione, accipitur, vt cum quis inter noctu, & inter domiendum, videt formas diuersas, & à natura rerum varias, & alienas. Nox vero, vt sæpe numero etiam in sacra scriptura sumitur, pro Diabolo hic accipitur. At mentis reatus hic idem est, quod culpa, siue crimen, ita vt per reatum possis intelligere omne id, quod potest mentem nostram inducere in statum, ac conditionem rerum, & dicitur reatus, quoniam ad pœnam æternam obligat. Vel dicitur reatus, quasi reorum status, atque habitus ipse reorum, antequam absoluantur, aut damnentur; cum squalidi, & prolixa barba de salute litigant. vel subruat, idest omnis mala mentis intentio, & omnis nostræ mentis mala cogitatio, ac omnis mentis mala occupatio ruat, cadat, deficiatque; ne ea sic præuenta, & occupata mala intentione, mala cogitatione, & occupatione impellatur tandem, ac incidat in diuinæ legis transgresionem; ac perconsequens nos deuiet à bono vtili, & necessario ad salutem æternam huiusmodi reatus. Quarto loco aduertendum est, quod horridum dupliciter potest esse, vno modo horridum dicitur, quod est immundum, & fœdum, siue corruptum; alio modo horridum est, quod allaturum est dolorem, & mortem. Quinto loco nota, quod culpa est immiscere se rei, non pertinenti ad se. Item culpa est non æstimare, quod quis æstimare debet. Et culpæ nomen generale est, dolumque comprehendit, & culpa vocatur prout respicit pœnã. Dicit ergo, phantasma noctis decidat, hoc est, quæuis Diaboli illusio, aut ana visio cadat, & deorsum prolabatur, ac euanescat, & mentis reatus subruat, idest, crimẽ omne, quod mentem nostram potest inducere in statum reorum, & omnis obligatio ad pœnam submergat, subruat, ac omnino à nobis cadat, ac procul discedat. Et quicquid culpę nox attulit, horridum, pariter cadat, idest, omne id, quod immundum, fœdumue, aut, quod dolorem, & mortem nobis afferre potest; aut id sit perpetratum Diaboli suggestione tempore nocturno, ac tenebroso, aut id nostra culpa euenit; cadat, ac procul à nobis absistat. *Et mane illud vltimum.*

Phãtasma qd signet.

Nox quid

Reatus quid.

Horridum quotuplex

Culpa qd.

Quod præstolamur cernui, In lucem nobis affluat, Dum hoc canore concrepat. ¶ Similiter ad istorum aliorum versuum præsentium intelligentiam, notandum est, quid hic per mane vltimum intelligamus, quidque per lucem, & quid per canorem, & demum verborum facienda est constructio.

Mane vltimũ quid

Per mane ergo vltimum intelligitur hic dies aduentus Domini ad iudiciũ in consumatione sæculi, qui dicitur vltimus, & nouissimus dies, quoniam illi alia non est successura dies temporalis. Vnde de hoc mane sic fatur Eusebius Emissenus in homil. fer. 2. Paschatis.

Euseb.

Mane autem vitæ huius finis intelligitur, quando Christus sol iustitiæ apparebit, & fugatis tenebris, nox vlterius non erit. quare illud mane non videbit vesperam, quoniam illis, qui habebuntur digni resurrectione, dicet Dominus: Venite benedicti patris mei, & sic trasferentur ad vitam in regionem lucis perpetuæ, vbi continuus sine nocte dies, & sempiterna sine interpellatione felicitas. Habet enim Apoc. Nox ibi vltra non erit.

Apoc. 21.

Dies septimus mundana durationis habet mane, sed nõ vesperam.

Ex quibus quidem rebus id colligitur, quod septimus dies mundanæ durationis (qui sabbati, & requiei nomen sibi vendicat, quod in eo requieuerit Dominus ab omni opere, quod fecerat) habet quidem mane, sed non vesperam ad instar sex dierum præcedentium, huius vitæ labores, & agonem signantium, quandoquidem requies illa beatorum, per septimum diem signata, nunquam est habitura nec finem, nec terminum vllum, quia, vt diximus, nescit vesperare.

Lux quid.

Verum per lucem hoc loco regionem lucis sempiternæ, quæ lux perpetua, & indeficiens non solum lucere in se ipsa, sed sua præsentia quoscunque attigerit illustrare sufficit, intelligimus. ¶ At per canorem cantum, seu consonantiam quandam accipi hic dicimus.

Pronomen hoc quid signat.

Sed pronomen, hoc, hic positum, signare dicimus tempus præsens, quo hic viuimus. Vnde ex hoc dicto, & ex alijs principio dictis colligimus, mane dupliciter considerari posse.

Mane duplex esse dicitur.

vno modo pro die aduentus Domini ad iudicandum in fine sæculi, qui dicitur dies vltimus, & mane futurum: alio modo mane dicitur discursus mundi huius, & totum hoc tempus gratiæ respectu legis veteris; quæ dicebatur nox, & sic datur & mane etiam præsens. Dicit ergo hymni litera. Et mane illud vltimum, hoc est, Christi aduentus quem inclini, & humiles, ac orantes expectamus, eueniat nobis, & cedat nobis sic psallentibus, in sempiternam lucem, & hoc ipsum nobis accidat, dum hoc tempus gratiæ, & dum hoc mane præsens, in quo viuimus, concrepat, idest, dum veniens personat, & prorumpit, aut insumitur in laudem Dei à nobis. Amen.

Sabbato

Sabbato ad Vesperas Hymnus Decimus Octauus.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis vnitas,
Iam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecemur vesperi
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto,
Et nunc, & in perpetuum. Amē.

SAncta mater Ecclesia, quæ tam de die, quam de nocte, idest, quæ vesperi, mane, & meridie quærit dare laudes Deo suo, sumpta temporis qualitate, & natura, nempe, recedente die, & aduentante nocte, intendit in hoc præmemorato hymno inuocare per Beatum Gregorium, huius hymni factorem, ac cantorem, sanctissimam Trinitatem in vnitate. Secundo petit spirituale lumen infundi in cordibus nostris. Tertio petit facultatem, qua possit mane, & meridie, & vesperi laudare Deum, hoc est, ipsam sanctissimam Trinitatem. *Hymni Author. Hymni diuisio, & summa.*

¶ Ad primorum ergo quatuor versuum elucidationem pleniorem in primis notandum est, quod beata Trinitas lux appellatur eo, quia ipsa in patria est speculum, in quo relucent creaturæ, at in via creaturæ è conuerso sunt speculum, in quo creator videtur. Patet præterea ista beata Trinitas in scripturis, ostenditur in figuris, relucetque in creaturis. Isai. 6. Audiuit Seraphia ter dicentia sanctus, in laudem Beatæ Trinitatis, subiungentia in singulari, Dominus Deus Sabaoth, propter confessionem vnitatis diuinæ. In figuris item ostenditur beata ista Trinitas, significatur enim per tres amicos Iob. Item per tres Angelos, quos Abraam hospitio recepit, tres vidit, & vnum adorauit. Relucet vero in creaturis hæc sancta, & beata Trinitas. nam cognoscitur in magnitudine creaturarum potentia patris, in dispositione sapientia filij, in ornatu cognoscitur bonitas spiritus. Relucet item in sole, quia in eo vides essentiam, splendorem, & calorem. In quibus patrem, filium, & spiritum sanctum cognoscis. Item in anima secundum memoriam, intellectum, & voluntatem considera personarum Trinitatem, & vnitatem substantiæ. Item in hierarchia cælesti superiori Deus est in thronis, vt maiestas, in Cherubin, vt veritas, in Seraphin vt charitas. Notandum est secundo quod ipsius Deitatis indiuidua vnitas hic dicitur principalis vnitas, quoniam sicut vnus solus Deus est, sic vnum solum principium est, &

Beata Trinitas cur lux appellatur. *Gen. 18.* *Isai. 40.*

Principalis vnitas quid. est,& quoniam est omnis vnitatis exordium, & fons,a qua principali vnitate quicquid in mundo est vnum, suam habet vnitatem , ita Deus ipse principalis dicitur vnitas,bonitas, virtus,lux,& id genus, reliqua in abstracto, quod de nulla creatura dici potest. ¶ Notandum est tertio circa tertium carmen, quod sol bifariam considerari potest,videlicet,materialiter,& spiritualiter : si sumimus solē materialiter,sic dicimus.O beata Trinitas, & principalis vnitas : nos videmus,quod sol iste sensibilis tendit ad occasum;ideo igitur præsto sit nobis,idest, cordibus nostris,lumen tuum, quod locum sibi vendicet,& teneat solis materialis,& sensibilis,qui paulatim decumbere,& deficere,& à nobis abesse videtur . At spiritualiter sol assumptus Christus intelligitur , qui per suum aduentum , & natiuitatem causauit diem gratiæ in Ecclesia, q. d. Ergo, ò Christe , Tu ex hoc mundo,velut terrenæ & obscuræ habitationis loco recedis, & altissimum , & splendidissimum cæli domicilium , tanquam tuum proprium ascendis , proinde antequam discedas, infunde lumen tuum, ac spiritus sancti nobis, hoc est, cordibus,quo non solum vitare malum & discernere inter bonum,& malum possimus , verum etiam contemplari tuam diuinam celsitudinem . Vnde patet,quod lumen (& hoc dicamus pro expositione quarti carminis) est duplex , scilicet,vnum naturale,& aliud spirituale,& infusum. Lumen naturale est lumen intellectus agentis,& rationis,quoniam naturalia anima nostra potest cognoscere per studium, & actionem , & sic potest cognoscere,quomodo anima nostra est immortalis,& dependens à primo esse,quod est Deus, prout naturaliter cognouerunt etiam philosophi Deum,& intelligentias, & animam nostram esse immortalem. & illud lumen dicitur speculatiuum,per quod potest anima nostra naturaliter cognoscere tria naturalia principia , siue tres leges naturales,nobis naturaliter insertas, quæ sunt tria principia in genere morum . Primum est,quod omne bonum agendum est,& omne malum vitandum . Secundum est , quod tibi fieri non vis, alteri non facias:quod tibi vis fieri,alteri facias . Tertium principium ,& res naturalis est,nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum , quæ quidem principia , & leges scribuntur in Genesi, vbi dicit ad Cain : Cur iratus es contra fratrem tuum ? cur hoc egisti? vbi demonstrat nullum malum agendum. & postea sequitur: Nescis, quod si bene egeris,recipies, si autem male , peccatum statim in foribus aderit?per quod ostenditur nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum , esse legem naturalem . Et istam legem simul cum cæteris duabus possumus naturaliter cognoscere . At lumen spirituale est illud , quod infunditur ex speciali dono spiritus sancti ,

Christus dicitur sol.

Lumen duplex naturale,& spirituale seu infusum.

Lumen naturale qd sit.

Lumen speculatiuum quid & quomodo p ipsum cognoscãtur tria principia.

Genes. 4.

sancti, eleuans intelligentiam vltra naturam sui ad comprehendendum ea, quæ sunt supra humanam facultatem, prout spiritus sanctus diuidit singulis prout vult. prima cor. 2. Quod quidem lumen dupliciter peruenit ad nos, vno modo per spiritualem impressionẽ, & illustrationem, & sic receperunt ipsum patriarchæ, & prophetæ in veteri testamento. Secundo peruenit illud lumen ad simplices fideles per doctrinam, & prædicationem: nam Moyses eandem legem, quam acccepit à Deo annunciauit populo, & prophetæ annunciauerunt eadem mysteria, & vaticinia, quæ à spiritu sancto fuerunt eis reuelata, & ita etiam Apostoli reuelauerunt nobis ea, quæ à spiritu sancto receperunt. Ex quibus patet, quod licet Gentiles non habuerunt hoc lumen supra naturale, tamen habuerunt lumen naturale, quo potuerunt vitare malum, siue discernere inter bonum, & malũ. Itaque ò Domine, infunde nobis, idest, in cordibus nostris lumen hoc supranaturale, & spiritus sancti, vt eo imbuti, *Te mane laudum carmine, Te deprecemur vesperi, Te nostra supplex gloria, Per cuncta laudet sæcula. Amen.* ¶ Ad præmissæ, quam hic fecimus, orationis intelligentiam notandum est, quod mane hic tempus matutinum significat, licet aliquando pro mane intelligatur totum tempus gratiæ, vt dictum est paulo ante, sicut per noctem potest intelligi etiã aliquando tempus prosperitatis, sicut per noctem aduersitatis indicatur. Notandum est secundo, quod dictio, vesperi, hoc eodem loco, vespertinum, serotinumque tempus signat. Notandum est tertio loco, quod non simplex gloria legendum est, vt nonnulli legunt, sed supplex legendum est. Nam simplex aptum non est epithetum nominis gloriæ, neque facile quisquam assignauerit, quæ nam sit nostra simplex gloria. Supplex vero accommodatum est, & congruum huius nominis vocabulum gloria. Quod quidem pro laude, & præconio diuinæ maiestatis, quo eam glorificamus, hic sumitur, sicut in illo versu Ecclesiastico celebratissimo: Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, per Damasum Papam, instituto. Notandum est quarto loco, quod per cuncta sæcula hic intelligimus omnes huius vitæ nostræ dies, aut ætates, statusq; ac generationes omnes. Te ergo, Domine, mane, te vesperi, idest, & in tempore matutino, ac in tempore serotino, ac etiam meridiano (iuxta Dauidicum exemplum, qui dicebat, vespere, mane, & meridie, narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. & iterum: A custodia matutina vsque ad noctẽ) deprecamur te, inquam, laudum carmine. Te etiam nostra supplex gloria, idest laus nostra, ac debile præconium laudet, cantetq; per omnia sæcula, ac sine fine, hoc est, per cunctos dies, ætates, statusque ac generationum generationes, q. d. quod consecutiue intelligendum

Lumen spirituale qd.
1. Cor. 2.
Gentiles habuerunt lumen naturale sed non spirituale.
Mane accipitur multipliciter.
Vespere qd notet.
Gloria supplex quid notat.
Per cuncta sæcula quid intelligemus.

gendum est) per cuncta sæcula sæculorum sibi inuicem succedentium supplex te nostra laudet gloria. Dicuntur enim sæcula, quia semper sequuntur; vel antonomatice hoc idem dici intelligamus, ut sit sensus, sicut ante omnia, ac cuncta sæcula omnis honor, & gloria tibi debebatur, quippe qui filius cum patre in vnitate spiritus sancti, in deitateque vixisti, & fuisti. Ita & in præsenti sæculo, & in futuro, vbi iusti cum sanctis Angelis permanebunt, & iniusti cum Diabolo & Angelis eius cruciabuntur, sit tibi Domine nostra supplex gloria, quæ nullo vnquam concludatur fine. Amen.

Psal. 54.

FINIS LIBRI SECVNDI.

MICHAE-

MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS V. I. D.

IN OMNES FERME ECCLESIATICOS HYMNOS BREVIS ELVCIDATIO.

Liber Tertius.

In Aduentum Domini ad Vesperas Hymnus Primus.

Conditor alme syderum,
Aeterna lux credentiũ,
Christe redẽptor omniũ,
Exaudi preces supplicũ.
Qui condolens interitu,
Mortis perire sæculum,
Saluasti mundum languidum,
Donans reis remedium.
Vergente mundi vespere;
Vti sponsus de thalamo,
Egressus honestissima
Virginis matris clausula.
Cuius forti potentiæ
Genu curuantur omnia;
Cælestia, terrestria;
Nutu fatentur subdita.
Te deprecamur agie,
Venture iudex sæculi,
Conserua nos in tempore
Hostis à telo perfidi.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri, & filio,
Sancto simul paraclyto.
In sæculorum sæcula. Amen.

Sciunt

SCiunt omnes ferme homines diem hunc, in quo Ecclesia infrascriptum canit hymnum, esse primum omnium dierum, hoc est, dominicum diem, de quo, & supra libro primo, hymno primo, fusius dictum est, in quo dominus noster totum creauit mundum. Vnde ex hoc nostra alma mater Ecclesia hoc recte, & rite sciens, sic in diuinam laudem, & honorem, & magnificentiam ora soluit, nempe. *Conditor alme siderum, Aeterna lux credentium, Christe redemptor omnium, Exaudi preces supplicum*, & reliqua. ¶ Vbi per Beatum Ambrosium, & mundi creationem tam corporalem, quam spiritualem, insinuat Ecclesia, nempe in primis duobus versibus. In tertio vero versu mundi redemptionem. In quarto demum versu annectit orationem. Sed in quinto, vt Deum ob nostra peccata iratum nobis ad exaudiendum, placatumque reddat sibi, suas illius erga peccatores miserationes rememorat, cum ait. *Qui condolens interitu, Mortis perire saeculum*, &c. Sexto loco modum, magna pietate refertum, quo vsus est, & tempus, in quo auxilium praestitit Deus, commemorat, vt ostendat magnam Dei clementiam erga peccatores, quando res humanae erant vltima in desperatione positae, cum inquit: *Vergente mundi vespere, &c.* Septimo loco diuinam celebrat omnipotentiam in humana natura, sibi omnia caelestia, terrestria, & inferna subijcientem; vt nihil sit illi impossibile, cum pergit, dicens. *Cuius forti potentiae Genu curuantur omnia.* Et sic diuinum iudicem beneuolū sibi factum insinuat, quod desiderat, petit, quod cupit, hoc est, perseuerantiam vsque ad secundum Domini aduentum. Octauo tandem loco filius Dei rogatur, vt in secundo suo aduentu ad iudicādum homines, nos ab hoste antiquo soluet, & muniat, & protegat, ne ipsius percutiamur telo, cum finit dicens. *Te deprecamur agie Venture iudex saeculi.*

Hymni huius Author. Hymni diuisio, & summa.

¶ Sed ad clariorem praemissorum quatuor carminum elucidationem notandum primo quomodo Deus sit siderum conditor. Secundo videndum est, quomodo Deus sit aeterna lux credentium. Tertio quomodo sit Christus Redemptor omnium. Quarto videndum, quodnam discrimen sit inter preces, supplicationesque, ac orationes. Ad primum dicimus, Deum caelorum quidem, ac syderum esse conditorem: quoniam legitur in Genes. 1. In principio creauit Deus caelum, & terram. Et in actibus Apostolorum dicitur: Annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum, qui fecit caelum, & terram; & omnia, quae in eis sunt. Nam preter caelos, quos opera digitorum eius Propheta appellauit, solis etiam splendorem, lunaeque, ac caeterorum syderum, vt hic etiam in litera hymni dicitur, ornatum addidit, vt essent insigna, & tempora, & dies, & annos. Quod vero idem Christus Deus noster sit aeterna lux credentium Christianorū, palam

Deus est caelorum, et syderū cōditor.

Christus quomodo aeterna lux sit.

palam est. Lux enim est illa, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Et Isaias dicit: Surge Hierusalem, quia venit lux tua. Christus siquidem, secundum vtramque naturam dicitur lux, quia secundum diuinitatem illuminat intus animam, & secundum humanitatem informat exterius vitam; & hoc tripliciter, scilicet, miraculis, prædicationibus, & exemplis. At æterna lux dicitur Christianorum, in quantum est sine termine, & sine fine, & sine successione interminabilis, & sic soli Deo conuenit, quia nihil est æternum, nisi Deus. Vltimo Redemptor omnium appellatur hic diem Christus, id est, hominum vniuersorum, quantum ex parte ipsius, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Et quia etiam pro omnibus copiosissime satisfecit, propter quod dicitur Redemptor omnium quantum ad sufficientiam, quoniam dominicæ passionis consequuntur finaliter fructum, ac consũmatum effectum. Ex quibus supradictis possumus colligere, quod solus Christus, & nulla pura creatura quantumcunque perfecta, & sancta, potuit genus humanum redimere, & hoc dupliciter probatur. Primo ratione multiplicis culpæ, & pænæ, a qua sententia sumus redempti. Secundo ratione regni cælorum, nobis acquisiti. Primum patet, nam peccata, à quibus sumus liberati, sunt infinita intensiue ratione Dei, contra quem facta est offensa, & sunt commissa, & extensiue, quia omnes eramus in peccato multiplici obnoxij, quia non solum redemit præsentes, sed etiam præteritos, & futuros. ergo talia peccata non poterant deleri, nisi per virtutem, & pretium infinitũ. Nam actio non fit, nisi a proportione maioris inæqualitatis. Ergo oportet, quod sit maior virtus agentis, quam passi in resistendo. Sed peccatum totius generis humani est infinitum intensiue, & extensiue, & pæna pariter est infinita extensiue, ergo per nullum meritum, aut virtutem alicuius creaturæ poterat relaxari. Cum meritum cuiuscunque creaturæ puræ non possit esse, nisi finitum, quia quælibet creatura pura data semper habet minus de merito, quam sint omnia peccata generis humani in culpa, & sic semper manet maior resistentia, non solum in toto genere humano, sed etiam in quolibet peccatore, quia quilibet peccator magis habet de culpa ad resistendum, quam pura creatura habet de merito ad relaxandum. Ergo oportebat, vt Redemptor haberet magis de gratia, & merito, quam totum genus humanum de culpa, & pæna. Et sic solus Christus potuit esse redemptor ratione gratiæ vnionis, & ratione puritatis, & immunitatis, quia vt sic, habet gratiam, & meritum infinitum extensiue contra omnem culpam, & pænam. Et sic solus Christus nos potuit redimere quo ad corpus, & animam ab omni culpa, & pæna, & potuit

Christus quomodo sit redemptor omnium.

Christus & non alia creatura potuit humanũ genus redimere.

potuit dare de se precium sufficiens pro omnibus præsentibus,& futuris. Sed quam ob rem redemit nos Christus, subdit Ecclesia, inquiens. *Qui condolens interitu, Mortis perire sæculum, Saluasti mundum languidum, Donans reis remedium.* Item ad veriorem, ac euidentiorem istorum aliorum quatuor versuum, elucidationem primo notandum est, quid per interitum mortis hoc loco intelligere debeamus. Secundo quid per sæculum. Tertio quid per remedium. Sæculum ergo hoc in loco genus humanum, ac sæculares homines accipe: qui per Adæ peccatum in interitum mortis, idest, in æternam pœnam, ac in ipsam mortem animæ,& corporis inciderunt. Etenim ante Christi aduentum genus humanum erat in triplici miseria constitutum. Primo enim erat proiectum à facie Dei propter peccatum Adæ,& per consequens extra gratiam. Secundo quia erat subiectum Diabolo propter peccatum,& idololatriã. Tertio quia diu expectauerat Christum, & non veniebat. Præterea non solum ante aduentum Christi erat in miseria,& captiuitate peccati, sed etiam laborabat duplici miseria temporali,& corporali. Nam tunc temporis Dæmones erant in causa, quod patres imolarent filios, vt patet de Agamenone, qui immolauit,& sacrificauit filiam dijs, vt haberet prospe ros ventos:& Pyrrhus Astyanactem filium Hectoris ad sepulchrum Achillis, aduersus quos inuehitur psaltes psal. 105. his verbis, immolauerunt filios suos,& filias suas Dæmonijs. item Demones in responsis suis semper persuadebant bella inter Principes,& finitimos, & persuadebant bella inter Principes, & finitimos, & persuadebant rebelliones populorum contra Reges suos,& seditiones inter ciues, vt fierent cædes,& homicidia, eo quod omnes illi implebant infernũ: & multa enormia, & turpia contra bonos mores, & naturam persuadebant. Et non solum in populo gentili regnabant istæ superstitiones, sed etiam pro maiori parte in populo Iudaico, vt patet in discursu libri Iudicum, & Regum. Et vltra hoc regnabat in populo Iudaico multiplex miseria. Nam sacerdotes, & scribæ, & pharisæi opprimebant pauperes,& pupillos,& vendebant domos viduarum, & cum violentia,& tyrannide regnabant, populum ducentes,& glosantes falso legem,& prophetas ad libitum, & lucrum suum; vt exprobrat eis Christus, dicens Matth. 23. Væ vobis scribæ,& pharisæi hypocritæ. Erant enim scribę, qui scriptam Dei legem habebant per spiritum sanctum in cordibus suis. Pharisæi vero clerici, & presbyteri erant Iudæorum; qui pro eo, quòd à cæteris se diuidebant tanquam sanctioris, & potioris meriti, diuisi interpretabantur, à Phares filio Iudæ mutato vocabulo. Et ideo Christus aduentu suo dicitur saluasse mundum languidum, idest, non solum fideles veteris testamenti

Quid sæculum. *Interitum mortis qd.* *Psal. 105.* *Miseria multiplex regnabat in populo Iudaico.* *Nota.* *Matth. 23* *Scribæ,& pharisæi qui erant,& vnde dicti sint.* *Lãguidus mũdus qd.*

ſtamenti de limbo inferni, ſed etiam liberauit populum gentilem ab illa miſerabili ſeruitute Diaboli; qui omni genere peccatorum, ac criminum languidus erat, immo mortuus erat morte naturæ, & morte culpæ, & morte infernalis miſeriæ, ſed Chriſtus omnem deſtruens Diaboli poteſtatem, ac totam idololatriam, & bella, & ſeditiones per legem, & baptiſmum, ac paſsionem ſuam auferendo, dicitur donaſſe remedium reis omnibus, & liberaſſe eos. liberauit quin etiam & pauperes de populo Iudaico à miſerabili ſcribarum, & phariſeorum opppreſsione, & à iugo legis importabili. & propterea dicebat per prophetam: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum exurgam, & in carne apparebo, & veniam in mundum, vt liberem, & releuem inopes à miſeria, & pauperes à gemitu, & vinctos de lacu inferni, & omnes peccatores à ſeruitute Diaboli, & peccati; donans eis remedium per paſsionem meam, & communem omnium hominum redemptionem, qua redimã omnes. Condolui enim hominibus, ac illos pœna infernali, & æterna morte mori; quia eos in peccatis languentes liberare conſtitui à poteſtate diaboli, qui recte mors, & mendacium, ſicut è contra Dominus veritas vocatur, & vita, quam venit dare languentibus præ peccatis; vitijs, ac præ miſerabili Diaboli ſeruitute ſeditionibus, & idololatria, & ſic ſaluaſti mundum languidum, idest, dediſti ei eſſe perfectum, quia ſaluare eſt dare alicui eſſe perfectum, & in tali eſſe conſeruare, hoc autem eſſe perfectum dare ſolus Deus poteſt, qui dat nobis eſſe per creationẽ, & perfectum eſſe per recreationem, & perfectiſsimum eſſe, & optimum per glorificationem. Sed quando feciſti hoc Domine? tunc profecto, quando, *Vergente mundi veſpere; Vti ſponſus de thalamo Egreſſus honeſtiſſima, Virginis matris cl[illegible] ula.* ¶ Pro clariori præ auditorum carminum intelligentia dicendum hic, cur hic hymnus ad veſperas canitur. Secundo videndum eſt, quot ætates mundi ſint, & quæ, & quot vna quæquæ ætas habuerit annos. Tertio videndum eſt quando Chriſtus, ac in qua nam ætate venerit in hunc mundum per incarnationem. Quarto videndum eſt, quæ nam figuræ, & prophetiæ Chriſti incarnationem præceſſerint. Ex recitatis iam ſuperioribus verſibus, ac verbis poſſumus conijcere, cur ſancta Dei Eccleſia hunc hymnum ad veſperas concinat, nempe, quia Chriſtus Dominus noſter in nouiſsimis ſextæ ætatis diebus à ſummo cælo egrediens venit in hunc mundum. Ideo in memoriam tanti diuini aduentus glorianter canit in veſperis, ideſt, in vltimis diei horis hanc hymnicam odem. Ad ſecundum præſuppoſitum dicimus, quod mundi ætates iuxta tex. in cap. Ad ſedem Apoſt. 35. quæſt. 4. ſunt ſex. Prima ab Adam vſque ad Noe, habens iuxta Hebræos

Remediũ à Chriſto donatum quod.

Pſal. 11.

Nota.

Diabolus vocatur mors, & mẽdaciũ. Chriſtus vero vita & veritas.

Saluare quid.

Eſſe eſt triplex.

Hymnus iſte cur in veſperis recitetur.

Veſper qd.

Mundi ætates quot.

annos 1656. sed secundum 72. interpretes habens 2242. cuius Vesper, idest, finis, fuit diluuium. Et in ista prima ætate quamuis artes essent, & agricultura, vt in Abel, & Cain patet, & in Tubal, & Tubalcain, nihilominus homines non comedebant carnes, sed glande, & fructibus naturaliter in syluis, & agris, sine cultura crescentibus, vescebantur, terraque erat, & facta erat, quæ ex suis herbis, & fluminibus, & obsonium, & potum dabat illis. Vnde Boetius lib. 2. de consol. philos. poetico more loquens, dicit, Fœlix nimium prior ætas contenta fidelibus aruis. nec inerti perdita luxu, fragilique sera solebat ieiunia soluere glande: somnos dabat herba salubres, potum quoque lubricus amnis, vmbras altissima pinus. Hæc est prima ætas, quæ ab ethnicis etiam vocata fuit ætas aurea, vnde quidam eorum cecinit: Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat. Secunda ætas fuit à Noe vsque ad Abraam habens secundum Hebræos annos 292. sed secundum 72. 1072. quæ argentea dicta est. Vnde idem ait: Sub Ioue mundus erat, subijt argentea proles, Auro deterior, fuluo pretiosior ære. Tertia ætas fuit ab Abraam vsque ad Dauid, siue vsque ad Moysen, habens annos secundum Hebræos 972. sed secundum 72. 1130. quæ ætas ahenea dicitur. Vnde prosequens idem author dicit: Tertia post illam successit ahenea proles, sæuior ingenijs, & ad horrida promptior arma. Quarta fuit à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, habens annos secundum Hebræos 585. sed secundum 72. 485. cuius finis fuit dissentio Regum; & hanc ætatem appellauit idem poeta ille ferream, vnde sic subdit: De duro est vltima ferro. Quinta à transmigratione vsque ad Christum habens annos secundum Hebræos 185. sed secundum 72. 578. Sexta à Christo ad finem vsque mundi. Sed septima, vt perficiatur hebdomada, erit bonis in cælo, impijs in inferno, & tunc amplius non erit tempus, sed omnia æterna. Quibus sic præmissis, ac prægustatis, dicamus, quod ipsius mundi vesper, siue postremum durationis suæ spatium est aduentus Christi in carnem qui currit vsque ad finem mundi quando septimam illam æternam celebrauimus ætatem; de qua dicit Paulus ad hebræos. Relinquitur sabbatismus populo Dei. festinemus ergo ingredi in illam requiem. Itaque expletis mundi sex ætatibus dicitur Christus venisse per susceptæ carnis mysterium, siue dispensationem. Et sic in vltimo sextæ ætatis, quæ ad finem vsque sæculi porrigitur, egressus est Christus vti sponsus de thalamo, de castissima virginis, & matris clausula, idest, de clauso Virginis Mariæ vtero Christus processit in orbem. ait namque psaltes: Et ipse procedens de thalamo suo, tanquam

Boet. *Ouid. lib. 1. Met.* *Hebr. 4.* *Christus quando incarnatus sit.* *Psal. 18.*

De, prapositio multipliciter capitur.

quam sponsus. De, autem, præpositio, hic posita, materiam importare videtur. quandoque tamen causam notat, vt cum Christus dicitur conceptus de spiritu sancto: quandoque identitatem substantiæ, vt cum dicitur filius natus de patre, quandoque transubstantiationem, vel conuersionem, vt cum dicitur, corpus Christi fieri de pane, quandoque ordinem, vt cum dicitur creatura esse de nihilo. Quare autem Christus in sexta ætate venerit, multæ sunt certe rationes, sed vnica esto tu nunc contentus, nempe, vt sicut primus homo conditus fuit sexta die ad totius mundi complementum, sic Deus homo fieret in sexta ætate ad totius creaturæ perfectionem. Sexta siquidem ætas apta est ad exercitium sapientiæ, ad remissionem culpæ, ad meritum vitæ ęternę, ad transitum de statu miserię ad statum glorię, & ita notantur in sexta ætate ratione perfectionis senarij. Amplius notandum est secundum Augustinum lib. 1. cap. vlt. de con. euan. tom. 4. & lib. 99. nou. test. & lib. de incarnat. tom. 4. quod Christus non prius venit, quam homo de lege naturali, & scripta conuinceretur. nam si statim post hominis lapsum venisset, superfluum crederet aduentum Christi, proinde voluit Deus principio hominem in lege naturali prius esse, vt naturæ suæ vires agnosceret, sed quia cecidit, data est ei lex, qua habita, iterum naturæ vitio cecidit infirmus. Vnde comperto, quod nec per legem scriptam poterat saluari, cum omnes ad inferos descenderent, tunc venit ipse, quia tunc erat tempus miserendi, & prius non fuit necesse, quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis. Nec posterius venit, ne fides, & spes ex promissa incarnatione perirent. Si enim tardasset venire, quotidie decreuissent, & tepuissent homines. Quo circa in nouissimis diebus venisse à prophetis etiam dicitur; Isaias siquidem ait: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Et Ioannes in sua prima Epistola: Filioli, inquit, nouissima hora est, & Paulus circa illa tempora dixit Corint. Scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt, & alibi ipse idem ait. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Cæterum hanc Christi egressionem de Maria Virgine, ac incarnationem multæ figuræ, & prophetæ præcesserunt in Genes. namque sic legitur: Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, & in libro prouerb. dicitur sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. & in Genes. emittitur columba de arca Noe: & apud Danielem legitur sic, scilicet: Abscissus est lapis de monte sine manibus complecten-

Christus cur sexta ætate venerit.

Sexta ætas ad quid apta est.

Christus cur non priusquam sexta ætate venit.

Homo sub lege naturali saluari non potuit.

Homo etiam sub lege scripta cecidit.

Isa. 2.

Ioan. 1. 2.

1. Cor. 10.

Gal. 4.

Incarnationẽ Christi multa figurã præcesserunt.

Genes. 8.

Dan. 2.

tium: qui tantum creuit, vt mons magnus fieret, & impleret vniuersam faciem terræ. Proinde nobis nati, & nobis dati Christi forti potentiæ omnia etiam, & cælestia, & terrestria, & inferna sunt, quod est quod sequitur, scilicet: *Cuius forti potentiæ Genu curuantur omnia, Cælestia, terrestria, Nutu fatentur subdita,* ¶ Vlterius aduertendum est pro præmissorum carminum vera intelligentia, quod totalis mundi, vel totius vniuersi tres sunt partes principales. Prima est cælestis. Secunda est terrestris. Tertia infernalis, & quamlibet istarum is diuinus filius viuificat non tanquam anima istius mundi: vt aliquorum est imaginatio, sed omnes regit: omnibus præsens est; quia eas creauit, eas videt, regit, & disposuit tanquam immensus, & vnicus Deus gloriosus, & tanquam cui data est omnis potestas in cælo, & in terra: & de quo Isaias ait, Erit, inquit, Radix Iesse, & qui exurget regere gentes, & in eum gentes sperabunt. Cum igitur hoc loco duo dumtaxat explicantur, nulli dubium, quin, & tertium, & alterum comprehenditur, nempe, inferna, à Paulo etiam expressa, cum ait, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Itaque omnia ista, scilicet, cælestia, terrestria, & inferna, curuantur genu, & se confitentur subiecta Christo, & nutu, idest, sponte, & ad nutum, & ad suam voluntatem, confitentur se se esse subdita forti Christi potentiæ. Cæterum cælestia, hoc est, Angeli: & terrestria, hoc est, homines adhuc in terris existentes, genu Christo flectunt in signum cultus, & reuerentiæ ex amore obsequioso procedentis: Inferna autem, idest, manes, hoc est, animæ infernales non ita: sed in signum subiectionis; quam vel inuita, vel trementia illi exhibent. *Te deprecamur hagie, Venture iudex sæculi, Conserua nos in tempore Hostis à telo perfidi.* ¶ Ad præauditorum quatuor carminum veram intelligentiam notandum primo est, quid dictio hagie, in primo versu posita designet. Secundo videndum est, cur Christus venturus sit iudex sæculi. Tertio videndum est, quid nam per perfidum hostem intelligere hic debeamus. Ad primum dicimus, quod hæc dictio hagie græcum est vocabulum, significans idem, quod sancte. Et Græci habent hagios in nominatiuo singulari: Latini vero mutant syllabam os in us, & proferunt hagius in eodem casu. Vnde inuocatiuo singulari masculini generis formant hagie. Hagie igitur, idest, sancte, & bene hic Christus hagius, ac sanctus nuncupatur: Christus siquidem dicitur sanctus tripliciter naturaliter, quo ad humanitatem. Primo ratione corporis à spiritu sancto formati. Secundo ratione animæ cum plenitudine

omnis

Totius mũdi, seu vniuersi tres sunt partes.

Matt. 28.

Philip. 1.

Cælestia, & terrestria quomodo Christo genuflectant.

Hagie Græca dictio quid significet.

Tripliciter Christus dicitur sanctus.

omnis protectionis,& virtutis,& gratiæ creatæ, & vnctione spiritus sancti præ consortibus suis creatæ. Tertio ratione vnionis personalis ad verbum,quod est sanctum essentialiter. & ideo istud nomen Dei,scilicet, verbum incarnatum, dicitur sanctum non solum ratione deitatis,sed etiam ratione humanitatis assumptæ,cuius pars rationalis semper fuit,& est conformis diuinæ voluntati. Et sicut solus Christus secundum humanitatem, & naturaliter liber à culpa, & morbo ipsius Adam, ita solus est naturaliter sanctus secundum humanitatẽ. Quod vero prædictus Dominus noster Iesus Christus venturus sit iudex sæculi,patet,quia sicut Christus in primo suo aduentu fuit iudicatus à Regibus,scilicet,Herode, & Pilato, & à Principibus sacerdotum, & à populo Iudæorum, & gentilium, ita ipsemet Christus est venturus ad iudicandum omnes populos, & Reges, & Principes in nouissimo die. Triplex enim est iudicium de Christo, scilicet,iudicium discretionis,& secretionis, & discussionis,siue publicæ examinationis, & retributionis. Nam primum iudicium, scilicet, discretionis fecit Christus in primo suo aduentu, quando dedit legem euangelicam, in qua discreuit, & separauit granum à paleis,& veritatem ab vmbra legali, annullando cæremonialia,quæ erant futura legis, & veritatis euangelicæ, quia lex per Moysem data est, gratia autem, & veritas per Christum facta est. Discreuit etiam inter veram,& falsam religionem, eligendo fideles in Ecclesia sua,& sic adscendens in cælum sedet à dextris Dei,vbi accepit iudiciariam potestatem à patre, per quam totum istum statum iudicat in occulto, & secreto. Sed in vniuersali iudicio publice examinabit, & in publico iudicabit. Quia licet vnusquisque sit iudicatus particulariter in fine vitę suæ,vniuersale tamen iudicium erit necessarium propter quatuor. Primo ad manifestandam veritatem personæ Christi omnibus gentibus, & populis, & linguis. Nam qui in hac vita Christum negauerunt, & ipsum recipere noluerunt, videbunt ipsum ibi cum potestate magna, & maiestate. Et sicut generaliter lex euangelica fuit per totum mundum prædicata, ita ibi erit generaliter examinata, & transgressores eius puniti. Secundo veniet Christus ad manifestandum occulta. Nam omnia homicidia,& adulteria,& alia peccata, quæ in hoc mundo non fuerunt saltem per sacramentalem confessionem manifestata,ibi propalabuntur. Tertio veniet Christus ad iudicandum male iudicata. nam omnia, quæ fuerunt in hoc mundo per Reges, & Principes,& malos iudices iniuste iudicata, ibi per Christum iuste iudicabuntur, & punientur falsi iudices. Quarto veniet Christus ad iudicandum non iudicata, vnde quia Reges, & Principes huius mundi, & prælati

Nota qualiter iudicamur particulariter, & vniuersaliter.

Triplex est iudicium de Christo.

Ioan 1.

Iudicium vniuersale propter quatuor.

Nota.

non habuerunt iudices supra se, ideo mala eorum manserunt impunita, ideo Christus in finali iudicio iudicabit eos, & ab eis de populis eis commissis rationem exposcet, vt cognoscant se super eos maiorem Regem, & iustum superiorem iudicem habere. Vnde Seneca in Thieste. Vos, quibus Rector maris, atque terræ Ius dedit magnum necis, atque vitæ, Ponite inflatos, timidosque vultus. Quicquid à vobis minor extimescit. Maior hoc vobis Dominus minatur. Omne sub magno grauiore regnum est. Ad hæc hostis perfidus, & fidei destitutor, ac læsor, & hominis deceptor est Diabolus, qui versutus habet, vt dicitur 16. q. 2. c. visis, mille nocendi modos, & artes. Quærit enim vnitatem Ecclesiæ rescindere, charitatem vulnerare, sanctorum operum dulcedinem inuidiæ felle inficere, & omnibus modis genus humanum euertere, ac perturbare. suadet enim sæpe bonum, sed hoc propter malum, vt cum homini instabili suadet ingressum religionis, & hoc, vt postmodum apostathet. Suadet malum, & hoc sub specie boni, vt peierare pro rebus alterius conseruandis. Dissuadet bonum tanquam nociuum, vt cum dissuadet bono viro religionis ingressum, ne de hoc pæniteat, & egrediens confundatur. Dissuadet demum malum, vt ducat ad peius, vt quando dissuadet temperantiam in victu, & somno, vt per hoc inducat indiscretam abstinentiam, quod peius est. Quo circa hæc, & alia infinita cognoscens sancta Dei Ecclesia Diabolum contra nos habere spicula, sciensque etiam, militiam esse vitam hominis super terram, & contra resistere desiderans in tempore, hoc est, dum hic in hoc mundo, & in hac graui peregrinatione, atque militia sumus; dicit, conserua nos à telo perfidi, atque callidi hostis in tempore, hoc est, in hac nostra vita, siue militia cum Diabolo. ¶ Quia igitur misit Deus vnigenitum suum, vt nobis opem ferret, ac ab omni redimeret Diaboli vexatione, referamus ei gratias, dicentes. *Laus, honor, virtus, gloria Deo patri, & filio; Sancto simul paraclyto, In sæculorum sæcula*, Amen. ¶ Laus, inquam, siue laudatio, & laudis oratio, siue mentalis sit, siue vocalis, sit Deo patri, eique honor, hoc est, obseruantia, & reuerentiæ exhibitio actualis, & operatoria, proprieque Deo debitæ, qui in se, & propter se laudandus honorandusque est. Sit quoque Deo patri virtus, hoc est, potestas, præstantia, excellentia, atque omnis valor, fortitudo, atque perfectio omnis virtutis. Sit etiam, dico, Deo patri, & filio simul, & spiritui sancto gloria, ac frequens fama cum laude. Ob mirabilia enim, quæ facit Deus, merito ei omnis danda est gloria. Amen.

Diabolus fidei destitutor dicitur.

In

In Aduentu Domini ad Nocturnum Matutinum Hymnus Secundus.

Verbum supernum prodiens:
A'patre olim exiens:
Qui natus orbi subuenis:
Cursu decliui temporis.
Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema,
Audito vt preconio,
Sint pulsa tandem lubrica.
Iudexque cum post aderis:
Rimari facta pectoris:
Reddens vicem pro abditis,
Iustisque regnum pro bonis.
Non demum arctemur malis
Pro qualitate criminis;
Sed cum beatis compotes
Simus perennes cælibes.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri, & filio.
Sancto simul paraclyto
In sæculorum sæcula. Amen.

SAncta mater Ecclesia, quę cum antiquis patribus diu ad patrem suum clamauit: ostende (dicens) nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis, & iterum, Obsecro, domine, mitte, quem missurus es. & rursum: Visita nos domine in salutari tuo. & tandem: Emitte, inquit psaltes, Domine, dominatorem terrę de petra deserti ad montem filiæ Syon: à Domino Deo nostro nunc tandem exaudita, qui omnes audit, omnium voces attendit, propheta dicente: Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: Deum ita per Beatum Thomam Aquin. huius præfati cantici, seu hymni authorem, laudat, benedicit, gratiasque ei agit dicens: *Verbum supernum prodiens: A patre olim exiens: Qui natus orbi subuenis: Cursu decliui temporis.* &c. Vbi aduertendum est, quod sancta Mater Ecclesia hunc hymnum in hora matutinali canit, quia diuina sapientia obuiat se quærentibus. Nam qui ad ipsam vigilauerint, inuenient eam. Cum ergo ex allegatis prophetarum dictis didierit dicta sancta Ecclesia ęternum expectare verbum, tanquam in matutinali officio illi obuiam occurrens, & fide viua, & vera à patre illud prodire aspiciens, & magnum sacræ incarnationis mysterium contemplans: ita oratione feruenti, iisque iam dictis vocibus vsa est, tanquam illum à longe aspiciens: quia per fidem, & non per speciem illum aspicit, & hoc denotatur per verbum prodiens. Rogamus ergo in isto hymno Dei filium, vt sicut in primo aduentu suo, in quo assumpsit vitam humanam, nostramque induit mortalitatem; & sic verbum caro factum est: dignatus & nos visitare, oriens ex alto, sic in presenti illumi-

Ecclesia cõuenit cum antiquis patribus.
Psal. 84.
Exodi. 4.
Isai. 16.
Psal. 65.
Hymni Author.
Prouer. 8.
Hymni huius sũma.
Luc. 1.

nare dignetur pectora nostra : vt in secundo aduentu ; quando ad iudicandum veniet viuos,& mortuos,promisso pręmio perfruamur, ac perpetuæ simus vitæ cælibes. ¶ Vlterius ad primorum quatuor versuum veriorem notionem videndum est primo, quid per supernum verbum intelligere hic debeamus. Secundo dicendum est, quomodo hoc supernum verbum dicitur exiens à patre. Tertio notandum est, quo tempore exierit à patre, idest, quando natus sit Dei filius. Quarto videndum est,qua nam subuentione, & quibusnam beneficijs subuenerit orbi, siue mauis mundo. Hic ergo Dei filius verbum dicitur supernum, quia cæleste, imo supercæleste, & super mundum est verbum, non sæculare, aut temporale, quemadmodum nostrum. Vnde de eo ait propheta: In æternum domine, verbum tuum permanet in cælo. Et dicitur verbum patris,inquantum ab æterno est dictus à patre, & est conceptus diffinitiuus, quo pater diffinit, & comprehendit se ipsum, & dicitur etiam verbum patris, per quod pater ex tempore dixit, & creauit omnia creata ad extra. Item quoque verbum dicitur hic prodiens, extraque progrediens per altissimum incarnationis sacramentum, quo se nobis insinuauit, atque manifestauit. Denique ipsum verbum dicitur exiens à patre per diuinam illam natiuitatem, qua ab æterno ex substantia patris, scilicet, Dei, idest, ab æterno secundum suam deitatem, sicut lumen de lumine, Deus verus de Deo vero ; est progenitum, non quidem, quod vnquam patrem dereliquerit, vt infra in hymno de Eucharistiæ sacramento dicitur, aut ab eo fuerit separatum, sed quod illi intimum manens ab eo ineffabiliter, & mundo se in carne manifestauerit, sicut etiam ipsa alta veritas de se in euangelio testatur: Exiui, inquit, à patre, & veni in mundum ; nempe, in quadragesimo secundo anno Imperij Octauiani, dum totius orbis longa pace ipse frueretur ; in quo tempore bella in tantum fuerunt obliuioni tradita, quod quasi omnia arma erant in vomeres, & cætera rusticalia instrumenta conflata. Ad quartum vero quæsitum respondemus, quod multiplici quidem beneficio, ac subuentione, subuenit Christus notus orbi terræ, seu mundo, idest, hominibus huius mundi. Et quidem primo ita fidelibus veteris testamenti subuenit, vt liberaret omnes illos sanctos patres de lacu miseriæ inferni. Secundo liberauit totum genus humanum de luto fecis peccatorum. Tertio ædificauit Ecclesiam super se ipsum, qui est vera, & firmissima petra. Quarto dedit legem euangelicam, per quam direxit gressus, & operationes nostras. Quinto aboleuit, & annihilauit omnia cæremonialia, & legalia, instituens nouum sacrificium, & nouum ritum colendi Deum. Sexto conuertit

Filius Dei verbũ dicitur supernum.

Psal. 18.

Iesus Christus dicitur verbũ patris.

Ioan. 16.

Natus est Christus quadragesimo secundo anno Imperij Octauiani.

Septem beneficia operatus est Christus pro fidelibus aduentu suo.

multos

multos de populo Iudaico, & gentili in omnem Ecclesiam. Septimo eiecit Diabolum de mundo, & omnia nomina idolorum, & omnes ariolos, maleficos, & vanas artes,& insanias, & falsas superstitiones gentilium. En vti ergo subuenit Christus natus orbi terræ. O supernum verbum prodiens,& manifestans te ineffabiliter,atque à patre olim exiens,quando scilicet, incarnatus es, ò Domine. Qui etiam de matre natus subuenis mundo perdito,idest, hominibus,in manu Diaboli captiuis existentibus in cursu, & plenitudine temporis decliui ,idest, proni,& declinati ad finem sæculi. Id enim decliue dicitur quod deorsum tendit, declinatque ad iam,quasi promũ, & demergens ad finem. Igitur quoniã transacta iam mundanæ durationis parte, vt pote quinque ætatibus, in sexta, idest, in postrema eius venit ætate, & inouissimis eius ætatis diebus,recte dicitur ideo hic subuenisse orbi per natiuitatem secundum carnem in cursum decliuî temporis. Misit enim Deus verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Iam nunc, superno salutato verbo, se ad preces accingit sancta Dei Ecclesia, sic orans: *Illumina nunc peccatora Tuoque amore concrema, Audito vt preconio, Sint pulsa tandem lubrica*. ¶ Vbi primo aduertendum est, quod dictio, nunc,in primo versu posita,hoc tempus præsens indicat. q. d. nunc, idest, in præsenti hoc tempore, quo hic in mundo nunc viuimus,& in hac præsenti vita, ac in hac miseriarum, & lachrymarum valle, ac peregrinatione, ac militia graui. Secundo aduertendum est, quod pectora corda nostra insinuat, seu oculos interioris mentis nostræ. Per Amorem vero hic in secundo versu positum,spiritus sancti gratiam intelligimus, & ignem, quem venit Christus mittere in terram Luc. 12. Sed per præconium hic vaticinium à nobis iam auditum, ac oraculum prophetarum, seu prædicationem Apostolorum,intelligere possumus. Per tandem vere finem vitæ nostræ accipimus, idest, in fine vitæ nostræ,vel fines operationis animæ à corpore. Nouissimo loco per lubrica, peccata nostra hic significare dicimus. lubricum enim dicitur proprie locus, in quo quis labitur, & cadit, vt via lutuosa. Vnde sicut quis facile in via lutuosa, & aquosa cadit: ita dicitur quis prolabi in paccata, vt in aquosam, & lutuosam vitam, quæ ad infernum ducunt. Fatetur hic ergo Ecclesia suas tenebras, dum illas Dominum illuminare postulat, agnoscit etiam tepiditatem, dum illuminatione accendi cor imo cremari,petit. Petimusque etiam,vt cum auditum fuerit à nobis prophetarum, & euangelij de aduentu filij Dei præconium, ac testimonium, propellantur à nobis per fidem, & boni operis instantiam, ac fructum peccata,in quę facile prolabimur ex infirmitate nostra,

Decliue quid.

Psal. 12.

Dictio nũc qd signat.

Pectora qd designet

Amor qd.

Præconiũ quid notet

Dictio tandem quid importet.

Lubricum quid.

Iudexque

Iudexque cum post aderis : Rimari facta pectoris : Reddens vicem pro abditis : Iustisque regnum pro bonis. Non demum arctemur malis Pro qualitate criminis ; sed cum beatis compotes Simus perennes cælibes.

¶ Cum nullus homo possit dicere, se non habere peccatum, rogat ideo hîc sancta Dei Ecclesia in persona cuiuslibet peccatoris, vt cũ Deus venerit ad iudicandum, ac dandum suum vnicuique, nempe bonis regnum & malis pœnam, vt non mancipetur carceri infernali pro qualitate criminis, sed remissione per pœnitentiam recepta, petit cum beatis collocari, vbi æternaliter sine peccato vita viuitur. ¶ Verum ad octo præmissorum versuum faciliorem elucidationem notandum nobis est, primo, quomodo ista pectoris, idest, cordis, rimatio, scrutatio, ac examinatio fiet, & cur, & de quibus. Secundo notandum quid per vicem accipere debemus. Tertio quid per abdita. Quarto quid per mala, dum dicitur in quinto versu, non arctemur malis. Cur ergo, & quandô, & quomodo, & de quibus est interrogaturus in iudicio Deus, dicimus, quod primo necesse est, vt Deus generaliter omnium hominum pectora rimetur, aut examinet, ne homines de hoc mundo dicerẽt, quod Deus nostra non curat, & circa cardines cæli perambulat, non curans, nec considerans terrena. Tunc vero facienda est ista pectoris rimatio, cum in consummatione sæculi ad iudicãdos omnes homines veniet Deus: Vnde Ioel. 3. Congregabo, inquit, omnes gentes, & deducam eas in valle Iosaphat &, disceptabo cum eis. Et Dominus ait ; cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo ; tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Cum ergo venerit in nouissimo die, dicimus, quod primo examinabit Christus, & interrogabit de his, quæ pertinẽt ad Deum, idest, quomodo se habuerint homines erga Deũ. Secundo interrogabit, quomodo se habuerint erga proximum, & sic quæret, ac petet de operibus misericordiæ. Tertio rationem exquiret Deus de anima nostra, an ea vsi sumus ad id, propter quod corpori nostro est vnita. Vnita est enim corpori, vt per illud, & per corporeos sensus proficiat in scientijs, atq; virtutibus ex visibilium, & corporalium rerum notitia ad inuisibiliũ, ac spiritualiũ cognitionẽ progrediendo, & ad agnitionem, & amorẽ summi, & inuariabilis Dei. Quarto de corpore interrogaturus est Christus, quod à Deo accepimus, tanquam instrumentum, & ministrum, ac habitaculum animæ, an rationi obediuerit, an officiosis, & virtuosis exercitijs fuerit occupatum. Quinto qualiter, scilicet, vsi sumus exterioribus, & inte-

Cordium rimatio quando fiet. & quibus.

Ioel. 3.

Matth. 25

Rimatio pectoris de quibus erit

Anima vt quid vnita sit corpori.

& interioribus sensibus, appetitusque, sensitiuo, & potissimũ ratione, voluntate, & memoria intellectiua, prauas, & vanas cogitationes, stultas imaginationes, illicitas affectiones statim, & penitus abijcientes. Sexto de bonis quæret exterioribus, puta de possessionibus qualiter eisdem vsi sumus præsertim de Ecclesiasticis redditibus. Septimo, ac vltimo examinabit in iudicio Deus qualiter prælati, & parentes, debitum officium impleuerint, qualiter suam dilexerint, ac direxerint prolem; qualiter prædicatores, quæ docuerint personaliter, exequuti sint opere, & an cæperint prius facere, deinde docere. Quo vero ad secundum præsuppositum, nempe, quid per vicem intelligere hic debeamus, dicimus vicem, permutationemue, aut retributionem, ac boni, aut mali redditionem. reddet enim Deus in nouissimo die, & iudicio vnicuique iuxto opera sua; ijs, nempe, qui bona egerunt, vitam æternam, qui vero mala ignem æternum, & pœnas, & cruciatus iniustis, & prauis hominibus, iustis vero, & bonis hominibus pro bonis actis regnum cælorum, quia dicet Deus: Venite benedicti patris mei, & possidete vobis paratum regnum. Per abdita vero hic peccata occulta intelligimus, quæ ideo abdita, seu occulta dicuntur, quia ab occulto impugnatore, scilicet, interiore concupiscentia sunt suggesta, & illecta: aut quia solo proposito sunt commissa. aut quia in secreto sunt perpetrata. Verum per mala non culpæ, sed pœnæ, aut pœnarum mala hic accipere debemus, vt scilicet, non arctemur, ac puniamur, malis pœnarum, ac cruciatuum, & ignium infernalium post huius vitæ nostræ cursum secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras, & culpas perpetratas: sed potius beatitudinis, ac gloriæ compotes, ac participes simus perennes, ac sempiterni in cælis beati, cum beatis Apostolis tuis domine, & cum alijs sanctis tuis. Amen. *Laus, honor, virtus, gloria Deo patri, & filio, Sancto simul paraclyto, in sæculorum sæcula.* Amen. Vbi aduertendum est, quid sit, laus esse Deo, & quid honor, virtus, & gloria. & quidem honorare est reuerentiam, quamquis in animo gerit erga alium exterius ostendere; & ideo dicitur honor exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Laudare vero est ipsum honoratum alijs commendare, glorificare vero est laudes honorati large, lateq; præconizare. Est tamen aduertendum Deum triplici honore colendum ac honorandum esse, nempe, oblatione, prostratione, idest, adoratione, hymnis, & oratione.

Carthusianus de 4. nouissimis in artic. 32.

Per vicẽ q d signare dicitur.

Psal. 62. Matt. 16.

Matt. 25.

Peccata dicuntur tripliciter occulta.

Mala quid hic signẽt.

Honorare.

Laudare.

Deus 3. modis colitur.

In

In Aduentu Domini ad Laudes Matutinas Hymnus Tertius.

Vox clara ecce intonat,
Obscura quæque increpat:
Pellantur eminus somnia.
Ab æthere Christus promicat.
Mens iam resurgit torpida
Quæ sorde extat saucia.
Sydus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.
Sursum agnus mittitur,
Laxare gratis debitum
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lachrymis
Secundo vt cum fulserit,
Mundumque horror cinxerit,
Non pro reatu puniat
Sed nos pius tunc protegat.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri, & filio,
Sancto simul paraclyto
In sæculorum sæcula. Amen.

Ecclesia olim ambulabat in tenebris. Sancta mater Ecclesia, quæ olim, & antiquitus in noctis tenebris, & in ipsa nocte ambulabat, intra se diuina meditando, in ipsamet nocte à longe Christi aduentum intuens, illumque à patre ab æterno exeuntem, in tempore vero ex Virgine in carnem prodeuntem, & eundem aduentum non iam amplius in nocte, sed fere in luce (vt per horam auroræ bene denotatur) in qua hic hymnus canitur; nec eminus, sed cominus prospiciens, imo tam cominus, vt fere iam vocem eius audiat, non solum clare, sed intonanter, non submisse, sed lætanter, & cum ingenti clamat gaudio: *Vox clara ecce intonat, Obscura quæque increpat, Pellantur eminus somnia, Ab æthere Christus promicat*, & quæ sequuntur. ¶ In quibus à prædicta nostra sancta matre Ecclesia hortamur, primo vt quando nos Euangelica tuba excitat, ad virtutes surgamus à vitijs, & à torpore peccatorum. Secundo hortamur, vt peccatorum veniam in hoc primo Christi Domini aduentu postulemus per misericordiam, vt cum in secundo venerit iudicare mundum in iustitia, & æquitate, nos saluet, & protegat à morte æterna. Secunda pars est ibi, omnes pro indulgentia Vocem demus cum lachrymis. ¶ Verum ad superiorum iam præmissorum quatuor carminum maiorem explanationem notandum nobis est primo, quid nam per vocem claram intelligere debemus. Secundo quid nam per obscura. Tertio quid nam per somnia. Quarto demum quid per Aether hic significetur. Ad primum igitur dicimus, quod vox clara, est vox Domini nostri Iesu Christi: qui ad saluandum nos venit: quique vocat nos ad frequentanda noua sacramenta, vt per ea à nobis cuncta scelera propellamus, & peccata.

Hymni huius Author est Ecclesia.

Hymni diuisio, & summa.

Vox clara mistice significat vocem Domini.

Christus

Christus enim est vox (iuxta illud psalmi 28. Vox Domini super aquas,) per quam vocem constituit baptismum, ad quem vocamur, ut mundemur à peccatis. Est etiam vox domini in virtute, per quā constituit confirmationem, in qua datur nobis virtus, & robur ad resistendum, & pugnandum contra diabolum. Est etiam vox domini in magnificentia, constituendo Eucharistiam, quod est sacramentum magis magnificum, & nobilius, & ista vox vocat nos ad mensam Domini, vt per eam pellamus eminus vitia. est, inquam, Christus & vox confringentis cedros, constituendo sacramentum pænitentiæ, per quam vocamur, vt per pænitentiam confringamus dæmones, & septem vitia capitalia. Quinto est vox intercidentis flammam ignis, constituendo matrimonium, ad quod vocamur, vt in nobis extinguatur, & excutiatur flamma libidinum. Est vox, dico, concutientis, & commouentis desertum Cades, constituendo extremam vnctionem, quæ vox intonat, & prædicat nobis, vt per istud sacramentum submergamus reliquias peccatorum, & trāsmutemur ab hac vita mortali in vitam æternam. Septimo est vox Domini, & præparantis ceruos, quæ constituit prælatos, & sacerdotes in Ecclesia per sacramentum ordinis, qui quidem sacerdotes, & prælati figurantur per ceruos in canticis Salomonis, intonat, & increpat nos; vt non mundo, sed ipsi Deo seruiamus, offerentes ei sacrificium nouum, & laudis. Est denique vox clara, quia claram attulit diem, idest, legem euangelicam. Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit; inquit Apostolus, Porro vox clara etiam potest hic accipi prædictæ legis euangelicæ manifesta prædicatio, quæ vt tuba altissona intonat auribus nostris, & opera tenebrarum damnat. Tandem per vocem claram, & intonantem intelligere possumus sacratissimum Christi præconem Ioannem Baptistam, de quo vaticinatus est Isaias, dicens: Vox clamantis in deserto, parate viam, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. quod quidem propheticum oraculum ipse Domini præcursor de se dictum esse, & in se ipso completum perhibet, dicens sacerdotibus, & leuitis, ad se missis: Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini. Merito igitur Ioannes vox vocatur, quoniam & nascendo, & prædicando, & moriendo, & ipsa sui nominis significatione Christum præcessit. Hanc autem vocem illa tintinnabula significant, quæ pendebant in veste Aron. Hanc vocem significabant illa omnia musicorum genera, quibus Dauid cantare con sueuerat. Hanc vocem sanctum psalterium iucundum cum cithara: hanc timpana, & organa, & cymbala bene tinnientia significabant. Hanc denique sanctam, & salubrem dulcissimam vocem significabant illæ tubæ,

Cant. 2. *Rom. 13.* *Isai. 40.* *Ioannes Baptista cur vox dicitur.* *Exod. 28.* *Leuit. 25.* *Exod. 27.* *Psal. 80.* *Leuit. 25.*

quarum

quarum sonitu iubileus annus munciabatur. Vnde quoniam cum peccatis nemo potest saluari, ideo ista clara vox obscura quæque increpat. Nam proprie peccata dicuntur obscura iuxta illud Pauli, Quæ in occulto fiunt ab his, turpe est dicere. Et alibi idem ipse sic ait. Qui dormiunt, nocte dormiunt, qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Porro per somnia hic similiter peccata accipimus. Nam in sacra scriptura tribus modis somnus accipitur. aliquando enim somnus carnis mortem, aliquando vero culpam, & peccatum exprimit, vt hic accipitur, aliquando vero calcatis terrenis desiderijs quies vitæ per somnum exprimitur. Nam somni, dormitionisue nomine carnis mors intimatur, cum inquit Paulus: Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, & paulo post, Ita, & Deus, eos, qui dormierunt, per Iesum Christum adducet cum eo. Quod vero somni appellatione peccatum exprimatur, patet, quia Paulus inquit: Euigilate iusti, & nolite peccare, vnde & auditorem suum admonet, dicens: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. & rursum: Hora est iam nos de somno surgere. Vnde & Salomon peccatorem increpat dicens. Vsquequo dormis piger? Somno denique calcatis carnis desiderijs quies vitæ sihnificatur, cum dicitur ab eodem Salamone: Ego dormio, & cor meum vigilat. quia, videlicet, secundum Beatum Gregor. in suis moralibus, mens, quo se ab strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exterioris inquietudine occultat. Demum hic per Aether sciendum significari cælum, non quodcunque profecto, sed cælum illud, in quo beatorum animæ cum sanctissima Trinitate degunt. Ab æthere ergo, idest, à summo cælo egressio eius est, ac eminus, idest, procul, & à longe veniens promicat in hoc nostro, ac presenti sæculo. *Mens iam resurgat torpida. Quæ sorde extat saucia, Sidus refulget iam nouum; Vt tollat omne noxium.*

Obscura peccata dicũtur esse, & cur. *Ephes. 5.* *1. Thes. 5.* *Somnus in sacro eloquio tribus modis accipitur.* *Rom. 13.* *1. Cor. 5.* *Ephes. 5.* *Prouer. 24* *Cant. 5.* *Greg. lib. 5 moral. cap. 21.*

¶ Mens igitur diu torpida, pigra, nec solers in bonis operibus, resurgat modo; peccataque excutiat à se, nec amplius maneat, saucia, & peccatis naturalium cogitationum vulnerata, ac sordibus sordidata, sed habeat quamprimum ad se sanandum; nempe, ad sydus nouum, Christum videlicet; cuius (vt Isaias vaticinatus est) Oriens est nomen, qui, inquam, Christus iam refulget nouus, & de virgine natus, & ob hoc solum, vt tollat à nobis omne noxium, hoc est, vt remoueat à nobis omne peccatum, quod nocet nobis, quoties eo irretiti reperimur, & faciat nos nouos in gratia sua. Et Christus nouum dicitur sydus, quia cum tres modi producendi hominem præcessissent, quartum ipse adinuenit, & sic nouum modum, nempe, vt

Cæli nomine quid significetur. *Psal. 18.* *Isai. 11.* *Christus dicitur sydus nouũ.* *Tres modi producendi hominẽ præcesserũt hominem.*

pe, vt homo de muliere fieret sine viro per virtutem operatoris. *Esursum agnus mittitur, Laxare gratis debitum. Omnes pro indulgentia Vocem demus cum lachrymis.* ¶ Ad hæc prædictus Christus Dominus noster est ille agnus; de quo Ioannes ait. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Non igitur de peccatis nostris (si pænitere volumus) desperare debemus. Nam non mittitur Christus à patre, vt Rex vlciscens, sed vt agnus innocens, non vt censum exigat, sed vt debita gratis pænitentibus relaxet. Nam gratis (vt testatus est Isaias) fuimus venditi, & sine argento redimi etiam debemus. Quasi dicat ergo sancta Dei Ecclesia hic nobis, ò filij: Ecce nunc agnus Dei; qui habet potestatem in terris dimittendi peccata. Curramus ergo, & cum lachrimis, ex amore huius agni emanantibus, vocem demus, idest, orationem cum lachrimis coram Deo faciamus, & coram eo confiteamur nostra peccata, vt indulgentiam, ac veniam mereamur acquirere. Tantum enim requirit à nobis iste Christus, vt cum lachrimis pia: & fideli voce dicamus. Dimitte nobis debita nostra: Gratis enim remittit omnia debita, iuxta illud quod cantat Ecclesia, scilicet: Qui saluandos saluas gratis. & condonat peccatorum pænas. Hoc autem non aliter intelligendum est; ac diuinus scribat Paulus ad Timotheum dicens: Cum autem aenignitas, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per se ipsum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. ¶ Cæterum nomine debiti hoc in loco peccatum intelligimus: imo in scriptura sacra debitum peccatum appellari, & intelligi, ex hoc perpendimus, quod dum saluator docuisset sic nobis orandum esse. Demitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris, statim post pauca subiecit: Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. hoc autem debito omnis homo obligatus est Deo; omnes enim in peccatis concipimur, & in peccatis nascimur, & in peccatis viuimus. Debitum autem dicitur, secundum Albertum Magnum Luc. 11. quia pro ipso debitores efficimur. Debitores enim sumus ex omisso, & commisso, ex omisso quidem, quoniam quod debuimus facere, omisimus. Hinc secundum eundem Albertum Magnum est, quod debitum peccati est multiplex, videlicet, debitum obedientiæ, debitum concessi temporis, & debitum lucri. Debitum obedientiæ est contra præcepta affirmatiua, quæ implere omisimus, & in hoc notatur debitum

Ioan. 1. *Ioan. 52.* *Matth. 9.* *Matth. 6.* *2. Tim. 3.* *Debiti nomine quid signetur.* *Matth. 6* *Debitum vnde dicitur.* *Alb. Mag.* *Debitum peccati est multiplex.*

bitum delicti, quasi derelicti. Debitum vero, siue delictum temporis est, cum perditur tempus concessum ad pænitentiam, & seruiendum Deo. Vnde Apostolus loquens ad literam de gratia concessi temporis dicit, Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *1. Cor. 6.* Et Iob. Dedit illi Deus locum pænitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. *Iob.* Debitum autem lucri gratiæ concessę secundum omnem gratiam nobis datam, multiplicatur, in diuitijs; quando non elargiantur, in scientia, quando non docetur, vel prædicatur, vel consulitur, in virtute quando in opere non exercetur, & sic de alijs gratiarum omissionibus. Est & debitum commissi, quando committendo nos debitores efficit, & hoc peccatum est trangressionis, hoc enim est, cuius debitores sumus Deo ad satisfaciendum, psal. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Peccatum transgressionis. Psal. 50.* Est & aliud debitum, per quod efficimur debitores proximo, quem si fraudabimus, Deus non remittet nobis debita. Rom. 13. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, cui vectigal, vectigal. *Rom. 13.* Aliquod etiam debitum debemus spiritui. Rom. 8. Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. *Rom. 8.* Itaque ad superiora iterum redeuntes, dicimus, quod Christus, vt agnus è sursum mittitur laxare gratis debitum quem videns sanctus Ioannes dixit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Christus dicitur agnus. Ioan. 1.* Nam sicut in veteri testamento offerebatur agnus pro peccatis populi, & pro seruitute, ab Angelo, percutiente, repulsa, ita Christus obtulit se ipsum Deo patri, vt totum genus humanum liberaret, & leuaret à peccatis in sanguine suo: Agnus enim redemit oues: Christus innocens patri reconciliauit peccatores. & dicitur agnus ab innocentia, quia agnus nec bestijs, nec hominibus nocet. *Agnus dicitur ab innocentia, & ab agnoscendo.* Vnde Paulus ad Hebræos dicit de eo: Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. *Hebr. 17.* Vel agnus dicitur ab agnoscendo, quoniam in magno grege solo balatu matrem agnoscit. *Nota.* Missus est ergo iste agnus, vt scilicet, nos liberet à malo culpæ, vt nos redimat à malo pænæ, vt nos donet de plenitudine gratiæ suæ, vel vt dimittat nobis tenebras, quas incurrimus per auersionem ab incommutabili bono, vel vt dimittat culpam, quam commisimus contra gratiam beneficij, vel dimittat maculam, in quam incidimus in læsione, & diminutione naturalis boni, vel dimittat reatum, & omnem ad pænam æternam, obligationem. ¶ Sed cur cum lachrimis confessionem peccatorum facere debemus? quia: *Secundo, vt cum fulserit: Mundumque horror cinxerit: Non pro reatu puniat: Sed nos pius tunc protegat.* ¶ Quod quidem sperare debemus: Nam si illud fecerimus, Agnus Dei non

est

est vltor; sed potius redemptor, vt dictum est, nec iram reseruat, imo cum sederit in sede maiestatis suæ; non non puniet nos (si, vt diximus; vocem dederimus cum lachrymis) secundum pœnam, & reatum, sed tunc, idest, in illo tempore cum venerit ad iudicandum, pius protegat, & saluet. ¶ Verum ad pleniorem præmissorum versuum, ac verborum sensum, ac notionem, notandum primo est, cur dicatur ab authore huius hymni dictio; secundo, in primo versu. Secundo quotuplex sit filij Dei aduentus. Tertio quid horror hic innuat, & signet. Quarto dicendum est, quid dictio ista, cum, hic importet, & quot significationes habeat. Quinto notandum est, quid per mundum hic accipere debeamus. Attestantur igitur sacræ scripturæ, duos filij Dei aduentus esse, alterum cum salutis nostræ causa carnem assumpsit, & homo in Virginis aluo effectus est, alterum vero cũ in consummatione sæculi ad iudicandos omnes homines veniet: Cum igitur dicimus, secundo vt cum fulserit Christus; intelligere hic debemus, secundo, idest, de secundo aduentu, nempe, cum in fine sæculi veniet, vt iudicet mundum, ac totum genus humanum, pari modo dictio, cum; in primo versu posita significat tempus, & ibi, Cum locus fuerit, te precor esse virum. Quandoque tenetur copulatiue, vt ego cum Petro currimus, idest, ego, & Petrus. Aliquando associatiue, vt cum dicitur: Sancte Dionisi cum socijs ora pro nobis. Aliquando informatiue, vt nomen significat substantiam cum qualitate. aliquando notat causam, vt cum tu sis meus amicus, debeo te diligere, quandoque notat instrumentum, vt percutio te cum baculo, quandoque vtilitatem notat, vt cum dicitur: pacem feci cum aduersario meo, quandoque contrarietatem, vt factum est silentium in cælo, dum coluber, idest, draco pugnaret cum Michaele, idest, contra Michaelem, quandoque cohabitationem; vt iste moratur cum Rege in domo. quandoque notat concomitantiam, vnde in euangelio dicitur, & tu cum illo eras, dixerunt Iudæi ad Petrum, qui calefaciebat se ad prunas, cum ceperunt Iesum. Cum vero in secundo versu dicitur cum horror cinxerit mundum, aduertendum est, quod horror hic non aliquod immundum, siue fædum, aut corruptum, significat, sed hoc loco pro omni eo capitur, quod dolorem, & mortem allaturum est. Demum per mundum hic in secundo versu positum, homines huius mundi intelligere debemus, & pro cunctis hominibus, hic mundus accipitur, in terra commorantibus, tam bonis quam malis, vt videntur insinuare nobis Pauli verba ad Corint. dum dixit: Deus erat in Christo, mundum reconcilians. aliquando vero mundus pro electis, & bonis tantum sumi-

Dictio secũdo quid notet infradicitur.

Duplex filij Dei aduentus.

Dictio. cũ, habet multa significata.

Apoc. 12.

Mar. 14.

Horror dupliciter capitur.

Mundus qd signet.

M tur,

Ioan. 3. tur, iuxta illud: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, aliquando vero tantum pro vitiosis, & rebrobis, vt
Ioan. 17. cum ait Deo patri saluator noster: Non pro mundo rogabo. Aliquando etiam pro creatura spirituali, sub orbe lunæ contenta, hoc est, pro regione elementorum, atque mixtorum, iuxta illud philosophi: Oportet hunc mundum congruum esse lationibns superio-
lib.1. Math. rum, vt tota virtus eius inde gubernetur. Aliquando pro habitabili terra, vt cum ait saluator, Prædicabitur euangelium in vniuerso mundo. Aliquando pro carnalibus hominibus, & mundanis de quibus dicitur, Et mundus eum non cognouit. Aliquando accipitur pro toto vniuerso iuxta illud, mundus per ipsum
Matt. 1. factus est. Dicit ergo litera, cum lachrymis vocem, hoc est,
Ioan. 1. orationem demus, ac faciamus coram Deo, vt cum in secundo aduentu suo venerit ad iudicium, cumque horror, timorque, ac dolor, mundum, ac mundi huius homines cinxerit, & apprehenderit, ac perierit, nolit pro reatu, ac pro culpa nostra, ac pro facto alicuius rei malæ factæ à nobis, punire, sed potius cum pietate, tunc, & tempore huiusmodi tremendi iudicij protegat ab eo, ac saluos nos faciat. Amen.

In Natiuitate Domini ad vesperus Hymnus Quartus.

Christe Redemptor omnium:
Ex patre patris vnice:
Solus ante principium;
Natus ineffabiliter.
Tu lumen, tu splendor patris:
Tu spes perennis omnium:
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli:
Memento salutis author:
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata Virgine
Nascendo formam sumpseris.
Sic præsens testatur dies
Currens per anni circulum,
Quod solus à sede patris
Mundi salus adueneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare;
Hunc omne quod in eis est,
Authorem aduentus tui:
Laudans exultat cantico.
Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sanguine sumus;
Ob diem natalis tui
Hymnum nouum concinimus.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine
Cum patre, & sancto spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sancta mater Ecclesia, quæ olim de populo erat illo, qui ambu-
Luc. 1. labat in tenebris, hodie lucem magnam cum eo videns, huius magnæ

magnæ lætitiæ voluptatem prodere cupiens: (quis enim magno illo gaudio per Angelum euangelizato; imo omni populo credentiũ, non gauderet? Quis in tanto non exultaret cælesti, & æterno gaudio, quod nulla tristitia interueniente turbatur? Quis Iesu Christi Domini nostri, qui hodie nostræ humanitatis, & mortalitatis fieri dignatus est particeps, aduentu, & natiuitate, omnium profecto spe, ac salute non gauderet?) Hymnum hunc in honorem tantæ Natiuitatis Christi sui, ac in lætitiam huius magnæ diuinitatis eius, nempe, lætanter cantat, dicens: *Christe redemptor omnium, Ex patre patris vnice, Solus ante principium: Natus ineffabiliter*, & reliqua.

¶ In quibus per beatum Ambrosium, huius cantici, ac hymni Authorem fit ad Dei filium gratiarum actio de ineffabili sua misericordia, qua cum Deo patri sit vnigenitus ante sæcula, de Virgine nasci dignatus est pro nobis in tempore. Primo enim ipsum ab æterna natiuitate (postquam diu expectatus venit) laudat, cum inquit, Christe redemptor omnium &c. Secundo demonstrat, eum cum patre in substantia esse, & quod nobis factus sit) quasi digito demonstrans) æterna salus, & spes, supplicando illi, vt totius orbis preces audiat cum ait: Tu lumen &c. Tertio, vt sibi illum placatum reddat, illi ad memoriam reuocat, quod pro nobis, cum Deus esset, factus sit homo; cum dicit. Memento &c. Quarto diem natalem, quo canitur iste hymnus, nunquam à nobis satis laudatus, magnificat, inuitatque cælum, & terram, atque mare, & omnia, quæ in eis contenta sunt, vt lætentur in aduentu, & natiuitate Christi, per cælum intelligens Angelos cælestes: per terram omnes homines in terris habitantes, per mare vero omnes habitantes in insulis marinis. vt ibi: Hunc cælum, terra, hunc mare &c. Quinto, & vltimo hortamur, vt sicut induti sumus Iesum Christum, & nouum hominem, qui fragilitatis nostræ substantiam sibi vniuit, & propterea noui nos etiam esse dicimur, ita nouum hymnum tanquam ex ore Christi prodeuntem canere debemus, vt cum ait: Nos quoque &c. ¶ Ad meliorem igitur præmissorum carminum intelligentiam, videndum est, quomodo Christus sit redemptor omnium. Secundo videndum quomodo iste Christus Dei filius dicatur solus genitus ante principium. Quod autem Christus, & non alia creatura potuerit genus humanum redimere, patet; quia nullum precium finitum potest satisfacere pro peccato commisso contra Deum: ideo fuit necessaria passio Christi ad satisfaciendum pro peccato, quæ quidem passio Christi fuit precij infiniti ratione puritatis eius, & innocentiæ, & gratiæ vnionis: ideo Christus, & non alia creatura, potuit pro omnibus satisfacere, & in eo suf-

Huius hymni author Beatus Ambrosius.

Hymni sũma diuisio

Cælum, terra, & mare quid significent

Cur, noui, esse dicimur.

Christus filius Dei dicitur solus redemptor omnium, & quomodo.

M 2 ficienter

ficienter omnia nostra peccata fuerunt punita virtualiter, & habitualiter, quia Deus pater posuit in eo iniquitates omnium nostrorum, & propter peccatum populi sui percussit eum, cuius liuore sanati sumus: & Deus pater fecit ipsum peccatum, idest, sacrificium pro peccato. Christus ergo merito redemptor omnium esse dicitur, idest, hominum vniuersorum, quantum ex parte ipsius, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & quia pro omnibus copiosissime satisfecit pro præteritis, nempe, presentibus, & futuris, & non solum redemit vnum hominem, sed omnes homines, non solum vnam nationem, sed omnes, nec vnam prouinciam tantum, sed totum orbem terrarum. Ideo dicitur redemptor omnium quantum ad sufficientiam, quoniam dominicæ passionis consequuntur finaliter fructum, ac consummatum effectum. Vnde Leo in sermone Natiuitatis Domini dicit, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.

Isai. 53. *2. Corint. 5* *Leo Papa.*

¶ Quod vero Christus dicitur hoc loco solus genitus ante principium temporum, & mundi exordium, patet, quoniam antequam mundus subsisteret aliud nihil genitum erat. Vnde Propheta Dauid psal. 89. Priusquam, inquit, montes fierent, aut formaretur, & orbis, à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus. Similiter legitur in lib. prouer. 8. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nec dũ fontes aquarum eruperant, nec dũ graui mole montes constiterant, ante omnes colles ego parturiebar. &c. Rursum Dauid dicit: Ante luciferum genui te, idest, ante spiritualem naturam, & Angelos. Vbi ergo Deus fuerit priusquam mundus esset si quis quæreret. Respond. quod Deus ante mundi constitutionem fuit, vbi nunc est, scilicet, in se, quoniam ipse sufficit sibi: Vnde versus, Hic vbi nunc esset, cum præter eum nihil esset. Tunc vbi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse. Est ergo filius Dei solus ante principium, quia ex ore altissimi prodiuit primogenitus ante omnem creaturam. Generationem ergo eius quis enarrabit? *Tu lumen, tu splendor patris: Tu spes perennis omnium, Intende quas fundunt preces Tui per orbem famuli.*

Christus filius Dei dicitur genitus ante principiũ. *Psal. 110.* *Deus vbi erãt priusquã mundus fieret.* *Ecclesia. 24.* *Isai. 3.*

¶ Quod Christus Dominus noster sit lumen, vbique passim in sacra scriptura clarum euadit. Nam canit Ecclesia de eo dicens, Deum de Deo, lumen de lumine. & psalnes, Exortũ est in tenebris lumen rectis corde, & Simon, Quia viderunt oculi mei salutare tuũ. Quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suę Israel. Dicitur autem Christus, Dei filius, lumen, quia sicut lumen in oculum veniens ampliat potentiam visus, vt possit clare videre visibilia naturæ, ita Christus lumen de lumine

Psal. 111. *Luc. 2.* *Christus dicitur lumen, & quomodo.*

lumine in animas mundanas discedens, & nascens, quod perceptum ampliat virtutem oculorum cordis. Vel dicitur Christus lumen inquantum est coæternus patri, sicùt lumen ipsi soli, & procedit à patre æternaliter, sicut lumen à sole, quia sicut nunquam fuit sol sine lumine, nec è conuerso, ita nunquam pater sine filio, nec è conuerso, & sicut lumen, procedens à sole illuminat, & viuificat omnia, maxime omnem hominem venientem in hunc mundum. ¶ Præterea est & Christus splendor patris, quoniam patrem manifestauit, & vt radius, atque fulgor, paternam gloriam demonstrauit, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. & sapiens ait: Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius. Porro spes perennis, & perpetua dicitur hoc loco esse Christus, quoniam in præsenti ponimus spem, & fiduciam nostram in eius passione, & sacramentis Ecclesiæ, per quæ credimus, & speramus liberari ab omni peccato, & quia ponimus spem in cælestibus præmijs, contemnentes terrena, & hoc est se committere diuino adiutorio; nos impossibile est perire, & à Diabolo superari, spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis, cuius aduentus ignoratur. ¶ Dicit ergo litera. Exaudi ò Christe spes nostra perennis preces, quas nos famuli tui fundimus, ac omnes etiam gentes, quæ per vniuersum orbem orant assidue apud te. *Memento salutis author, Quod nostri quondam corporis, Ex illibata Virgine, Nascendo formam sumpseris.* ¶ Senescente ergo mundo missus es, ò Christe, ab arce patris in mundum, vt carnis nostræ mortalitatis ex Maria Virgine substantiam susciperes, vtque tua virtute, fortitudine, & efficacia, solus humani generis, ac totius populi tui, pro quo factus es etiam à Deo sapientia, & iustitia, sanctificatio, & redemptio, & propitiatio nostra. 1. Cor. 1. 1. Timot. 2. idest, causa remissionis vitiorum nostrorum, vt author salutis nostræ consequenter fieres. Tu enim solus author, & reparator ministerialis, & instrumentalis, mediatiuus, atque imperatiuus nostræ saluationis. Mediator, inquam, Dei, & hominum, qui satisfecisti pro nobis, & modo aduocatum te nos habemus apud patrem. Mater vero huius authoris nostræ salutis hic illibata esse dicitur ab huius hymni hymnete, quoniam ipsa illibata, idest, intacta, inuiolata, intemerata, & incorrupta Deum, & hominem genuit: qui est vnigenitus Dei filius, qui est Rex omnium, qui est plasmator, & creator cunctorum, qui est in cælis sine matre, & in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris, qui tandem nostri (redimendo) misertus est. O magnæ, inquit Origenes, admirationis, ò inenarrabilis suauitas, ò ineffabile, magnumque sacramen-

Christus est splēdor patris.
Ioan. 1.
Hebr. 1.
Christus spes perennis, & quomodo.
Spes quid.
Christus sapientia patris est.
1. Ioan. 2.
Christus dicitur author salutis nostræ, & quomodo.
Maria mater Christi dicitur illibata, & quomodo.
Origen. in hom. vig. Nat. Dom.

cramentum, ipsa eademque Virgo, ipsa etiam mater Domini, ipsa est genitrix. Quis vnquam ista audiuit? Quis vidit talia? Quis hoc excogitare potuit, vt mater virgo esset, & intacta? ex illibata generaret? quæ & virgo permansit, & genuit? sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignes eum non consumebat, & tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis, vel quemadmodum Daniel intra lacum leonum inclusus, claustris non apertis, allatum est prandium ab Abachuc: ita hæc sancta Virgo genuit Dominum, sed intacta, & illibata permansit, Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Olim ergo, hoc est, in sexta, & vltima ætate, & quando venit plenitudo temporis, nascens Christus Dominus noster formam nostri corporis sumpsit. *Sic præsens testatur dies: Currens per anni circulum: Quod solus à sede patris Mundi salus adueneris.* ¶ Nota ergo hic primo; quod dies natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, quem quotannis, ac singulis annis, ac per vnum, quemque annum currere, ac venire, ac circulariter rotare videmus, quemque, & solemniter celebramus; testis est, ac testimonium perhibet; Christum venisse à sede patris, mundi salutem. Nota secundo, quod Christus solus aduenisse hic dicitur à sede patris, quoniam solus ipse per incarnationem humanam induit naturam. Neque enim pater incarnatus est; neque spiritus sanctus, licet vterque ad sacratissimum incarnationis mysterium suscipiendũ à filio, cooperatiuus sit. Et sic Christus Dominus noster, qui solus ipse est incarnatus de spiritu sancto ex Maria Virgine, aduenit mundi, idest, omnium hominum in hoc mundo degentium (appellatione namque mundi hoc in loco omnes homines, & bonos, & malos, intelligere possumus, quia quantum ad sufficientiam omnium Deus redemptor fuit, ac salus) redemptio, propitiatioque, ac salus, idest, vita integra, & æterna. Christus enim dicitur Iesus, & Saluator, & dator salutis, quia nomen hoc Iesus est nomen salutis, & vitæ perfectæ. Vel Christus dicitur aduenisse mundi salus, quoniam in eo est salus, qua omnes potest saluare, & à morte viuificare, & misericordia, qua omnes potest ab omni miseria releuare, & iustitia, qua potest omnes iustificare, & pax, qua potest omnes Deo reconciliare, & benignitas, qua iram, & indignationem Dei mitigat, & veritas, qua nostras ignorantiæ tenebras fugat, ac omnia scripta in lege, & prophetis verificat, & adimplet, ac demum in eo gloria, qua nos glorificat & ideo quia Christus non solum adeptus est omnia supradicta per se, sed vt etiam posset nobis ea communicare; ideo dicitur salus nostra, & iustitia, & pax,

Exod. 3. Daniel. 3. & 6.

Olim quid

Dies Natiuitatis Domini testimoniũ perhibet, quod Christus, mundi salus aduenerit.

Christus solus induit naturam humanam, proinde solus dicitur aduenisse.

Mundi appellatione quid veniat.

Christus dicitur salus nostra.

& gloria

& gloria nostra. Nota tertio loco, quod salus ista à sede patris aduenisse dicitur: vbi per sedem altissimum Dei, ac cæli domicilium ego intelligerem, vbi suam Deus habet sedem. vel à sede patris, vbi viuit, & regnat, & sedens dominatur in sede existens. vel à sede patris, idest, à sinu patris, vel à latere patris mundi salus aduenit. Nota quarto loco hic, quamobrem Christus nasci corporaliter, & mundi salus aduenire voluerit; & hic secundum Sanctum Isidorum in sermone Natiuitatis Domini, quod postquam inuidia Diaboli parens ille primus seductus vaniter cecidit, confestim exul, & perditus in omni genere suo radicem malitiæ, & peccati, traduxit; crescebatque in malum vehementius omne, genus humanum, diffusis vbique sceleribus, & quod nequius omnium, cultibus idolorum: volens ergo Deus exterminare peccatum, consuluit verbo, lege, & prophetis, signis, plagis & prodigijs. Sed cum, nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus: misit Deus vnigenitum filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & peccatores sanaret. Idem tamen Deus, & idem homo in natura Dei æqualis patris, in natura hominis factus est mortalis pro nobis moriens, quod erat, de nobis suscipiens, quod non erat, vt liberaret, quod fecerat. *Hunc cælum, terra, hunc mare. Hunc omne quod in eis est, Authorem aduentus tui Laudans exultat cantico.* ¶ Nota ad primorum quatuor versuum veriorem elucidationem, quod pronomen istud; Hunc, refertur ad id nomen, dies, precedenti versu positum, vt sit sensus, quod creatura cælestis, scilicet, angelica, ac terrestris, humana videlicet, imo omnis Dei creatura hunc diem natalitium aduentus tui ad nos, ò Christe; editorem, ac manifestatorem esse. celebrat, & spirituali cantico exultat in Domino. Vnde hic locus hymnicus videtur innuere id ad quod propheta, in spiritu præuidens hunc diem aduentus Domini, hortabatur in psalmo nonagesimo quinto dicens. Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt, & causam paulo post subiungit, quia, dicens, Dominus venit. Hunc etiam Deum, ac cæli authorem cani debere ab omnibus hortabatur Moyses, dicens: Cantate Domino canticum nouum, qui descenditis in mare, & plenitudo eius, insulæ, & habitatores eorum. Hunc ergo diem tamquam authorem, & vti approbatorem, ac manifestatorem aduentus, ac Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, cælum, idest, cæli cognouerunt, qui cæli, secundum Beatum Gregorium in homil. Epiphaniæ Domini, miserunt protinus stellam, quæ tribus illis Regibus, idest, Magis apparuit. similiter, & angeli, qui ad pastores nimio gaudio dixerunt,

Sedes quid signet. *Cur Christus nasci corporaliter, & salus mundi aduenire voluerit.* *Isidor.* *Psal. 95.* *Moys. 42.* *Gregorius.*

Gloria in excelsis Deo laudant, & exultant hoc presenti hymno: *Terra qd. Luc, 2.* Pari modo terra: hoc est, pastores in terris existentes propter Christi aduentum, & christi natiuitatem attestantur hunc diem authorem esse prædicti aduentus Domini. Hunc etiā diem cognoscit mare, hoc est, quia sub plantis eius se præbuit calcabile, quarta enim *Matth. 14* vigilia noctis venit Iesus ad discipulos ambulans super mare. Et demum, quod in eis est, scilicet, in cælo, in terra, & in mari exultans laudat, celebratque diem hunc, quia est author, ac euidens approbator natiuitatis Christi. *Nos quoque, qui sancto tuo Redempti sanguine sumus. Ob diem Natalis tui, Hymnum nouum concinimus.*

¶ Pro intelligentia præmissorum verborum aduertendum quot bo- *Sanguis Christi causauit multa bona nobis.* na nobis attulerit Christi sanguis. Secundo dicendum est de discrimine inter hymnum, canticum, & psalmum. Tertio non est omittendum, quid significet hymnus mystice hoc in loco. Quo ad primum dicimus, quod Christi sanguis fuit nostra redemptio. *Apoc. 5.* Apo. 5. Redemisti nos Domine, in sanguine tuo. & Archiapostolus ait, *1. Petr. 1.* scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento, redempti estis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontami- *Apoc. 1.* nati. Secundo Christi sanguis est peccatorum ablutio. Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis. Tertio sanguis Christi est ianuæ cælestis apertio: Apostolus: Habentes itaque fratres fiduciam introitus sanctorum, in sanguine Christi, qui initiauit nobis *Zachar. 9.* nouam viam. Quarto sanguis Christi est eductio de inferno. Zacharias: Tu autem in sanguine tuo eduxisti vinctos de lacu, in quo *Hymnus quid.* non est aqua. Ad secundam propositionem dicimus, quod hymnus muncupatur proprie laus Dei deuotioni accedens. *Psalmus quid.* psalmus vero laus Dei ad bene operandum inducens. *Cāticum quid.* Canticum vero spirituale iucunditatem ex diuinorum, atque celestium contemplatione sustollens, verumtamen vnum eorum pro alio crebro sumitur. Nam *Paralip. 1.* & in primo paralipomenon fertur, quod cantores templi Deum *Psal. 70.* laudabant in hymnis Dauid Regis. In psalmis vero dicitur: Repleatur os meum, vt cantem hymnum gloriæ tuę. Vnde per nouum *Hymnus nouus qd.* hymnum hic legem euangelicam intelligere possumus. Sicut enim per nouum canticum intelligimus testamentum nouum ad differen- *Canticum nouum qd* tiam testamenti veteris, sic hoc loco per nouum hymnum, nouum canticum, & nouam legem intelligere haud dubie possumus. *Lex euangelica canticum nouum dicitur.* Quod autem lex euangelica, quam nunc cantamus, canticum nouum, & hymnum nouum esse dicamus, quadrupliciter dignoscitur. primo quia omnia antiqua ceremonialia, & legalia lex euangelica abijcit, & repellit, scilicet; festiuitates, & sacrificia, & sacramenta veteris legis, et cætera, eo quod omnia compleuerunt cursum, & officium

cium suum in Christo. Secundo lex euangelica dicitur hymnus nouus, eo quod Christum nouum Regem recepit in antiqua lege promissum. Tertio quia repudiatis antiquis legalibus nouas festiuitates, & noua sacramenta celebrat, & nouum, & Deo placitum, & acceptum offert sacrificium eucharistiæ. Quarto dicitur hymnus nouus, seu canticum nouum, quia exaltat mansuetos, & deprimit superbos. Vnde Basilius Magnus dicebat super illis psalmi. 32. verbis, scilicet, Cantate Domino canticum nouum; hoc est, inquit ille, non in legis, & scripturæ vetustate, sed in nouitate spiritus Deum adorate: Qui enim legis non historiam, sed spiritualem accipit sensum, hic canticum nouum cantat. Sic etiam per psalterium decem chordarum intelligitur lex decem præceptorum in lege euangelica confirmatorum, & quia etiam nouus homo nouum canit hymnum. Amen.

Basil. Mag.

Psalterii decem chordarum qd.

In Natiuitate Domini ad Laudes Hymnus Quintus.

A Solis ortu cardine
Ad vsque terræ limitem
Christum canamus principem,
Natum Maria Virgine.
Beatus author sæculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans:
Ne perderet quos condidit.
Castæ parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei.
Intacta nesciens virum,
Verbo concepit filium.
Enixa est puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris aluo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit:
Præsepe non abhorruit:
Paruoque lacte pastus est:
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cælestium
Et angeli canunt Deo,
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine,
Cum patre, & sancto spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

NOstra sancta mater Ecclesia in superiore cantico edixit nobis, quod cælum, terra, mare, & omne, quod in eis est, diem vigesimum quintum Mensis Decembris, tanquam aduentus, ac natiuitatis domini Nostri Iesu Christi authorem, approbatorem, atque etiam eiusdem Natiuitatis Domini optimum manifestatorem laudat,

laudat, prædicat, præconizatque, & bene ſiquidem ab ortu ſolis vſque ad occaſum vniuerſus terrarum orbis inſimul nunc ipſum Chriſtum aperte principem natum eſſe canit, ac eum concelebrat dicens. *A ſolis ortus cardine Ad vſque terræ limitem, Chriſtum canamus Principem, Natum Maria Virgine.* & reliquam. ¶ In quo quidem præſenti hoc hymno toto deſcribuntur myſteria Natiuitatis Dominicæ per ipſam ſanctam Eccleſiam, quomodo, videlicet, Virgo puerpera enixa eſt Chriſtum; qui non horruit ſtabulum, nec præſepe, & illis myſterijs laudandæ ipſius miſericordiæ materiam proponit. Primo ergo inuitamur ad Deum laudandum, & canendum, eſſe principem; cum dicimus. A ſolis ortus &c. ſecundo Dei bonitatem erga nos deſcribit Eccleſia, cum inquit: Beatus author. &c. Tertio deſcribitur gaudium: quod fuit factum Angelis, atque paſtoribus, cum finit Eccleſia, dicens: Gaudet chorus cæleſtium, &c. Vel ſic dicatur. Primo ſancta Dei Eccleſia cantat hunc Principem ex Virgine natum eſſe, & à ſæculo tale factum nuſquam auditum, cum incipit. A ſolis ortus &c. Secundo corpus, quo poſſet ſeruire nobis, induit Chriſtus Princeps cum dicitur, Beatus author: &c. Tertio hoc fecit, quia cogente iuſtitia, oportebat perdere opus ſuũ, ne perderet ergo, quod condidit, ſeruiue nobis in peccatis noſtris, vt ante Iſaias prędixerant, nempe, in carne ſua delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tollens de medio, & affigens illud cruci. Quarto hoc magnum myſterium nunquam auditum in terra, quod humanum pectus ſtatim caperet, vt illius templum, quem cæli cælorum non capiant, nempe, Deum corporaliter in habitantem enixa eſt Virgo, & hoc nunquam fuit, nec erit. Quinto, & quem eſt enixa? illum, videlicet, quem iam prædixerat Gabriel Angelus, nempe, Emanuelem, ideſt, Deum, videlicet, hominem factum eſſe. aliud non minus mirandum annectitur, Ioannem, nempe, nondum natum, ſed ad huc in vtero matris clauſum geſtientem, ac exultantem, agnouiſſe venturum eſſe Deum, hominem factum. vt cum dicitur: quem matris aluo, &c. Septimo conſolatur nos (qua propter tanta mirabilia exterrefacti, non auderemus ad illum accedere) ſuam demonſtrando humilitatem, quando pro ſuo ſtratu fænum habuit, pro ſuo lecto præſepe ſibi elegit, pro ſuo cibo nec lac ad ſatietatem ſuxit, ſed modico fuit contentus, cum nihilominus ille ſit, qui cæleſtes aues paſcit: & hæc ibi habentur: Fæno iacere, &c. Octauo in tanta humilitate non deſunt honores tam cæleſtes, quam terreſtes. Nam gaudent Angeli; paſtoribus vero nunciatur paſtor omnium, atque creator, vt ibi; Gaudet chorus Angelorum, &c. & ſic hymnus poteſt dici panegyricus,

Huius hymni Eccleſia eſt author.

Hymni diuiſio, & ſũma.

Coloſ. 2.

Luc. 1.

panegyricus, carminaque laudatoria, quæ suo sposo Ecclesia in suo concinit epithalamio, quod tandem in illius gloriam complet, sic finiens: Gloria tibi Domine, Qui natus &c. Est ergo hymnus iste, velut epithalamium quoddam, quod Christo nato, tanquam carissimo suo sponso cantat mater Ecclesia. Nam cum in præcedenti admirata sit eius diuinitatem ad tantam humilitatem demissam, modo canit modum seruatum huius ineffabilis demissionis, & colore fere poetico conuocat orbem terrarum ad audiendum huius magni Principis epithalamium. ¶ Sed ad ampliorem primorum quatuor versuum intelligentiam notandum est primo, quis sit locus ortus solis. Secundo quid sit limes terræ. Tertio quidnam sint cardines terræ, & quid ijdem cardines mystice designent. Quarto videndum est, quando natus sit Christus Maria Virgine, & quotuplex fuerit eius natiuitas. Quinto aduertendum est quomodo, & quando Christi natiuitas repræsentetur ab Ecclesia. Ad primum, & secundum dicimus, quod ipsius ortus solaris est plaga cæli orientalis, vnde sol oritur. Limes vero siue extremitas terræ est occidua regio, per hæc ergo verba hortamur, vt Christum canamus non in vno tantum loco, sed ab oriente, vbi principium est ortus solis vsque ad finem, ac terminum terræ oppositum, scilicet, occasum. Tertio dicimus, quod cardines terræ sunt poli, in Annæ siquidem cantico dicitur: Domini enim sunt cardines, posuit super eos orbem. Oriens enim, occidens, meridies, ac septentrio sunt mundi situs, seu partes, super eos enim mundus hic sensibilis constitutus est, vt ianua super cardines. Quandoque tamen cardines terræ sunt mystice Cardinales, prælati. prædicatores, & pastores, super quos orbis, idest, Ecclesia, fide eorum stabilita reponitur consistitque. Et hoc videtur innuere Anacletus 22. dis. c. sacrosancta. & leo Papa in c. ministerium de offic. Archipresb. Ad quartum præsuppositum dicimus, Christum, natum Maria Virgine in anno quadragesimo secundo Octauiani Imperatoris: dum totus orbis longa pace frueretur: in quo tempore bella in tantum fuere obliuioni tradita, quod quasi omnia arma erant in vomeres, & cætera rusticalia instrumenta conflata. Vlterius natiuitas ipsius Christi triplex est, scilicet, diuina, & æterna ex corde patris, humana & carnalis ex vtero Virginis, & gratuita, seu spiritualis, quæ in eorum mentibus generatur, qui conuertuntur ad ipsum, seu regenerantur in ipso. Quę quidem tres natiuitates Christi sumuntur secundum tres naturas, quæ sunt in Christo, scilicet, Deitas, caro, & spiritus. Nam ipse

Panegyricus.

Epithalamium.

Ortus solis quis locus.

Limes terræ quid.

Deum laudare debemus vbique.

Orbis.

1. Reg. 2.

Cardines terræ mystice quid.

Natus est Christus quo anno Imperij Octauiani.

Natiuitas Christi triplex secundum tres eius naturas.

ex patre

ex patre nascitur Deus, ex Matre caro, in mente nascitur spiritus, scilicet, per gratiam: Ex patre nascitur semper: Ex Matre nascitur semel, in mente nascitur sæpe. Secundum natiuitatem diuinam habet patrem Christus sine Matre. Secundum humanitatem Matrem sine patre. Secundum gratuitam habet patrem, & matrem
Matth. 12 iuxta illud Matthæi. 12. Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in
Missæ tres in natiuitate Domini quid repræsentēt. cælis est, ipse meus & frater, & soror, & mater est. Has tres natiuitates repræsentat Sancta Ecclesia in hac nocte sanctæ natiuitatis eius, primam, & diuinam in missa, quæ cantatur in medio noctis. Est enim hæc natiuitas occulta. Isai. Generationem eius quis e-
Isai. 3. narrabit? Secundam in missa, quæ in aurora, quia Natiuitas summa partim fuit occulta, & partim manifesta, occulta quidem quantum ad modum; quia natus de Virgine, sed manifesta quantum ad factum. Tertiam, scilicet, gratuitam, & spiritualem in missa, quæ cantatur in die, quia natiuitas gratuita est manifesta, in qua
Nota. Christus per affectum concipitur, per effectum nascitur. Quapropter concludimus natiuitatem Christi hoc in loco esse humanam, &
Mysticaexpositio. ex matre, Vnde propter hoc dixit Sancta Ecclesia. Natum Maria Virgine. Si modo (vltra sensum datum, nempe, quod non in vno tantum loco canere debemus Christum hunc natum Maria Virgine, sed à principio ad vsque terræ terminum) si volueris his versi-
Ortus solis, & eius occasus qd mystice signent. bus dare hunc alium sensum, dicito sic. *A solis ortus cardine*, hoc est, à die, qua exorti, ac nati sumus. *Ad vsque terræ limitem*, idest, vsque ad finem vitæ nostræ, Christum hunc sic natum Maria Virgine, semper canamus. Vel à die resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi (sicut enim occasus solis mortem Christi, ita exortus solis eius resurrectionem significat) vque ad finem mundi, & consumationem sæculi, & vsque ad diem iudicij semper Christum sanctum canamus, & laudemus. Nam, & jlle est, de quo cicitur. *Beatus author sæculi Seruile corpus induit, Vt carne carnem liberans. Ne perderet quos condidit.* ¶ Nota hic ad præmissorum carminum intelligentiam, primum vnum quidem mirabile, quod est, principem principum, Regem Regum, Dominum Dominantium, Creatorem creatorum, & Authorem rerum omnium visibilium, & inuisibilium, ac Deum Deorum; corpus seruile induisse, hoc est, for-
Philipen. 2 mam serui accepisse, illumque errantem quæsisse; atque aliquando
Psal. 117. lassum sedisse, medicum ad ægrotum venisse, labentem, iacentem-
Ioan. 4. *Matth. 9.* que, vulneratum, ac semiuiuum à latronibus relictum erexisse, ac
Luc. 10. curasse teccantemque corripuisse, suaque carne, hoc est, eius cor-
Luc. 11. pore carnem suam redemisse à manu, Diabolique potestate, à morteque æterna eum liberasse, ne perderet, quem condidit ad imaginem,

ginem, & similitudinem suam, tamen hoc voluit facere Beatus Author saeculi: vtque in terris pro eo dominaretur, & praeesset cunctis animantibus, vtque ei daret honorem, ac gloriã in saeculorum saecula. ¶ Nota secundo, quod Beatus Author saeculi corpus seruile induit, ac naturam sibi humanam vniuit sine omni mutatione sui esse diuini, neque quicquam habuit, vt subsistat, à natura humana. Nam quemadmodum vestis induitur, atq; exuitur sine mutatione substãtialis hominis: ita quod homo est homo, & subsistit, siue induatur, siue non, sic Christus naturam humanam assumpsit sine mutatione esse sui diuini. ¶ Nota tertio, quod induit Christus hanc serui formam, seu seruile corpus, vt carne sua immaculata, & ab omni peccato libera, carnem nostram, peccatis vulneratam, liberaret ab interitu & exitio mortis aeternae. ¶ Nota quarto, quod quinque modis naturam Christus humanam assumpsit, scilicet, misericorditer. Apost. ad Tit. 3. secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Vtiliter, scilicet, pro salute nostra, psal. 73. operatus est salutem in medio terrae. Sapienter, quia assumpsit bonum naturae reprobando malum culpae. Isai 7. Butirum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Fortiter, quia sic assumpsit naturam humanam, quod nunquam deposuit eam, quia post mortem vnita fuit Diuinitas carni in sepulchro, & animae in inferno. Mirabiliter, quia coniuncta sunt in carne summum, & imum, hoc est, Deus, & limus. Vnde ex supradictis omnibus apparet, quod licet infantem suum obliuiscatur mater, non tamen Christus nostri est oblitus. ¶ Nota sexto, quod si Christus non induisset naturam humanam, non liberasset sua passione genus humanum à potestate daemonum, & per consequens permansissent perditi omnes, quos condidisset propter hoc, quoniam, vt diximus, iam totum genus humanum erat proiectum à facie Dei propter peccatum Adae, & per consequens extra gratiam. Secundo quoniam erat, & perseuerabat totum genus humanum in tenebris peccatorum, & in captiuitate Diaboli. Nam tũc temporis Daemones erant in causa, quod patres immolarent filios, vt patet de Agamenone, qui immolauit, & sacrificauit filiam Dijs, vt haberet prosperos ventos. Et Pyrrhus Astianactem filium Hectoris ad sepulchrum Achillis. Psal. 105. Imolauerunt filios suos, & filias suas Daemonijs. Item Daemones in responsis suis semper persuadebant bella inter Principes, & finitimos, & persuadebant rebelliones populorum contra Reges suos; & seditiones inter ciues, vt fierent caedes, & homicidia eo quod omnes illi implebant infernum, & multa enormia, & turpia contra bonos mores, & naturam persuadebant, vnde proinde iam in perditionem iuerant multi. Tertio

quo-

Genes. 1.
Seruile corpus vti induerit Christus
Quinque modis assumpsit Deus naturam humanam.
Tit 3.
Psal. 73.
Isai. 7.
Isai. 49.
Quomodo genus humanum erat olim perditum.
Psal. 105.

quoniam omne genus humanū totum subiectum erat Diabolo propter peccatum, & idololatriam. Nam gentiles adorabant multitudinem Deorum, adorabant præsertim, & adorabant vnum tanquam Principem, & Patrem omnium Deorum, scilicet, Iouem: Iuppiter enim idem est, quod iuuans pater, cæteros autem, scilicet, Phebum, & Mercurium, & Martem adorabant tanquam Deos accersorios, habentes tantum dominium in quibusdam partibus mundi; vt Neptunus præsidebat mari, Iuno terræ. Eolus ventis. Item isti erant Principes speciales Regnorum, vt Mars erat Princeps Romanorum, Pallas Troianorum, & Phebus Delius Græcorum, & Osiris, siue Serapis Aegiptiorum, & Belus Deus Chaldæorum, & Babyloniorum. & istis tanquam Principibus offerebant sacrificia sordida, & scenica, vt patet de Baccanalibus Bacchi, & Veneris nefandis ritibus. Sed omnes isti, tam Iuppiter, quam cæteri non erant Dij, sed falsa Dæmonia, in quorum manu, & potestate totum permanebat perditum genus humanum, à qua tamen potestate, & captiuitate liberatum est per aduentum, incarnationemue, ac passionem Domini Nostri Iesu Christi; quem nos nunc adoramus, verum Iouem, & patrem adiuuantem, & redemptorem, & nostri liberatorem, & non adoramus, sed veneramur Apostolos, & sanctos martyres, & confessores propter Christum, & hos constituit Christus Principes super populos, & Regna. Nā Principes Romanorum, sunt Petrus, & Paulus. Et Hispania veneratur Sanctum Iacobum tanquam Principem Hispaniarum, & Aetiopia Beatum Mathæum, qui eos conuertit. Et India Bartholomæum, & Thomam. Et Asia Ioannem. ¶ Iam nunc ad modum, quo Christus seruile corpus induit, transeamus, dicentes. *Castæ parentis viscera Cælestis intrat gratia, Venter puellæ baiulat. Secreta, quæ non nouerat.* ¶ Cælestis ergo gratia, videlicet, spiritus sancti, qui Christi corpus formauerat ex purissimo sanguine magnæ matris Mariæ virginis: (non enim Christus ex semine Virgineo, aut fæmineo formatus est. nam hoc puritati Virginis non conueniebat, nec etiam, secundum Philosophum, est necessarium ad generationem, quia aliquæ mulieres concipiunt sine seminatione. talis ergo materia fuit sanguis, quia ipse secundum Philosophum est etiam in nobis materia generationis:) intrat, penetratque viscera Castæ Virginis matris Mariæ. ¶ Præterea venter puellę Virginis matris Mariæ baiulat, portatque secreta illa, scilicet, cælestia, quæ diuinus audiuit Paulus, cum in cælum raptus fuit, quæ etiam Virgo ante Christi conceptionem ab Angelo edocta nouerat. In mysterio enim incarnationis fuit cōcursus Angeli nunciantis, Virginis concipientis, & verbi Dei carnem

Neptunus Principes mundi olim qui erant.

Christus verus Iuppiter.

Principes Romanorum hodie qui nam sunt.

Christus non ex fæmineo semine, sed ex purissimo Virginis Mariæ sanguine natus est.

2. Cor. 12.

Concursus mysterij incarnationis quis fuit.

carnem assumentis, & sic. *Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei. Intacta nesciens virum: Verbo concepit filium.* ¶ Ad antecedentium versuum meliorem elucidationem, sciendū est primo, quomodo scrinium, ac arca pectoris beatæ virginis factum sit templum Dei. Secundo videndum est, qualiter Virgo Maria conceperit filium. Tertio sciendum est, quæ figuræ incarnationis præcesserint. Ad prinmum exoluendum reminisci oportet, quæ paulo ante circa proxime præcedentes alios quatuor versus fuerunt dicta, nempe, cooperante: spiritu sancto Christum conceptum, ac natum esse ex purissimis Virginis Mariæ sanguinibus: Ex quibus apparet Mariæ semper Virginis pectus, ac pectoris eius scrinium factum esse templum Dei: in quo olim Deus promisit habitare, ac in eo inambulare. Intacta ergo ac nesciens virum verbo concepit filium, idest, carnis commixtionem nesciens, sed verbo, idest, cooperante spiritu sacto, & virtute ipsius. Vel verbo, scilicet, Mariæ Virginis respondentis Angelo, ac dicentis: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Post verbum enim suum, ac assensum ipsa concepit, & portauit filium Dei in scrinio pectoris sui. Demonstratur vero qualiter ipsa Virgo Virginum intacta genuit Deum sic cum istis figuris, nempe, quemadmodum quondam rubus conburi videbatur, & ignis eum non consumebat, & tres pueri in camino inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erant in eis. Vel quemadmodum fuit in Daniele, cui intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est ab Abachuc prandium, Ita, & hæc sancta Virgo genuit Dominum, sed intacta, ac omnino illibata permansit, mater effecta, sed virginitatem non amisit, genuit infantem, at Virgo permansit; mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Demum dicimus hanc Christi incarnationem à multis prophetis fuisse visam. Vnde Hier. 31. ait, quia creauit Dominus nouum super terram, fæmina circundabit virum. Et in Iona legitur, Ionas in mare proijcitur, & mare sedatur. Et Ioel 3. Stillabunt montes dulcedinem. Et Iudicum. 6. Velius Gedeonis glorificatur. Et numeri 17. Virga Aaron floret. Et Isaias, Flos de radice eius ascendet. *Igitur enixa est puerpera, Quem Gabriel prædixerat: Quem matris aluo gestiens, Clausus Ioannes senserat.* ¶ Nota primo ad intelligentiam præmissorum carminum, quod sententia primi versus desumpta esse videtur ex Sedulij libro diuinorum mirabilium virginæum describentis partum, quo virgo mundi edidit saluatorem hoc panegyrico, laudatorioque carmine eam pientissime salutātis sic. Salue sancta parens, enixa puerpera Regem. Qui cęlum terramque regit per sæcula cuncta. Numen, & æterno

Virginis aluus fit templum Dei. Leuit. 26.

Virgo quomodo intacta genuit Deum. Exod. 3. Dan. 3. Dan. 6. & 14.

Prophetæ multi prauiderūt incarnationem Christi. Ionas. 1. Num. 17. Isai. 11.

& æterno complectens omnia gyro. Imperium sine fine manet, quæ ventre beato gaudia matris habens cum virginitatis honore. Nec prima similem visa es, nec habere sequentem; Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo. ¶ Nota secundo pro alijs tribus sequentibus versibus intelligendis; Lucæ caput primum, & discurre ibi, nempe, exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione in Ciuitatem Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth; & exultauit infans in vtero eius, scilicet, Ioannes Baptista, & hoc est, quod dicit Dei Ecclesia, scilicet: Quem matris aluo gestiens Clausus Ioannes senserat; hoc est, quem, scilicet, Deum in ventre Beatæ Virginis permanentem Ioannes existens clausus in aluo matris suæ Elisabeth, gestiens, ac gaudens, & exultans senserat. *Fœno iacere pertulit, Præsepe non abhorruit: Paruoque lacte pastus est: Per quem nec ales esurit.* ¶ Nota primo hoc loco, quod Christus pertulit, idest, tollerauit iacere, & poni in fœno, postquam ipse natus est. Similiter præsepe non abhorruit, hoc est, stabulum non repudiauit, nec refutauit, quod est contra eos, qui nudi egressi sunt, nec aliquid habent boni, quod à Deo non receperint, & nihilominus semper superbiunt cum lectos non habent molles, ac delicatos, sed recordentur isti insatiabiles, quod Deus resistit superbis, nec amat eos, qui non tollunt crucem suam, & nolunt eum sequi, & imitari eius actiones, cum omnis Christi actio sit nostra institutio. Voluit autem Christus in fœno poni, & præsepio, secundum Maximum Episcopum in sermone Natiuitatis Domini, vt ad pabula perennis vitæ spiritualium ouium greges agri cælestis balatus inuitet, non ad vitæ naturæ, & terrenæ oblectamenta, & ad mollia. Ecce enim, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, & conuentus hominum quærunt, & in domo regia inueniuntur, quoniam abhorrent à balatu agni cælestis, qui existit in stabulo, sed fulget in cælo. ¶ Nota secundo, quod paruo lacte Christus pastus est, idest, exiguo virginalium vberum liquore lacteo, est enutritus, non enim indigent copiosa alimonia infantes recenter nati, proinde dicitur hic paruo pastus est lacte. Nota tamen, quod lacte materno nutritus est Christus, quantum ad humanitatem, saluatorem enim sæculorum ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat vbere de cælo pleno, cantat Ecclesia sancta. ¶ Nota tertio hic & vnum aliud mirabile, quod sequitur, quod nec auis aliqua per hunc infantem, qui paruo pastus est lacte, in sua infantia; tamen vnquam patitur, nec esurit secundum diuinitatis virtutem, quia omnibus sapientissime prouidet; sua enim prouidétia volatilibus etiam cæli cibum congruum subministrat. Dat enim iumentis, inquit sanctus Dauid, escam ipsorum, &

Luc. 1. *Iob. 1.* *1. Cor. 5.* *Iob. 4.* *Matth. 16* *Cur Christus passus est poni in fæno, ac in præsepio.* *Christus pastus est paruo lacte.* *Psal. 149.* *Psal. 103.*

pullis

pullis coruorum inuocantibus eum. Et alibi. Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore oportuno. Et Dominus ait: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa; idest, nutu Dei aluntur, & munificentia Dei magna, qui volatilibus, quibus nulla colendi terram industria, nullus de segetum fæcunditate prouentus est, indeficientem sua prouidentia suggerit alimoniam. Vnde ibi ducit nos Dominus, inquit Henricus in Matthæum; ad considerandum maiora opera, quatenus de rebus minoribus maiora persuaderi possint. Nulli enim dubinm est, quod homo est maius, quam aliquod volatile. homo ad Dei imaginem, & similitudinem factus est. Volatile vero est, quædam creatura; sed tantum irrationalis, & cum moritur, corpore, & anima moritur: Homo vero quamuis moriatur corpore, anima tamen eius viuit Deo. q. d. Non solum Christus existens in præsepio est iumentorum pabulum, verum & alites etiam, & volucres nutrit. Vel per alitem, & volucrem credentium animas intellige: Volucres enim, & alites, secundum Beatum Hieronymum in homilia tertia Dominicæ Epiphaniæ Domini, animam credentium, & fortitudines Dei seruitio mancipatas in scripturam sacra indicat. *Gaudet chorus cælestium, Et Angeli canunt Deo, Palamque fit pastoribus Pastor creator omnium.* ¶ Pro præmissorum quatuor carminum intelligentia, est notandum, prout refert Sanctus Lucas Euangelista. 2. quod in hora Natiuitatis Christi Angelus Domini apparuit pastoribus, qui in montibus, iuxta Bethlehem custodiebãt vigilias noctis super gregẽ suum, qui dixit eis; euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid, & hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio, & subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ¶ Secundo ergo notandum, ac quærẽdum est, quare in Christi natiuitate Angeli cantarunt Deo canticum nouum, postquã natiuitas Christi non pertinebat ad eos, quia Christus non assumpsit naturam angelicam, sed humanam tantum. Tertio notandũ est, cur Christi natiuitas prius fuit annunciata, & euangelizata pastoribus, quã sacerdotibus, & cæteris conditionibus Iudæorum. ¶ Ad primum quæsitum est dicendum, quod quadruplici de causa, & ratione angeli cantarunt Deo in Christi Natiuitate. Primo quia per fidem incarnationis Christi fuerunt à principio redempti. Secnndo quia per aduentum Christi eorum ruina fuit reparata, Tertio, quia ex tali reparatione eorum gloria, & fælicitas

Matth. 6. *Matth. 6.* *Homo Volatile.* *Alites mystice quid significent.* *Luc. 2.* *Angeli quare cantauerunt Deo canticum.*

N fuit

fuit accidentaliter augumentata. Quarto quia gloria Dei fuit effe-
Ratio præmissorum. ctiue,& extensiue dilatata.Primum patet ex centesimo secundo psal
mo,quomodo in vera fide,& obedientia, Christi futuri Angeli boni
Psal. 102. fuerunt iustificati secundum similiter ex Paulo ad Romanos euadit
Rom. 8. clarum.Non quos Deus ab æterno elegi,& prædestinauit ad reparã
dam ruinã angelorũ,& ad replendas sedes,à quibus mali angeli ceciderunt.hos Christus in suo aduentu vocauit,& iustificauit, & magnificauit.Tertium quia eorum gloria,& beatitudo fuit augumenta
Gloria sanctorum duplex. ta,tam essentialis,quam accidentalis, nam primo videntes faciliter diuinam essentiã,& fruentes bono possesso, beatificantur & quiescũt in illo bono secure possesso,& hoc est gaudiũ essentiale. Quod autẽ Angeli gaudeant de fœlicitate sanctorũ, & ideo magis diligunt eos, & per consequens tanto amplius gaudent de eorum beatitudine, & sic non timent,nec inuident, sed amplius gaudent plures habere cõsortes, sed talis beatitudo non dicitur essentialis, sed accidentalis.
Quartum patet similiter,quia licet gloria Dei, idest, summum gau-
Gloria Dei duplex. dium,quod Deus ab æterno habet de se ipso non fuerit augumentata per aduentum Christi,quia non indiget bonis nostris.Gloria tamen Dei sumpta pro illa,quam dant creaturæ ei,augeri poterit, & dilatari.Imo Angeli obligantur quadruplici de causa,non tamen ho
Angeli Deum laudare obligantur. mines, hanc gloriam Dei dilatare, & Christum semper laudare, & benedicere. Primo tanquam eorum redemptorem, quia eos redemit. Secundo tanquam eorum caput, quia simul Christus est caput hominum, & Angelorum. Tertio tanquam reparatorem angelicæ ruinæ, quia homines,quos redemit, Angelorum ruinam repleuit, & reparauit.Quarto tanquam Dominum,& iudicem hominum, & Angelorum, quia Dominus Christus parauit sedem suam in cælo.

¶ Ad tertium præsuppositum, quod est, cur Christi Natiuitas fue-
Quare Christi Natiuitas fuit prius nunciata pastoribus. rit prius prænunciata pastoribus,quam sacerdotibus,aut alijs ex Iudæis,dicimus primo,quia Christus in lege tanquam pastor fuit per Moysem, & cæteros Patriarchas, & Prophetas, figuratis secundo, quia tanquam pastor fuit promissus. Tertio, quia tanquam verus pastor venit in mundum, & officium veri pastoris exercuit, & bonum pastorem se nominauit. Quarto, quia Christus non superbis, & dormientibus, sed hominibus simplicibus, & vigilantibus erat commissurus gregem suum, & officium pastoratus. Primum patet, quia tanquam pastorem misit Moysem,per quem fuit Christus figuratus pastor, quem misit Dominus tanquam pastorem ad liberandum,& educendum illum populum de Aegypto,& dirigẽdum,& cu-
Exod. 3. stodiendum ipsum per desertum.Exod. 11. Secunda ratio,quia tan quam verus pastor fuit prophetis promissus,& vaticinatus. Et tanquam

quam verus pastor ad liberandum,& sanandum,& pascendum gregem suum promisit venire, vt ipsa ait. Ecce ego requiram oues meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum &c. Tertia ratio,quare Natiuitas Christi fuit prius euangelizata pastoribus, fuit, quia Christus tanquam verus pastor venit in mundum, & officium veri pastoris exercuit. Ad verum autem pastorem, & ad officium veri pastoris, septem pertinent. Primo oues è faucibus lupi eripere, secundo oues per lupum vulneratas, vnguento sanare. Tertio oues ereptas, & sanatas pascere. Quarto eas regere, & minare, & dirigere. Quinto super gregem ouium semper inuigilare. Sexto pro defensione gregis, si necesse fuerit, se ad mortem exponere. Septimo in locum vberrimum, & securum, & tutum oues suas introducere; quas quidem septem conditiones, omnes habuit Christus tanquam verus,& bonus pastor. Nam primo eripuit oues suas de fauce lupi,& dragonis, quia vltra quatuor millia annorum eas sub iugo,& captiuitate peccati possederat. Secundo sanauit,& vnxit eas vnguento sacramentorum. Tertio pane sacramentali eas pauit. Quarto lege euangelica eas direxit. Quinto super gregem suum diligenter inuigilauit, & diligentes custodes dimisit, & constituit.Sexto pro defensione,& redemptione earum se morti,& persecutionibus obtulit,& obiecit.Septimo,& vltimo oues suas in vberrimo,& securo ouili cælesti, vbi sempiterno æuo fruentur, collocauit, & ideo propter istas rationes septem,Christus se bonum pastorem nuncupauit. Quarta vero ratio,cur pastor omnium, palam fit primo pastoribus, quam alijs, est, quia Christus, tanquam verus pastor principalis, cuius oues erant propriæ, non superbis, & inflatis, & auaris, & crudelibus, sed homilibus humilibus, simplicibus, & diligenter vigilantibus super gregem suum,erat commissurus officium pastoratus Ecclesiæ,prout postea fecit. Amen.

Ezechie. 34.

Septē pertinent ad officiū veri pastoris.

Nota.

In Festo Sanctorum Innocentium ad Matutinum Hymnus Sextus.

Audit tyrannus anxius
Adesse Regum Principē,
Qui nomen Israel regat,
Teneatque Dauid Regiam.
Exclamat amens nuntio,
Successor instat, pellimur:
Satelles, i, ferrum rape
Perfunde cunas sanguine.
Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuuat?
Vnus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

N 2 *Gloria*

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine
Cum patre, & sancto spiritu
In sempiterna sæcula, Amen.

Herodis Ascalonitæ pessimi affectus q. Hymni huius author quis est.

IN hoc iam recitato, & audito Hymno Sancta Dei Ecclesia Herodis Ascalonitæ pessimos affectus, videlicet, tyrannidis, ambitionis, odij, crudelitatis, infamiæ, imprudentiæ, extremæque cæcitatis, per Prudentium huius hymni hymnetem, ac factorem, primo describit. Secundo eidem Herodi impingitur in eius faciem nefas, illique exprobratur, quod tam magnum crimen, & Deum ad mortem quærat, tantos pueros in funera ponat, nihil ei prosit.

Hymni diuisio, & summa.

Secunda pars est ibi. Quid proficit tantum nefas &c. ¶ Ad veram ergo totius hymni intelligentiam, primo notandum est, cur principio eius fuerit positum verbum istud: Audit. Secundo videndum est, vnde dicatur tyrannus. Tertio, quot modis tyrannus cognoscatur. Quarto discutiendum est, quod nam discrimen sit inter tyrannum, & verum Regem. Quinto examinandum est, cur Herodes tyrannus anxius nuncupetur. Sexto referendi sunt singuli eiusdem Herodis prauissimi, ac pessimi affectus. Septimo videndum est, quomodo Israel interpretatur. Octauo, & vltimo videndum est, quid Regia hic denotat. ¶ Ad primum quæsitum respondemus, & dicimus, quod principio huius hymni positum fuit verbum, audit, quoniam cum tyranni cognoscant se mala agere, semper credunt, quod homines de illis male loquantur, & contra ipsos machinentur, Conscius enim ipse sibi de se putat omnia dici. & ideo audit libenter. Sed hic tyrannus Herodes audiens, natum esse Iudæorum Regem, turbatus est valde. Audit ergo, scilicet, ab Aetiopibus Regibus, qui venerant Hyerosolimam ab Oriente, vt adorarent Regem Iudæorum: dicit enim scriptura. Sciscitabatur, scilicet, Herodes ab eis prædictis, videlicet, Regibus Aetiopibus; vbi Christus nasceretur. Ad secundum dicimus, quod tyrannus dicitur à tyros græce, latine fortis, siue angustia, vnde fortes Reges, tyranni vocabantur, postea accidit tyrannos vocari pessimos, & improbos Reges, & luxuriosæ dominalionis crudelitatem, & crudelissimam dominationem in populis exercentes à tyros, quod est angustia; quia angustiabant, & cruciabant seruos suos, & tyrannus dicitur à tyros, quod interpretatur angustia, vel tribulatio, siue saluatio, aut fortitudo. Et tyranni multis cognoscuntur modis. Nam illi potentes, & excellentes homines ciuitatis perimere conantur, ne contra ipsos possint insurgere. Nam videmus, quod fratres, & consanguineos occiderunt, vt suum Deum occidere

Verbum, audit, cur in principio fuerit sic positũ.

Matth. 2.

Tyrannus vnde dicatur.

Tyranni multis cognoscũtur modis.

volabat

volebat Impius Herodes. Secundo ſapientes diſcriminant, ne (cognoſcentes eorum mala) arguant, & populum contra ipſos prouocent. Tertio, quod ne dum diſciplinam, & ſtudium perimunt, ſed etiam ipſi operantur, ne fiant ſapientes, ſemper enim timent per ſapientiam reprehendi. Quarto, quod ſpiritualitates, & congregationes, etiam licitas non permittant, timentes, ne contra ipſos inſurgant. Quinto habent per ciuitates multos exploratores, qui cognoſcunt ſe male agere, vnde de ſe dici male credunt. Sexto tyranni conſeruant Ciuitates in diuiſione, vt quælibet pars de alia timeat, & ſic contra eos omnes non inſurgant, qui actus eſt tyrannicus, quoniam (vt apud humanas ſanctiones legitur) ad iuſtum iudicem, principaliter ſpectat, quietem Ciuium procurare. Septimo curant, ſubditos facere pauperes, vt ſic occupentur circa curas eorum, vnde viuant, & contra eos non contingat aliquid machinari. Octauo procurant bella, & mittere bellatores ad partes extraneas, vt interim non cogitent contra eos, & quia propter bella depauperantur homines, & à ſtudijs auocantur, quod tyrannus quærit. Nono quod cuſtodiam ſui non faciunt per ſuos, ſed per forenſes, timent enim de ciuibus. Decimo cum in ciuitate ſunt partes, ſemper vni adhærent, vt cum alia fugent. Ad quartum præſuppoſitum dicimus, quod hoc, inquit Baſilius Magnus in principio prouerbiorum, tyrannus à Rege differt, quod ille ſua ipſius quomodocunque, & vndecunque reſpicit, ac tuetur. Hic ſubditis conſulere tantum quærit. Ad quintam verò propoſitionem ſimiliter reſpondemus, quod merito ſancta Dei Eccleſia vocat Herodem anxium. Anxietas enim, eſt animi afflictio, quæ inſeparabilis eſt comes tyrannidis. Nec vnquam vlla in mundo fuit, nec erit maior tyrannis Herodis tirannide. Nam reliqui crudeles, & ſæui dominatores in pueros homines, crudelitatem, ſæuitiamque ſuam: hic autem impius diſpoſuit illam exercere in Deum hominem factum. Et quia in ipſo magnam ſedem ambitio tenebat; merito anxietas illum affligebat. Vt enim regnaret, & timens, ne perturbaretur odio etiam proprios filios proſequutus, iratus eſt enim valde, tum propter ſui contentum, tum etiam propter timorem amittendi Regnnm, ideo mortem puerorum Bethleemitarum tractauit: vt cum illis occideretur ille, qui incognitus ſibi fuit. Putabat enim quod ſi omnes pueri interficerentur, vnus, quem quærebat, euadere non poſſet. Non exiſtimans infælix, quia non eſt conſilium, non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra Dominum. Dum ergo de nece puerorum diſponeret, per epiſtolam hortatus eſt à Cæſare Auguſto, vt Romam veniret, qui cum iter faceret per Ciliciam, audiens, naues Tharſienſium Magos tranſuexiſſe, iratus eſt valde

L. congruit ff. de offic. præſid.

Tyrannus à quo differat à vero Rege.

Herodes anxius nũ cupatur.

Affectus peſſimi Herodis qui ſint.

Herodis ambitio.

Herodis odium in pueros.

Prouer. 21

 ſpiritu

Nota. spiritu vehementi, idest in ira, comburi, & conteri fecit naues de Tharso Ciliciæ; quibus Magi credebantur occulte redijsse; secundum, quod prophetauit Dauid, dicens: In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Et Romã proficiscens Hyrosolymam misit spiculatorem, & iussit occidi crudeliter omnes pueros, qui erat in Bethleem Iudæ, & in omnibus finibus eius, & locis adiacẽtibus, à bimatu, idest, biennes, & minoris ætatis vsque ad puerum vnius diei, seu vnius noctis, secundum tempus, quod à Magis de ortu stellæ quęsierat. Deinde ad tantam insaniam deuenit, quod mortem sibi inferre tentauit. Sed in sua anxietate pro aduentu Regum Principis Christi, quam ipse fuerit imprudens, extremaque percussus cæcitate, ex hoc subsequenti imprudenti, cæcoque facto, patet. Nam non obstante, quod ex ministris Dei, & ex diuina scriptura sciscitatur, quæ sit Dei voluntas de Christo, nempe, quo in loco velit nasci, nihilominus, licet edoctus ex Deo sit, audet, & credit, se contra ipsius Dei voluntatem Christum Domini occidere posse. O cæca, imprudensque ambitio, quam cæca semper. O quam præsumptio pessima. O crudelis tyrannis odio, crudelitate, insaniaque referta. Vnde tanquam amens paulo inferius introducitur sic loqui: *Successor instat, pellimur.* O anxietas tyrannica, quæ vt suum perimat infantem, non veretur perfundere multas sanguine cunas. sed quid illi prodest? Nam inter tot funera suum Christum Dei, contra quem nititur anxius, perfidusque Herodes, cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas est semper amica, qui cædibus viuit, qui se munit sanguine, qui crudeliter sæuit, cui de timore stat totum, de amore nihil constat, impune, ac sine vllo damno, detrimentoue, de illius manibus integrum, ac liberum tollit, vt quod prædixerat Dauid aliquando, verificaretur, qui dixit: Nunc cognoui, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. Hæc de malis Herodis affectibus, breuiter veniunt consideranda, vt quisquis monitus sit, quam acerba sit hic etiam in præsenti vita iniquorum sors, & sic cæco mundo illustres, splẽdereque videantur. Et nota, quod huic pessimæ Herodis nequitię non absimilis fuit illa Pharaonis. Varias enim adinuenit nequitias Pharao, vt posset extinguere, vel ad numerum paruum redigere filios Israel. Nam eos præcepit duris affligi laboribus, masculosque occidi, & in fluuium proijci. Aman quoque superbissimus, quia ei Mardochæus genua non flectebat, magis elegit procurare omnes Iudæos occidi, quam parcere vni soli. Mira quoque crudelitas fuit cum Nabuchdonosor Rex Babilonis fecit socios Danielis in fornacem ignis ardentis mitti. Sciebat præterea & Herodes Tetrarcha, Ioannem Baptistam esse virum sanctum,

Herodis crudelitas

Herodis insania.

Herodis imprudentia.

Psal. 10.

Ex affectibus, & factis Herodis liquet quam acerba sit in hac vita, sors iniquorum, licet cæco mundo splendidi videantur.

Ex 1. vsque ad 10 Esther. 3.

Daniel. 3.

& tamen

& tamen petitionem huius meretricis fecit eum in carcere decollari. Sed certe prædicti omnes receperunt mercedem suam. ¶ Ad septimum accedentes quæsitum dicimus pro eius enodatione, quod Israel appellatur vir videns Deum, iuxta illum versum, nempe. Is uir, raque videns dicitur, elque Deus, estque nomen indeclinabile, sicut Adam, Abraam, Dauid, & huiusmodi. Item hic quoque aduertendum est, quod Iacob habuit duodecim filios, ex quibus processerunt duodecim tribus Iudæorum; quæ dicuntur tribus Israel. Regat igitur nomen Israel, idest, Iacob, cui nomen erat Israel, imo, & Israel appellatur in sacra genesi, & hodie. Regatq; etiam, & filios Israel, & tribus omnes Israel. Illi autem hodie sunt filij Israel, secundum spiritum (nam secundum carnem sunt Israelitæ) solum, qui sunt benedicti per Christum, & in Christo per baptismũ,& qui sunt directi à Christo per legem euangelicam; quia isti sunt vere filij Israel, videntes Deum per fidem, & quia receperunt Christum, & tenent eum fortiter, & isti sunt benedicti, & confortati per Ecclesiastica sacrameata, & per consequens populus Iudaicus falso dicitur Israel, cum nullam supradictarum conditionem habeat, imo totum oppositum fecit, quia non solum non recepit Christum, sed & ipsum crucifixit, & sic non videt Deum, imo manet cæcus, & maledictus. Ad vltimum quoque dicimus, quod Regia significat aulam, siue palatium Regis. Teneat ergo Dauid Regiam, scilicet, iste nunc natus Princeps Regum regat palatium, aulam, domiciliumque Dauidis. Regiam hic potius intellige familiam ipsius Dauidis, & populum Israel, à Deo benedictum,ac ipsam Dei Ecclesiam,quæ est populus Christianus. Erat enim Dauid Rex Israel, cui à Deo data fuit domus Israel, & Iuda, siquidem dicitur in secundo libro Regum: Ego vnxi te in Regem super Israel, dedique tibi domum Israel, & Iuda, & si parua sunt ista, adijciam tibi multo plura, & maiora. quod etiam innuitur 29. 7. c. Nos sic. §. item cum Dauid. ¶ Et quia iste Herodes tyrannus audit natum esse Christum, illumque esse Principem regum, ideo *Exclamat amens nuntio, Successor instat, pellimur, Satelles, i ferrum rape, Perfunde cunas sanguine.* ¶ Ad istorum præsencium versuum veriorem elucidationem, primo notandum est, quanta sit Herodis amentia, & insania. Secundo quid per Nuntium hic intelligamus. Tertio quid per Satellitem. ¶ Ad primam quæstionem dicimus, quod refert sanctus Seucrianus in sermone pro Innocentibus, quod cum Herodes cognosceret, se illusum ab eruditione, & nunciatione Magorum, stridebat ipse cadens in laqueum, quem tetendit,& ipse cæcus Christum gladijs quærebat,

Israel interpretatur videns Deum. Israel interpretatur videns Deum. Genes. 32. Filij Israel qui sunt.

Populus Iudaicus falso dicitur Israel cum adhuc maneat cæcus Regia quid

2. Reg. cap. 12.

Herodis amentia quãta fuerit.

inuestigat cruore, crudelitate tenebatur, successorem timens, & sic de fide perfidiæ sumit arma, & terrena quærit arma, & terreno quærit feruore, quem natum cęlitus non credit. ex quibus omnibus supradictis verbis insania Herodis, & dementia aperte detegitur. Nam non solum non considerabat, quid ipse ageret, aut satellitibus quid loqueretur, ac diceret: verum etiam odio ille mente sua destitutus insaniebat. Ad secundam propositionem respondemus, quod per nuntium hic debemus intelligere relationem, quam debebant facere Magi Herodi. Dixit enim Herodes illis: Ite, & interrogate de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Nuntio ergo, idest, denuntiatione, quam à Magis Herodes expectabat, seu nuntio, idest, illusione Magorum, qui non reuersi sunt amplius ad eum, sed per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, amens factus est Herodes, tum propter istam illusionem sibi à Magis factam, tum quia videbat successorem suum aduentare, qui illum expellere venerat. Vnde sic exclamans dicebat: Successor instat, nempe, Rex Iudæorum, & Dominus Dominantium Christus Maria Virgine natus, & ideo expellor à Regno. Ne ergo pellamur, ò satelles, ò miles, & ò carnifex, & minister crudelitatis, accipe ferrum, ac gladium, & perfunde sanguine cunas, idest & cunas omnes sanguine puerorum, quos occidi iubeo, abluas, & rubras eas redde, & diligenti inquisitione, da operam, vt omnes infantes, etiam vnius Diei, seu noctis, vsque ad biennes, interficiantur, neminique vlli parcito illorum. ¶ Vertit se modo Sancta Rachel ad impium Herodem, acriter illum obiurgans. & increpans, maximo enim filiorum suorum afficitur dolore, & sic illum affatur. *Quid proficit tantum nefas? Quid crimen Herodem iuuat? Vnus inter tot funera, Impune Christus tollitur.* ¶ Hic forte videbimur alicui à proposito subiectæ materiæ nos recessisse, cum diximus, Rachel se ad impium Herodem vertisse, acriterque illum obiurgasse, sed non est sic, quoniam cum sancta Ecclesia sit, quæ cantat hymnum hunc, & Rachel Ecclesia interpretatur, seu fidelis anima. ideo non male diximus. Nam Rachel, quæ ouis, aut videns dicitur, cuius tota intentio, vt videat Deum inuigilat, est Ecclesia sancta, idest, illa ouis centesima, quam pastor bonus relictis alijs in cælis nonaginta nouem ouibus Angelicarum virtutum, abijt quærere in terram, inuentamque sui humeris imposuit, & sic portauit illam ad Regem, & ista ouis habet suos agnos, qui hodie occiduntur ab Impio Herodę, sed quid prodest

Nuntius hic quid signet.

Matth. 2.

Successor quid sit Herodis.

Rachel quid designet.

prodest crimen hoc, seu facinus Herodem; cum ex tot occisis pueris, impune, ac sine vlla læsione euadat Christus carnificis, ac impij Herodis manus? Præscius enim erat Christus futurorum, conscius secretorum, cogitationum iudex, ac mentium perscrutator malarū. Cæterum, quod Christus hic videtur impune tolli, dictis, quæ in libro primo de partu Virginis cantat Sanazarius, conuenire videtur, cum ait: Sed quid ego, heu, dira conspersos cæde pænates Infantum, & subito currentes sanguine riuos Adspicio? tristisq; meas vagitus ad aures Fertur? si scelus est partus iugulare recētes, Crudelis quid agis: nihil hi metuere, neque illum, Quem petis, insano dabitur tibi perdere ferro. Quod vero Christus ne occideretur ab Herode, impune euasit, significat, secundum Bedam in homilia festi sanctorum Innocentium; electos sæpius improbitate malorum suis effugandos sedibus, vel etiam exilio iniuste damnandos. Vbi simul exemplum datur nobis, ne dubitemus rabiem persequentium, vbi opportunum fuerit, declinare fugiendo, cum hoc Deum, ac Dominum nostrum fecisse meminerimus. Quod vero occisæ sunt turbæ paruulorum, mortem humilium spiritu, quos, à se fugato Christo, Herodes perimere, conatus est, designat. Natus ergo Rex Cælestis, non neglexit milites innocentiæ suæ, atque coetaneum sibi exercitum, sed illum quærit, atque illis ante dedit triumphare, quam viuere, quos fecit sine certatione capere victoriam, quos donauit coronis antequam membris, quosque voluit virtutibus vitia præterire, ante cælum possidere, quam terram. Præmisit ergo Chtistus suos milites, non amisit, recepit suas acies, non reliquit. Restat ergo Christus in terris incolumis, qui è multitudine infantium occisorum, atque ex multis funeribus, ac cadaueribus, vnus, scilicet, Deus liber eripitur, in Aegyptum angelico monitu ab Ioseph transfertur, & hodie, vt vere vnus Deus, ab omnibus glorificatur, magnificatur, honoratur, atque adoratur cum patre, initij experte, & cum sancto bono viuifico spiritu, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Christus futurorum præscius.

Sanazarius.

Euasio Christi à manibus Herodis quid designet.

Mors sanctorū Innocentium quid significat.

Matth. 2.

In Festo Sanctorum Innocentium ad Laudes.

Saluete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma, & coronis luditis.

Gloria

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine
Cum patre, & sancto spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Affectus pulcherrimi Ecclesiæ erga sanctos Innocentes.

ECclesia sancta in superiori hymno impij Herodis pessimos aduersus sanctos innocentes descripsit affectus. Restat modo, vt pulcherrimos in pueris compassionis, videlicet, pietatis, dulcedinis, & gaudij affectus præconizet. Quid igitur de sanctis Innocentibus paruulis, quibus Herodes impius magis profuit odio, quam profuisset obsequio, cantat sancta Mater Ecclesia, audiamus, quæ inquit. *Saluete flores martyrum, Quos lucis ipso in limine Christi insecutus sustulit. Ceu turbo nascentes rosas.* & reliqua. ¶ In quibus omnibus illa per Prudentium huius præfati cantici, & Hymni Authorem, sanctorum Innocentium præconia, ac laudes depromit, & profert, nempe, quod beatorum Christi martyrum, isti paruuli sunt primitiæ, ac velut prima efflorentia à truculento Herode in principio vitæ suæ pro Christo cæsi. quare primo eos salutando veneratur, tanquam nobilissima totius Martyrum chori ornamenta, flores eos Martyrum vocãs, cum ait: Saluete flores &c. Nam quis ignorat flores ad ornamentum esse, & simul vberes promere fructus, velut isti sancti Innocentes? prætenderunt namque isti flores abundantissimos fructus, ac prouentus, quibus horrea adimplenda erant, cum illud frumenti granum è Cælo in terram cadens, mortuum fuisset, ne viuum remanens, solum sine fructu maneret. Verum nec hoc secundo loco sine pia compassione sancta Ecclesia rememorare, cantareque potest. Nam & verbis, & opere luctum demonstrat. Videmus enim, quod ipsa se exuit vestibus suæ iucunditatis in festo istorum sanctorum Innocentium, & obscuris se induit, admodumque flentium lugubres emittit voces, deplorans, quod hos filios in ipso vitę suę principio persecutor Christi, admodum sęuæ tempestatis, & turbininis, omnino, penitusque veluti pulcherrimas rosas nascentes sustulit: cum inquit. Quos lucis ipso in limine, &c. At quid acerbius, & compassione, & pietate magis dignum est, quam in florum (propter turbationem) prostratione videre se priuari ab omni spe percipiendorum fructuum. Tertio loco nõ tamen ipsa desperat propter tantam sæuitiam; imo oculos ad cælum attollens, illosque fideli intuitu conspiciens, ipsa repletur dulcedine, & exultat præ magno gaudio, & dulci affatu, illos sic alloquitur: Vos prima Christi victima, &c. Sunt enim vituli nouelli, cornua producentes, & vngulas; quibus sacrificijs Deus summopere delectatur. Quarto illos in spiritualibus delitijs habens, simplicisque ante ipsius aram illos intuens gaudet in eis, dum veluti ad choream ludunt, & ad inuicem congaudentes sese co-

Hymni huius quis sit Author.

Hymni diuisio, & summa.

Ioan. 1.

Compassio, & pietas Ecclesiæ in pueros.

Dulcedo Ecclesiæ in nascentes rosas, & gaudium.

Psal. 68.

se coronis ornant, triumphalique palma parua in ætate fortes se ostenderunt, cum subdit Ecclesia: Aram ante ipsam simplices, &c.

¶ Ad intelligentiam primorum quatuor istorum carminum viden dum est, quot genera sint primo salutationum, & qualis hæc, quæ po nitur in principio hymni huius. Secundo notandum est, cur isti san cti Innocentes flores Martyrum nuncupantur. Tertio consideran dum est, quid limen hic importet. Ad primam propositionem dicimus, quod cauendum est, ne hoc loco dicamus, salutationem hanc; quæ hic primo ponitur in primo versu, scilicet, Saluete flores Martyrum, esse optatiuam salutis, vel gratiæ, vel gaudij, vel benedictionis, inueniuntur enim secundum Authorem compendij theologicæ veritatis, salutationes optatiuæ salutis, salutationes gratiæ, salutationes gaudij, salutationes benedictionis: quia ad hoc nō salutamus eos, vt cupiamus eos saluos fieri. Nam iam salui, & coronis coronati ante Christi altare ludunt, Deoque fruuntur, sed potius salutamus eos exprimentes gaudium, & lætitiam, quam sentimus, & nos in corde nostro ob id, quod eos iam saluos esse cernimus, quia iam adepti sunt Regiam illam, in qua æternaliter viuitur, ac vbi palma, & coronis in sempiternum luditur. Ad secundum dicimus, quod ideo isti paruuli innocentes dicuntur flores Martyrum, secundum Augustinum, quia eos in medio frigore infidelitatis exortos, veluti primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit. Ad tertium dicimus, quod limen, licet sit primus domus ingressus, & quod ianuæ subijcitur; tamen hoc loco, vitæ introitum significat, vt sit sensus: Quod Christi insecutor, & persecutor Herodes, imo, & quilibet malus, istos flores, ac primitias Martyrum in ipso vitæ suæ principio, ac introitu interfecit, non secus, ac tempestas, aut turbo, vel violentus ventus & discutere, & deijcere solet rosas primum nascentes. Vel per limen intellige hic Christi in hunc mundum ingressum. Per lucem vero ipsum Christum natum, qui est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Per limen item intelligere possumus principium temporis legis gratiæ. Per lucem ipsum legis gratiæ tempus, & progressum illius, iuxta illud Pauli. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Per limen principium vitæ ipsorum puerorum intellige, cuius vitæ ingressus, & natiuitas illuminationis nostræ vitę, & redemptionis etiā, seu liberationis est initium. ¶ Postquam hucusque sancta Dei Ecclesia sanctos infantulos Martyres salutauit, incipit statim ipsos magnificare, & laudare, cum iam apud Deum eos infinita lætitia ludere sentiat, & sic pergit: *Vos prima Christi victima, Grex immolatorum tener, Aram ante ipsam simplices Palma, & coronis luditis.* ¶ Ad horum

Salutationum multa sunt genera, & qualis hæc.

2. Reg. 16. Rom. 1. Tobias. 5. Ruth. 2.

Sancti Innocentes cur flores Martyrum appellantur.

Limen qd signet.

Limen mystice quid signet.

Lux hic quid signet

Rom. 13.

rum similiter verborum elucidationem videndum est hic, cur Ecclesia sanctos hos infantes, victimam appellet. Secundo videndum est, quid hic palma sit, & cur detur victoribus. Tertio videndum est, quid per verbum, luditis, hic designetur. Pro resolutione primi quæsiti dicimus, quod victimam sancta Dei Ecclesia appellat sanctos hos innocentes ad similitudinem eorum animalium, quæ vincta, ac ligata, ad aram ducebantur, vt Deo immolarentur; & isti infantes sunt prima Christi victima Martyrum. Sunt enim, vt diximus, vituli nouelli, cornua producentes, & vngulas. Qui sunt vere, & de grege illorum agnorum, qui immolati fuerunt absque macula, & masculi, & anniculi, iuxta Domini præceptum. Palma vero est arbor, omnes alias arbores superans in rectitudine, altitudine, & eminentia, & quia videtur cœlum attingere, ideo datur victoribus in signum triumphi. Similiter corona datur agonizantibus, & certantibus in ludis Megaresibus, & Olimpicis, in signum victoriæ, & triumphi, vnde Apostolus ait: Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Apposite etiam, & accommodate, dicit Ecclesia luditis, quandoquidem designatur infantilis eorum ætas, quæ leuibus ludis occupatur. luditis ergo, idest, vos cantatis cum palma, & coronis, & stolis albis adornati ante aram, idest, altare, & thronum Dei, & sedem maiestatis suæ, & dicitis. *Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine, Cum patre, & sancto spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.* ¶ In gloriam autem Domini primam vocem ipsi Innocentes aperiunt, quoniam secundum Chrisostomum in sermone in natali eorundem Innocentium, facti sunt diserti laude, qui fuerunt imperiti sermone, offerunt Deo primitias linguæ, nouos oris immolant fructus, verborum principia libant. Erigitur nanque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non nouerat crimen. Dignus à dignis laudatur, & Innocentes innocenti testimonio prædicantur. Miscent nunc cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Amen.

Victima quid. *Psal. 68.* *Exod. 12.* *Corona quibus datur, & palma.* *2. Tim. 2.* *Verbum, luditis, qd signat.* *Ara quid.* *Chrisost.*

In Epiphania Domini ad vesperas Hymnus Octauus.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cælestia.
Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes præuiam:

Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lauacra puri gurgitis
Cælestis agnus attigit,
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Nouum

Nouum genus potentiæ
Aquæ rubeſcunt hydriæ
Vinumque iuſſa fundere
Mutauit vnda originem.

Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie
Cum patre, & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

SAncta Mater Eccleſia ſaluatoris ſui, iam nati, laudes, & miracula prędicare nunquam ceſſans, magnam quidem contras impium Herodem, qui audita Christi natiuitate, timuit amittere Regnum, ideo multos biennium (vt ſanctæ Eccleſiæ volunt ſancti doctores) interfecit pueros, conclamationem magnam facit, ſic inquens, ac illum ſic obiurgans, ac acriter, & iuſte increpans: *Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire quid times? Non eripit mortalia, Qui Regna dat cæleſtia.* & reliqua. ¶ In quibus dicitur per Sedulium huius hymni Authorē, vt Herodes non turbetur, aut formidet propter Christi Natiuitatem, qui non natus eſt, vt tollat ei Regnum, cum non indigeat bonis noſtris, eumque ille ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium: ſed bene natus eſt, vt totum mundum, in crimine implicatum, ac in peccatis inuolutum, liberaret. Secundo in hoc ipſo met hymno declarat, ac narrat hodiernę diei ſacramenta, ſtellæ, nempe, apparitionem; Christi baptizationem, & aquæ in vinum conuerſionem. Primum eſt ibi. Ibant Magi, quam viderant ſtellam. Secundum eſt ibi. Lauacra puri gurgitis. Tertium, eſt ibi. Nouum genus potentiæ, Aquæ rubeſcunt hydriæ. ¶ Igitur ad horum primorum quatuor verſuum abundantiorem intellectum, nota, quod licet ſancta Eccleſia in iſtomet hymno intendat tantum quid ſit Christus oſtendere, nam eſt dies manifeſtationis, quando idem ſonat hæc vox, Epiphania, & perfectiſsime facit, ſecundus, tertius, & quartus verſus, non tamen poteſt in primis carminibus non acriter exprobrare in faciem Herodis ignorantiam eius, & crudelitatem, quoniam, quem ipſo zelo Regni mortalis, & mundani, occidere tentat, demonſtrat Regem eſſe cæleſtem, qui reuera, & cum effectu pro tali, & non aliter vult reputari, atque ob hoc vult à Regibus mundi in ſtabulo adorari, vt Deus, & Rex, ſed tamen mortalis, ſi quidem, vt Deus vult cælum ſibi famulari, vt mortalis vult baptizari: vt homo mortalis ſua præſentia conuiuium nuptiale honorat, Qui tamen, vt Deus, naturæ pater, & creator, vnam in alteram mutat ſubſtantiam, & id, quod ſuo regimine in rebus humanis fecit in aliquo tempore, in conuiuio fecit ex tempore, vt idem ſe oſtenderet. Amplius notandum eſt ſecundo loco, quis fuit iſte Herodes, qui ſibi à Christo Regnum eripi dubitabat, & dicimus, quod Herodes Aſcalita fuit, ſub quo Dominus

Huius hymni Author quis ſit.

Hymni diuiſio, & ſūma.

Epiphania quid eſt.

Matth. 6.
Marc. 2.
Luc. 5.
Ioan. 2.

Herodes Aſcalita Chriſtum quærebat ad perdendum.

minus Noster Iesu Christus natus est, qui etiam pueros (vt iam dictum est) seu Innocentes interfecit, ac è medio sustulit, qui etiam tractare cæpit, vt cum ijs infantibus ille, quem non credebat, Christus nuper natus, occideretur, & vltra hunc impium, ac sceleratum Herodem Ascalonitam, duo alij Herodes fuerunt, quorum alter Herodes Antypas, qui fecit Ioannem Baptistam (instante Herodiade vxore fratris sui Philippi) decollari. Et de hoc ratiocinatur Marcus. 6. & Luc. 3. Alter vero fuit Herodes Agrippa, qui fuit Aristoboli filius, & frater Herodis, & iste Beatum Petrum coniecit in vincula, volens post Pascha eum producere populo. Et de isto Herode dicitur in actibus Apostolorum. Gratianusque meminit eorum. 23. q. 3. c. 1. &. c. est etiam. Multa de istis tribus Herodibus sermocinatur & Iosephus de bello Iudaico lib. 2. c. 8. & Durandus lib. 7. de decollatione Sancti Ioannis Baptistæ, recitans hos versus, videlicet. Ascalonita necat pueros Antipa Ioannem, Agryppa Iacobum, claudens in carcere Petrum. Itaque iam nunc dicimus: O Herodes non est tibi iusta ob Christi Natiuitatem, & aduentum, timendi causa, nam non venit ipse, vt auferat tibi Regnum temporale, quemadmodum tu suspicaris, ac formidas. Nam ipse est, qui Regna elargitur celestia omnibus. Ne igitur timeas miser, non venit, vt Regnum tuum auferat, sed vt omnibus de Regno expulsis, Regnum restituat. Quid ergo turbaris hostis Herodes impie? Rex iste non venit Reges pugnando superare, nec natus est, vt tibi succedat, sed vt in eum mundus fideliter credat, Cælum enim cæli Domino, terram autem, idest, Regna mundi, dedit filijs hominum. Si ergo esurierit iste cæli Dominus, non dicet nobis, nec tibi, ò impie Herodes, eius est orbis terræ, & plenitudo eius, quia non solum terrena Regna moderatur, verum etiam, & ad dexteram Dei patris sui sedet, vbi & cælestia quoque curat, & regit. *Ibant Magi, quam viderant, Stellam sequentes præuiam, Lumen requirunt lumine, Deum fatentur munere.*

Herodes plures fuerunt. *Marc. 6.* *Luc. 3.* *Act. 12.* *Gratianus.* *Iosephus.* *Nota* *Psal. 13.* *Psal. 40.*

¶ Pro veriore versuum præmissorum intelligentia videndum est, vnde hic Magi dicuntur, & quot modis Magi sumantur, & Magorum hic nominatorum nomina quæ sint. Secundo notandum est, quid per lucem hic in tertio versu positam, designetur, & quomodo Christus sit lumen. Tertio videndum, quænam sint munera, quibus Deum Magi confiteantur, aut pronuncient esse venturum, & quid illa munera significent. Magi ergo non dicuntur hic, qui malefici sunt, aut magicis vanitatibus, sortilegisque dediti, sed hic dicuntur Magi, quia sapientia pollent, & bonarum scientiarum studio sunt addicti. Vnde isti tantum diuinis scientijs studuerunt, vt digni essent videre e

stellam

ſtellam illam, de qua Balaam ait, nempe, Orietur ſtella ex Iacob.& consurget virga de Iſrael, & percutiet diuites Moab, vaſtabitque omnes filios Seth: & erit in Idumæa poſſeſſio eius. Porro alias Magi dicuntur Malefici, vt in. c. nec mirum. 26. q. 6. &. c. de maleficis. l. nemo. Amplius Magos vocant Perſæ, Philoſophos Græci, ſapientes Latini, Drudas Galli, Prophetas, ſiue ſacerdotes Aegyptij: Not. & in cap. legimus, diſ. 31. quod corpora iſtorum Magorum olim fuerunt Mediolani in Eccleſia ſancti Ambroſij, & poſtea ab Imperatore Federico Barbarubęa cognominato, tranſlata fuere in Alemanniam, & fertur, quod quandiu fuerunt Mediolani, nunquam fuerunt ibi tempeſtates. Ibant ergo Magi, ſcilicet, Gaſpar, Melchior, & Balthaſar, qui fuerunt illi Reges, qui ab Oriente (Matth. 2.) adorare venerunt Chriſtum, eique munera obtulerunt. Nam Gaſpar profert Mirrham, thus Melchior, Balthaſar aurum. Ibant, inquam, Magi, noti ductu illius ſtellæ, quam viderant præuiam, ſequentes illam vſq; dum peruenirent in Bethlehē factū eſt enim, vt viſa illa ſtella, quidquid per eam ſignificabatur, mox intelligerent, non tamen aſtrologiæ artis demonſtratione, ſed ſancti ſpiritus illuſtratione, & lumine claritatis ſtellæ illius apparentis, lumen illud, Chriſtum, nempe, qui eſt lumen reuelationis gentium, requirunt. Eſt enim Chriſtus lumen gratiæ, oculum aperiens, eſt lumen, & internæ reuelationis, oculum erigens, eſt & lumen Chriſtus theophaniæ, oculum ad Deum videndum dirigens. De primo Epheſ. 5. Deus gloriæ det vobis luminatos oculos cordis noſtri, &c. & Pſal. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. De ſecundo Pſal. locutus es in viſione ſanctis tuis. theophaniæ eſt lumen Chriſtus, à Deo deſcendens in animam, & viſum animæ amplians, & dirigens, vt ſub ipſius luminis confortatione, poſſit videri Deus, qui ante videri non potuit, & ideo theophania, hoc eſt, Dei apparitio, vocatur, Chriſtum igitur quærebant, quem diuina inſpiratione per ſtellam ſignificari intelligebant. Vnde Bene Iſaias ait: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Vt ergo Magi venerunt Bethlehem intrātes in domum Mariæ Virginis, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerant ei aurum, thus, & mirrham, quod eſt Deum fateri munere. Aurum quippe, inquit Gregorius, Regi congruit. Thus vero in Dei ſacricium ponitur, Mirrha autem mortuorum corpora condiuntur. *Lauacra puri gurgitis, Caleſtus agnus attigit, Peccata quæ non detulit, Nos abluendo ſuſtulit.* ¶ Ad ſupraditorum carminum veram intelligentiam duo potiſſimum præmittenda ſunt, videlicet, primo, qui ſit iſte agnus, qui puri

Num. 24.

Magi diuerſis vocantur nominibus.

Trium iſtorum ſācto rum corpora vbi sūt. Magorum nomina q̄ nam.

Chriſtus dicitur lumen.

Epheſ. 5. Pſal. 12.

Theophania quid.

Matth. 2.

Munera oblata Chriſto q̄d declarant.

Aquis hic quis sit. puri gurgitis lauacra attigit. Secundo videndum est, cur iste agnus voluit lauacra attingere, hoc est, baptizari in Iordane à Ioanne Baptista. Ad primum dimimus, quod iste agnus est ille, quem videre, & habere desiderabant sancti Patres veteris testamenti, qui clamantes ad Deum patrem, dicebant ad eum: Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, qui tandem à patre in hunc mundum missus voluit tingi, ac tangi lauacro, idest, aqua puri gurgititis, idest, fluminis Iordanis à Ioanne Baptista. *Matth. 3.* Vnde apud Matth. dicitur: Tunc Iesus venit ad Galilæam in Iordanem ad Ioannem, vt baptistaretur ab eo. In Iordane autem baptizat Ioannes, quia secūdum quod scribit Albertus Magnus in Matth. 3. *Ioannes Baptista cur in Iordane baptizet.* In Iordane figura præcesserat in transitu filiorum Israel per vada Iordanis, vt Iosue. 3. &. 4. & in diuisione, quando Elisæus diuisit aquas, percutiendo eas pallio Eliæ, vt. 4. Reg. 2. & quando Naam ad præceptum Eliæ lotus septies in Iordane, recepit sanitatem, vt. 4. Reg. 5. Ad secundum quæsitum dicimus quod propter tria (secundum quod notatur in Auth: vt ius iurandum, quod *Christus ppter tria voluit baptizari in Iordane 2 q. 1. Deus Genes. 1. 7. c. Maiores de Baptis: §. ad id. Ioan. 7.* præest, col. 2. per gl. in verb. Christum) Christus voluit à Ioanne baptizari, nempe, propter exemplum, vt nos faceremus idem, omnis enim Christi actio (vt dicitur in proemio Decretalium Bonifacij, in. 6. nempe,) est nostra instructio. quare sicut anima, cuius caro non fuerit præcisa, peribit de populo, ita nisi quis natus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non introibit in Regnum cælorum. Secundo propter commendationem suæ humanitats. Tertio propter vim regeneratiuam conferendam aquis. Adde & tu quratum hic ab Ecclesia expressum, nempe, vt nos lauaret à crimine, & peccatum de medio nostri tolleret, ac auferret, sicut etiam, & ipse circumcisionem multiplici ratione accepit. *Christus circumcisionem accepit multiplici ratione.* Primo enim, vt legem, quam dedit alijs, ipse compleret. Secundo, vt humilitatem ostenderet, quia cæremonialibus, ad quæ non tenebatur, se subiecit, ipse namque Dominus legis fuit. Tertio, vt sanguinem suum pro nobis, non solum in ætate virili, sed etiam infantili, funderet. Quarto, vt nos circumcidendos fore spiritualiter ostenderet: Quinto, vt heræticos confunderet, qui dixerunt eum non verum corpus, sed phantasticum habuisse. *Legalia ante passionem Christi. viua fuerūt, post passionem, mortua post lucem euangelij sepulta.* Sexto, vt Iudæis satisfaceret, qui scandalizati fuissent, si circumcisionem non accepisset. Septimo, vt legem veterem approbaret, quæ vsque ad ipsum obseruanda fuit. legalia enim, secundum Augustinum, fuerunt. ante passionem viua, post passionem Domini mortua, sed postquam per mundum claruit euangelium, sepulta. Dicit ergo Hymni historia, cælestis agnus, hoc est, Christus Dominus suscept hodie lauacrum, idest, baptismum, in

aquis

aquis puri gurgitis, scilicet Iordanis, & peccata, quæ nunquam ipse commisit per huiusmodi lauacri, balneiue, aut baptisterij susceptionem, & quę nunquam secum habuit, (talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, & innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus, inquit Paulus) ipse à nobis abstulit, ac pertulit. Fecit & aliud inauditum potentiæ suæ genus agnus iste cælestis, ac Deus omnipotens, quod hic Ecclesia infra palam tacit, cum subsequitur dicens: *Nouum genus potentiæ, Aquæ rubescunt hydriæ; Vinumque iussa fundere, Mutauit vnda originem.* ¶ Quod dicit hic sancta Dei Ecclesia, inauditum quidem est hoc, vt non solum iste Christus hodierna die voluerit Magis, hoc est, Gaspari, Melchiori, ac Balthasari Regibus Orientalibus lumen, ac verus homo apparere, necnon & hac eadem die lymphis à Ioanne baptizari in Iordane; sed vt hoc aliud potentiæ suæ genus intelligatur, ac videatur etiam, nempè aquam vniuscuiusque hydriæ, quæ sex erant; euasisse vinum huius potentissimi Christi imperio. Nouum ergo, & inauditum potentiæ huius Christi genus hodie apparet, vt illæ aquæ, quæ in vnaquaque hydria ibi posita, erant, rubescant, & flauescant in colorem, & odorem, & saporem vini. Et repete, quod inauditum est, & nouum est potentiæ Christi genus, & factum, vt vnda, idest, aqua per Christum iussa, ac præcepta, originem suam mutet, & naturam, ac in vinum conuertatur, vinumque se accipientibus det, ac vt verum vinum ab omnibus degustetur. Cæterum hydriæ istæ sex, in quibus aqua ista, quæ côuersa est in vinum, erat, vasa nostræ purificationis designant, secundum Albertum Magnum in Ioan. 2. quæ vasa nostræ purificationis sunt. Misericordia in miseros, commotio zeli in malignos, spiritus contribulatus in deuotionis sacrificio, prægustatio æternorum in cultu diuino, cōsideratio nostræ mortalitatis in huius peregrinationis tædio, & sacra meditatio in sacrarum literarum verbi Dei studio. Vas quidem misericordiæ est hydria Rebeccæ, Genes. 24. quæ celeriter deponitur de humeris, vt bibat indigena homo, & iumenta eius, quia compassiones aliorum in humeris portamus, & per miserationis officium hanc hydriam vnicuique, prout competit indigentiæ ipsius, inclinamus. Commotio zeli in malignos est hydria Gædeonis, qui hostes fugauit, dum hydrias confregit. Spiritus contribulatus in deuotionis sacrificio est hydria Helię 3. Reg. 18. quam super sacrificium quadruplicatum superfundi præcepit, quæ totum sacrificium, & altare perfudit. Quia in deuotione sacrificij contribulati spiritus quatuor sunt necessaria, scilicet, purificatio spiritus à peccati contagione, segregatio spiritus à curarum sollicitudine, vt sit vnitus spiritus totus contritus, spiritus totus vnitus in virtute, vt proce-

Lauacrũ quid.

Hydriæ sex quid significant.

Genes. 24

Nota.

O dens

dens etiam sit ad Deum in cordis,& oris,& operis veritate,& rectitudine. Prægustatio æternæ dulcedinis in cultu diuino, est hydria, quam inter vasa templi fecit Salomon. Quinta hydria est consideratio mortalitatis in huius peregrinationis tædio, Eccles. 12. quæ confringitur super fontem quotidie: quia si mortalitatem nostram consideremus, tota die confringitur super fontem; ex quo supplementa mortalitatis haurimus. Sexta hydria est sacri verbi meditatio,& hæc est hydria viduæ Sareptanæ, & hydria Samaritanæ; de qua sumitur & verbi Dei farina,in panem conuertenda,& aqua literalis intelligentiæ propter spiritum relinquenda, & ideo 3. Reg. 7. Sareptana de hydria sua cibum panis indesinēter exhibuit, postquā à propheta illuminata fuit de panis illius communicatione in omnes verbum Dei esurientes, & Samaritana hydriam reliquit, postquam de veritate spiritus illuminata fuit. Vltimo supradicta tria sacramenta, nempè, stellæ apparitio, Christi baptizatio, & aquæ in vinum conuersio, quid sibi velint egregie declarat Maximus Episcopus, cum ait: Nam quod eum, scilicet Deum fulgentioris stellæ radijs adorauere Magi, Deum verum gentibus spes data est adorandi. Quod aquæ nouo sunt ordine mutatæ, noui nobis poculi prælibatum est sacramentū.Quod autē baptizatus est agnus Dei, regenerationis baptismi salutare nobis munus est dedicatum. Igitur propter hoc Gloria tibi Domine,Qui apparuisti hodie. Amē.

Eccles. 12. *3.Reg. 7.* *Ioan 4.* *Apparitio stella, Christi baptizatio, & aqua in vinum conuersio quid designant.*

In Epiphania Domini ad Matutinum Hymnus Nonus.

O Sola magnarum Vrbium
Maior Bethleē, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore, ac lumine,
Venisse terris nunciat,
Cum carne terrestri Deum.
Videre postquam illum Magi
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, Mirrham, & aurum regiū.
Regem, Deumque nunciant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac Mirrheus,
Puluis sepulchrum prædocet.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum patre, & sancto spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta Mater Ecclesia, quæ hodie præ gaudio exilit, quæ mēte extollitur, quæ lætitiā, quā de sui sponsi Christi Natiuitate, & Bethleē magnitudine habet, cohibere non potest cū Michea Propheta dictæ terræ generationem ratione natiuitatis Saluatoris, & cū beato Luca

to Luca gestiens describere, qualiter ista Domini sui natiuitas contigerit, hunc hymnū prodidit, ediditq; sic Dei fauore exordiens: *O sola magnarum Vrbium Maior Bethleem, cui contingit Ducem salutis cælitus Incorporatum gignere.* & reliqua. ¶ In quibus cōtinuatur hymnus iste cum præcedenti, estque eiusdē sententię, licet videantur alia verba. Nam idem intendit sancta Ecclesia in isto hymno, quod & in illo intendebat, nempe, Christus quid sit, ostendere; vt iste dies, vere Epiphania dicatur. A tribus ergo hic, quid Christus sit, Ecclesia sancta declarat per Sedulium huius hymni conditorem. Primo in laudē paruę ciuitatis Bethleem (quā omnium maiorem vocat ratione nati noui salutis Ducis) sumit initium, & dicis, quod cælum per nouę stellæ formationem, quæ ita pulchra erat, vt splendore suo solem superaret, testatur, quid sit Christus, nempe, Deum esse cū carne terrestri. Secundo quod hoc cæleste testimonium, non fuit vanum vel incognitum. Nam ab Orientalibus Regibus visum, ac cognitum fuit & muneribus, & hoc ipsi testantur idem testimonium, videlicet, Christum Deum cum humano corpore esse. Tertio non solum Deum humanatum esse, sed etiam esse Regem Regum, quia ipsi Reges ipsum Regē Regū Christū, videlicet, adorāt. Quarto ipsa Ecclesia iubilat, & iubilo huic Regi gloriā dat: quia hic dignatus est apparere. Prima pars est ibi. O sola magnarum Vrbium &c. Secunda est ibi. Quem stella, quę solis rotam, &c. Tertia ibi. Videre postquā illum magi, &c. Quarta est ibi. Regem, Deumque nunciant &c. Quinta est ibi. Gloria tibi Domine, Qui apparuisti hodie, &c. ¶ Ad præmissorū igitur quatuor versuum abundantiorem intelligentiam, primo videndū est, cur sola Bethleem maior sit omnium aliarum ciuitatum. Secundo videndum est, quomodo Dux salutis cælitus, incorporatus genitus sit. Tertio videndum est, quo tempore hoc contigerit. Quare magnarum vrbiū maiorem esse Bethleem nemo ignorat multis quidē rationibus. Nā cui nam loco, terræ, oppidoue, aut ciuitati contigit gignere Christum; nisi huic terræ Bethleem? à Michea etenim propheta locus natiuitatis eius, hoc appellatus est nomine: Et tu Bethleē Iuda, nequaquā minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Prætereа est etiā Bethleem generosior, ac cæteris beatior: quia domus panis ante vocata est; quia futurum erat, vt Christus per naturam carnis ibi appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Nam Bethleem & Christi, & Ecclesiæ typum, & figuram gerit: ibi enim nasciturus erat Christus, qui est panis viuus, qui de cælo descendit. Et quia significabat vbertatem sacramentorum, quæ conficiuntur ex aqua, & pane, & vino, & oleo, Vnde illud: A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt;

Huius hymni sedulius est Author.

Hymni diuisio, & summa.

Bethleem est maior omniū magnarū Vrbium, & quomodo.

Bethleem domus panis vocata est.

Ioan. 6.
Psal. 4.

Et sic Bethleem domus panis appellari vtique potest,siue interpretari. Fuit etiam Bethleem maior, & beatior alijs: quoniam quænam alia terra, vel ciuitas misit vnquam Deo candidatam, & tantam plebem, infantes, nempè, pueros, vt misit Bethleem? Sed secundo loco incorporatus genitus esse hic dux cælitus narratur: quoniam cælitus,idest, à cælo descendens in ventrem Virginis Mariæ genitus,ac sic egressus est ex vtero Virginis instantaneus, & incorporalis dux iste: vt ante se in terra situm præstantissima Virgo eius mater mox hilariter viderit,ac deuotissime,quem genuit,adorauit,& paulo post proprijs manibus è terra leuauit,& brachiis suis strinxit, & pannis inuoluit, ac in præsepio reclinauit. Et post hæc

Baruch. 3. in terra visus est, ac cum hominibus conuersatus est. Qualiter vero,& quibus temporibus contigerit ista Domini nostri Iesu Christi natiuitas, ac apparitio, ac cum hominibus eius conuersatio, *Luc. 2.* Lucas dicit,& illam describit,cum ait: Exijt edictum à Cæsare Augusto,vt describeretur vniuersus orbis, & ibant hac omnes, vt profiterentur singuli in Ciuitatem suam. Ascendit autem & Ioseph à Galilea à Ciuitate Nazaret in Ciuitatem Iudæ, Ciuitatem Dauid, vt profiteretur cum Maria,sibi desponsata vxore prægnante. Cum autem peruenisset in Bethleem ,impleti sunt ibi dies ,vt pareret, & peperit filium suum primogenitum. Quod fuit in anno Octauiani quadragesimo secundo, dum totus orbis longa pace frueretur: in quo tempore bella in tantum fuerunt obliuioni tradita, quod quasi omnia arma erant in vomeres,& cætera rusticalia instrumenta conflata, Et hunc Christum ducem venisse in terris,stella, quam viderant Magi,denotat, vt subiungit Ecclesia, dicens: *Quem stella, quæ Solis rotam, Vincit decore, ac lumine, Venisse terris nuntiat, Cum carne terrestri Deũ.* ¶ Circa ista quatuor supradicta carmina,nota primo vnum magnum miraculũ. Nam Sol dicitur,secundũ canonistas in c.solitæ.§.præterea de Maioritate, & obediẽtia,octies,vel secundũ Theologos,decies maior terra;vel secundũ Ptolomeũ 16.vicibus maior terra,& stellas ipse illuminat, & stellæ à Sole illuminationis receptiuę,& in præsentia solis, seu occultatiuę, & nihilominus ista supradicta stella nostra Solis rotã suo decore,ac lumine vincit, & superat. Vnde Guil.Dur.lib.6.c.16.refert,quod stella ista,de qua hymnus hic meminit,nõ erat à cõstitutis à principio, & erat proximior terræ,quã aliæ. Et dicunt quidã,quod illa fuit de nouo creata,quæ peracto officio suo,rediit in primordialẽ suã naturã. Et aduerte,& nota secũdo loco,quod hæc diuina stella,secundũ Ludulphũ de vita Christi, differt ab aliis multipliciter. Primo in substãtia,quia aliarũ stellarũ materia,est materia cælestis,& quintæ essentiæ. Hæc autẽ de sub-

Christus natus est anno 42. Imperij Octauiani

Miraculũ est magnũ quod stella visa à Magis splẽdore suo solem superat.

Sol quanto maior sit terra.

Stella visa à Magis differt ab alijs multipliciter.

substantia corruptibili fuit. Secundo quo ad eius principium effectiuum, quia aliæ stellæ à Deo per verbum creatæ sunt, nulla operante natura, sed ista ministerio angeli à verbo facta est. Tertio in duratione, quia aliæ à principio sunt conditæ, & in æternum manebunt, ista Christo nato, creata est, & postea esse desijt. Quarto in situ, quia aliæ sunt in cælo, ista autem non fuit sita in firmamento, sed in aere, non longe à terra. Quinto in magnitudine, quia secundum Ptolomæum quælibet stellarum firmamenti visibilis nobis maior est tota terra, forte ista non fuit vltra quantitatem duorum, vel trium cubitorum. Sexto in motu, quia aliæ mouentur circulariter ab oriente in occidentem; hæc autem ferebatur motu recto ab ortu in meridiem. Septimo in statu, quia aliæ mouentur motu continuo, & nunquam stant, ista autem cum Magis euntibus ibat, & cum stantibus, & quiescentibus quiescebat. Octauo in vicissitudine apparitionis, & occultationis, cum enim intrauerunt Hierusalem, occultauit se, deinde vbi Herodem reliquerunt, se ipsam monstrauit. Nono in tempore, quia aliæ lucent tantum de nocte, hæc autem in meridie sole lucente apparebat, quam lux diurna non impediebat, imo vt hic in textu, & litera hymni dicitur, vincebat, & superabat ipsos etiã solis radios proprio fulgore, decore, ac lumine. Decimo in significatione, quia aliæ significant temporum, & annorum distinctionem, ista autem significabat creatoris natiuitatem. Vndecimo effectu, quia aliæ habent efficaciam certam ad transmutationem istorum inferiorum; ista autem nullum habuit effectum, nisi quod notauit natum Saluatorem. Duodecimo in ministerio, quia certa astra creauit Deus in ministerium cunctis gentibus; hæc autem stella in ministerium solius Christi est edita. Tertiodecimo in singularitate apparitionis, quia quælibet stella apparet omnibus, qui sunt in hemisphærio eius; sed ista visa est tantum à Magis tribus. Quartodecimo à motore, quia aliæ stellæ non habent motores proprios, ista autem habuit motorem proprium, scilicet, Angelum, qui Natiuitatẽ Christi pastoribus nunciauit. ¶ Nota tertio loco etiam hic causam aduentus Christi terris, nempe, vt qui eramus à Deo separati per peccatum, nos Deo reconciliaret, & pacem perditam hominibus redderet, in hoc sæculo per gratiam, & in futuro per gloriam, sicut de facto fecit per suam passionem, & resurrectionem, & ascensionem; & sic Christus aduentu suo recuperauit pacem Dei, & Angelorum, & corporis, & animæ, quam perdideramus in Adam per peccatum: & hanc pacem, vt dictum est, attulit nobis in sua incarnatione, & natiuitate. ¶ Dicit ergo hymni litera, stellam, de qua hic supradiximus, & quæ solis rotam suo splendore, ac decore, lumineque

Causa aduētus Christi fuit, vt nos Deo pacificaret.

mineque solem superat in relucendo, ac illuminando; nunciare, ac manifestare, ducem cælitus natum venisse è sinu patris Deum in terris cum carne, seu corpore terrestri. Et quia ista stella nunciat Deum in terris cum corpore terrestri adesse; ideo eiusdem stellæ apparitione, mouentur Magi ad portandum huic Deo munera, vt ijs illum pro Rege, pro Deo, ac pro homine cognoscant quod est, quod hnc infra sequitur: *Videre postquam illum Magi: Eoa promunt munera, Stratique votis offerunt Thus, Mirrham, & aurum Regium.* ¶ Magi ergo prostrati, ac humi inclinati offerunt Deo pro votis, idest, pro collatis donis ac sequutis, scilicet, quod natus erat eis saluator mũdi, Eoa, idest, orientalia munera, videlicet, aurum, thus, & mirrham. Aurum, inquam, offerunt, quia omnium Regem esse credunt: Thus vero offerunt, quia Deum esse confitentur; Thus enim in sarificijs etiam Gentiles Dijs suis offerre consueuerunt: Mirrham ei quoque offerunt, quia sic illum Deum esse credunt, vt hominem, & mortalem esse non dubitent. Mirrha enim ne corrumperentur corpora mortuorum condiebantur. Vel per thus, quod Magi offerunt, dilectionem erga Deum, siue puram mentem, & piam, quam debemus habere eleuatam ad cælum per contemplationem nostram; aut intelligere possumus orationem, & deuotionem mentis, quam debemus ad Deum & coram effundere. Per mirrham verò intelligere possumus carnis mortificationem. Per aurum vero caritatem, quam erga Deum, & proximum habere iugiter debemus, accipere possumus prout accipitur sic in cap. legimus. dis. 3. 6. & c. principium. de pœnit dist. 2. *Regem, Deumque nunciant Thesaurus, & fragrãs odor, Thuris Sabæi, ac mirrheus, Puluis sepulchrum prædocet.* ¶ Licet ex istis, quatuor præmissis versibus intelligamus, quidnam per aurum, thus, & mirrham accipere debemus, nihilominus, & significationem, quam supra habere diximus supradicta verba hæc, acceptam esse à doctoribus sanctæ Ecclesiæ patet in citatis à nobis iuribus, ac canonibus. Thesaurus ergo, idest, aurum, & fragrans odor Sabæi thuris, hoc est, odorem emittens, & redolens, Deum, Regemque designant. At puluis mirrheus, idest mirrha sepulchrum Chiristi præmonet. Est autem mirrha quædam parua arbor aromatica, quæ nascitur in Arabia: cuius succus dicitur etiam mirrha i quæ quidem arbor agitata à ventis contrarijs, scilicet, ab Aquilone, & Austro, emittit sudorem pratiosissimum ad modum gemmæ, quæ dicitur prima mirrha; sed quia non potest exire multum de succo primo modo, ideo agricolæ vulnerant arborem, faciendo paruam incisionem in latere trunci, & sic emanat copia succi, & liquoris, & sic totus ille liquor, qui egreditur ab il-

Cur Magi munera Deo efferant.

Thus, mirrha, & aurum, mystice quid significent.

Mirrha quid.

la ar-

lā arbore, in mense Martij tam per agitationem ventorum, quam per incisionem factam in latere, dicitur mirrha prima, & electa pretiosissima, & virtuosissima, præseruans ab omni corruptione, & sanans, & desiccans omnem putredinem. Iste autem liquor, qui emanat in mensibus, dicitur mirrha secunda: quæ licet sit bona, non tamen est tanti valoris, & virtutis. Et quoniam mirrha ponitur aliquando pro virtute passionis Christi, & hoc metaphorice, ideo ad huius arboris, & liquoris similitudinem, tam Christus quam sua passio dicitur prima mirrha, & electa. Nam in Mense Martij Christus fuit agitatus, & afflictus à duobus ventis contrarijs, scilicet, à Iudæis, & à Pilato cum suis ministris de populo gentili. Qui primo in horto emisit sudorem sanguinis, & postea per flagella, & vltimo per vulnus lateris exiuit sanguis, & aqua in remissionem peccatorum. Amen.

Mirrha prima. *Mirrha secunda.* *Nota.* *Passio Christi dicitur mirrha prima.* *Luc. 2. Ioan. 3.*

In Quadragesima ad Vesperas Hymnus Decimus.

AVdi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reuersis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus,
Ad laudem tui nominis,
Confer medelam languidis.
Hic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet vt mens sobria
A labe prorsus criminum.
Præsta beata Trinitas,
Concede simplex vnitas:
Vt fructuosa sint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

NOstra sancta, ac vniuersalis mater Ecclesiā, quæ adimplere Dei præcepta semper cogitat, quodque agere anhelat, id conficere elaborat, hodierna die angeli etiam monitis dicentis: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosina magis, quam thesauros auri recondere: & iterum alibi ad Cornelium: Orationes, inquit; tuæ, & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, adhærens; hortatur nos per Prudentium præauditi hymni factorem, & cantorem, vt ad Deum orationem dirigamus, vt

Act. 10. Oratio, & eleemosina ascendit ad Deum. Hymni huius Author Prudentius.

in hoc sacro ieiunij quadragesimalis tempore, remissionem peccatorum tribuat, & cum corporali ieiunio abstinendi etiam à peccatis gratiam donet. Itaque sic nos docet dicere: *Audi benigne conditor, Nostras preces cum fletibus, In hoc sacro ieiuno Fusas quadragenario*, & reliqua. ¶ In quibus omnibus aduertendum est, quod iste est primus hymnus ex quatuor quadragesimalibus, quorum, & si varia sunt verba, ad vnum tamen tendunt scopum, nempe, quid in hoc sacratissimo tempore à quolibet Christiano fideli agendum sit. Et primo necesse est cuilibet Christiano instanter cum deuotione orationi instare, atque inuigilare, vt primi quatuor ostendunt versus. Secundo magna cum humilitate suam ad malum pronitatem & inclinationē hoc isto quadragesimali tempore cognoscere debet, & apud Deum se de tali ad malum pronitate accusare, vt ibi patet, videlicet, in alijs quatuor sequentibus versibus. Tertio suam ad malum debet examinare conscientiam, deinde sua confiteri peccata, & medelam suppliciter quærere, vt ibi innuunt alia sequentia hymni huius verba, nempe, multum quidē peccauimus. Quarto, quod in nobis est, facere debemus sollicite, vt corpus rationi obediat, & per rationabilem abstinentiam ei parere cogamur, vt cum dicitur: Hic corpus extra conteri, Dona per abstinentiam, &c. ¶ Ad primorum igitur quatuor versuum intelligentiam, notandum est primo, cur sancta Dei Ecclesia dixit principio huius hymni, Audi conditor. Secundo videndum est, quodnam discrimen sit inter preces, & orationes. Tertio notandum est, quid quadragenarius numerus hic denotat. Ad primum dicimus, quod dixit: Conditor, & non Deus, aut Domine, aut Redemptor, aut huiusmodi, quoniam cum dixit conditor, habuit respectum ad tempus quadragesimale, quod Deus fecit, & ordinauit, tanquam tempus acceptabile, & diem salutis, ideo ratione huius temporis quadragesimalis dixit: Conditor, scilicet, huius temporis quadragesimalis dixit: Conditor, scilicet, huis quadragesimæ. Est ergo conditor hic ille Christus, de quo infra dicetur in hymno ad matutinum, ac etiam laudum, scilicet, Christus omnium Rex, atque factor temporum, & terris diem cum reparas, dans tempus acceptabile, idest, tu conditor, condens, & ordinans tempus istud, in quo pænitentium pænitentiam accipis. Licet ergo author huius hymni subticuerit tempus præfatum hoc quadragesimale, tamen voluit intelligere per conditorem simpliciter prolatum, scilicet conditorem temporis huius quadragenarij ieiunij. Secundo sciendum est secundo loco, quod inter orationem, & deprecationem, seu preces hoc interest. Nam deprecatio, seu preces petunt ab aliquo malo liberari, sed oratio petit aliquam

Hymni diuisio, & summa.

Cur in hymni principio non fuit dictū. Conditor mūdi, vel cœli, & terræ vel rerum: sed simpliciter dictum est, Conditor.

gratiam

gratiam sibi dari. Ex quibus sequitur, quod nos hic petimus à peccatis liberari potius quam aliquam gratiam postulemus. Nam lachrimis, ac fletibus, nec non ieiunio, & pœnitentia liberamur à peccatis. Quid vero quadragenarius numerus denotet, scire hic debemus. Et quidem quadragenarius numerus nunc ad annos refertur, & ætatem, & is dicitur, qui quadraginta annos natus est: nunc vero ad dies applicatur, & id, quod quadragenarium nuncupatur, quod quadraginta dierum circulo extenditur, vt est. v. g. hoc quadragesimale ieiunium, quo quidem modo hic sumitur. Dicit ergo hymni author: O benigne, ac pie, clemensque conditor, scilicet, huius quadragesimalis temporis, ac sacri ieiunij, audi, ac accipe preces nostra vna cum lachrimis multis in hoc sacro quadragenario ieiunio fusas, ac nobis tibi porrectas, vt hoc tempore à peccatis (quod est tempus acceptabile, & dies salutis) liberemur, vt inde gloria fruamur: *Scrutator alme cordium, Infirma tu scis virium, Ad te reuersis exhibe Remissionis gratiam.* ¶ Pro hic auditorum versuum vera intelligentia primo notandum est, vbi nam probetur, Deum esse cordium scrutator. Secundo notandum est, quomodo sciat Deus infirma nostrarum viriam. Tertio notandum est, quos intelligere debemus per reuersos ad Deum. Ad primum igitur dicimus, quod vere Deus dicitur scrutator cordium, qui cor Caim agricolæ (vt legitur in Genesi) scrutatus est, & psal. 7. dicit: scrutans corda, & renes Deus: & Salomon in libro sapientiæ; Benignus, inquit, est spiritus sapientiæ; quoniam renum eius est testis Deus, & cordis illius est scrutator verus. Deus enim, inquit Daniel. 19. absconditorum conditor, qui omnia nouit, antequam fierent. Ad secundum dicimus, quod ideo Dominus Deus noster, ac conditor ieiunij huius quadragenarij benignus scit infirma virium nostrarum; quoniam cum sibi Deus vniuit carnem humanam, & factus sit homo, in similitudinem carnis peccati, & cum consubstantialis esset patri, & consubstantialis dignatus sit esse matri, hoc est, nostræ naturæ, in qua fuit creator, & creatura, & creator, & non creator, & æternus, & temporalis, & in quantum ipse passus, ac mortuus est, propterea benedici potest ipsum scire infirma virium humani generis, cum ipse expertus sit infirmitatem humanam. Vnde aliquando se dicit peccatorem, & derelictum à patre, & peccata nostra dicit esse sua, non quo ad culpam, quia nec peccauit in Adam, nec in se; sed quo ad pænam, in quantum pro peccatis nostris voluit pati. Vnde primo modo peccata nostra dicit esse sua in quantum aduocatus; secundo in quantum procurator, tertio in quantum fideiiussor, eo quod obligauit se causam nostram aduocare,

Genes. 4. c. considerandis s. de pan. & s. 97. in gratiibus.

Christus dicit peccata nostra esse sua.

deteftatione incohat, quæ apud se met ipsam prius infirma verecundata retinebat. Iob quoque dixit: Dimittam (accusans se) aduersum me eloquium meum. Omnis mens ergo, omnis animus,& omnis homo, hoc quadragesimali tempore, se accuset, & discant hic homines suam in primis examinare onscientiam, deinde confiteantur, propalentque sua peccata sacerdoti. ¶ Verum ad quatuor præmissorum versuum abund antiorem elucidationem,notandum est primo, quid sit peccare, & quot mala faciat peccatum, & quibus de causis Deus hominem fecerit, qui peccare posset. Secundo notandum est circa secundum versum, cur dicat sancta Dei Ecclesia: Parce cõfitentibus, potius,quam parce pœnitentibus,& quotuplex sit confessio, & quæ vtilitas proueniat nobis ex confessione peccatorum,& ex digna pœnitentia. Tertio notandum est,quid hæc præpositio; Ad importet. Quarto quid per laudem hic accipere debeamus. Quinto quid per nomen. Sexto demum quid per medelam, hic accipiendum sit, languidis dandam. Quantum ad primum dicendum est, quod peccare, nil aliud est, nisi animam à laqueo sensualitatis, & concupiscentiæ, & fomitis carnis capi, & illaqueari; quem quidem laqueum nemo potest euadere, nec vitare, nisi gratia Christi, vt ait Apostolus ad Rom. 7. & propter hunc laqueum omnes debemus timere futurum iudicium, & semper debemus orare, ne intremus in tentationem,& ne anima nostra illaqueetur à laqueo sensualitatis, & carnis, sicut captus est Adam per mulierem, & ne tali iudicio puniamur,& à facie Dei eijciamur, sicut eiectus est Adam per mulierem à facie Domini. Et si forsitan peccauerimus, & aliquando capti fuerimus à laqueo Diaboli, quod faciamus pœnitentiam, & retrahamus calcaneum, & pedem à laqueo venantium per pœnitentiam, antequam veniamus ante iudicem in die mortis nostræ & generali iudicio, vt inueniamur expediti à laqueo peccati,& sic semper in vita nostra debemus timere futurum iudicium,& agere pœnitentiã. Nam sicut quatuor mala facit peccatũ in peccatore, scilicet, primo quia docet alios peccare; secundo quia laus,& doctrina eius est Deo,& hominibus contẽptibilis; tertio, quia eius sacrificia nõ sunt Deo accepta, quarto quia anima peccatoris facta est habitatio peccati: ita per oppositũ quatuor fructus sequũtur ex pœnitẽtia, primo quia pœnitẽs est causa, vt cæteri cõuertãtur, secũdo quia eius laus & correctio est grata Deo,& hominibus, tertio eius sacrificiũ est Deo acceptũ; quarto, quia eius anima est facta habitaculum Dei,& visio pacis,& templum spiritus sancti. Ergo istæ quatuor vtilitates,& fructus sequũtur ex digna pœnitẽtia. Fecit autẽ Deus hominem, qui peccare posset, primo vt ostendatur diuina potentia, qui solus

Peccare quid sit.

Rom. 7.

Nota

Quatuor mala facit peccatum.

Quatuor fructus sequũtur ex pœnitẽtia.

Homo peccabilis, & quare.

raculorum operatione, & quando spoliasti infernum, & resurrexisti,& ascendisti in cęlum;item, & sapientiam patris in datione legis: item,& misericordiam in tua passione:demum & iustitiam, & iudiciariam potestatem in tua ascensione,quæ magis ostendetur in generali iudicio.De primo dicitur: Potens es Domine, & non est, qui resistat tibi. De secundo:Sapientiæ eius non est numerus. De tertio: Miserationes eius super omnia opera eius. De quarto: Iudicia eius abyssus multa. Ad laudem ergo tui nominis,idest,propter tuam reuelationem,& ineffabilem tuam omnipotentiam, sapientiam,misericordiam,& iustitiam,quæ quatuor sunt nobis incomprehensibilia, & ideo ad maiorem declarationem prædictorum: Ad laudem tui nominis Confer medelam languidis,idest,veniam pænitentibus,& omnino afflictis,compunctis, & pro peccatis fere mortuis: & per consequens conferentiam nobis Domine gratiam, quæ nostram rectificet voluntatem, & dirigat, vt velimus bonum, & quæ cooperetur, vt proficiamus,& exequamur,quæque etiam confirmet, & perficiat voluntatem in sua operatione,ac demum ita,vt rectificet, ac sanctificet,vt præmiet nos ad gaudium,& fælicitatem. Amen. *Hic corpus extra conteri, Dona per abstinentiam: Ieiunet vt mens sobria, A labe prorsus criminum.* ¶ Per abstinentiam quippe, inquit Beatus Gregorius, carnis vitia sunt extinguenda,non caro. Et tanto quisquis sibimet debet moderamine præesse,vt ad culpam caro non superbiat;& tamē ad effectum rectitudinis in operatione subsistat: vnde bene inquit & Raynerius de Pisis, dicens, quod abstinentia est triplex, scilicet,illicita,& indiscreta,& rationabilis. Illicita est,quando quis sibi per abstinentiam subtrahit necessaria corporis, & talis est demeritoria,eo quod talis est homicida sui ipsius. Indiscreta est, quando abstinentia est tanta, quod homo ab operibus vtilioribus impediatur,quamuis ad ea de necessitate non tenetur,puta prædicator prædicare, doctor docere,cantor cantare,& sic de alijs. Vnde talis abstinentia est indiscreta,etsi non sit illicita. Abstinentia ratione regulata est,quando fit rationabiliter,& tunc est Deo placita,& per consequens meritoria. Supradicta ergo orationis formula sæpe vti debemus ad Deum,quoniam per abstinentiam Deus, secundum Ambrosium, reuocauit errantem Adam ad Paradisum, quem gula regnantem expulit. Ad hæc reprehendit Dominus Deus per Isaiam Prophetam eos,qui corpus suum castigant,animam autem à peccato non refrenant. Ecce, inquit, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vostra,& omnes debitores vestros repetitis,& percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hunc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Docet deinde paulopost eodem loco,quomodo

Medela hic quid.

Triplex gratia.

Gregor. in moral. lib. 20. c. 91.

Rayner. in sua Pantheologia par. 1. c. 6.

Abstinentia triplex

Ambros. de ieiun. 31. c. 5.

Isa. 58.

modo per bonorum operum exercitium, ieiunandum sit, dicens: Non ne hoc est magis ieiunium, quod elegi? solue colligationes impietatis, dissolue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confecti sunt, liberos, & omne onus dirumpe, frange exurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudũ operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. Itaque & tale ieiunium, & corporis à cibo, & animi à vitijs, nobis dari, & præstari hic petimus, quo corpus atteratur exterius, hoc est, tam interior homo, quã exterior attenuetur. Repleamus nihilominus, inquit Gregorius, refectionibus corpus nostrum, ne extenuatum deficiat. Et extenuemus illud sic, & tali abstinentia, ne nos repletum premat, & sic hac salutari extenuatione, & mens ieiunet, ac libenter eleuetur in Deum per orationem, & diuinorum meditationem, & agilior fiat, atque expeditior, vt ad cælestia nitatur. Commessatione enim, & epulationibus crebris mens ipsa deprimitur, atque degrauatur, quemadmodũ innuit Dominus in Euangelio dicens: Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. Cæterum cum corpus hic conteri poscimus, non eousque pertinet hoc verbum, conteri, vt omnino conteri, & consumi, atque in pulucrem redigi intelligatur; sed bene affligi, comprimi, & (vt diximus) extenuari postulamus. Postremo per corpus hoc loco possumus intelligere omnia peccata, quæ in corpore humano inesse, & à corpore humano profluere quotidie noscuntur: puta superbiam in capite, inuidiam in oculis, auaritiam in manibus, gulam in ventre, iram circa cor, luxuriam in renibus, & accidiam in pedibus; similiter & oculos, & aures, & linguam, manus, atque omnem malam subordinationem accipere fas est.

Grego. in moral. lib. 4. c. 41.

Luc. 21.

Mens qua nauseat. Corpus cõteri per abstinentiam quomodo sit intelligendum. Corpus potest significare plura vitia in eo sita.

In Dominica prima Quadragesima ad Matutinum Hymnus vndecimus.

EX more docti mystico
Seruemus hoc ieiunium:
Deno dierum circulo,
Ducto quater notissimo.
Lex, & propheta primitus
Hoc prætulerunt, postmodum
Christus sacrauit omnium
Rex, atque factor temporum.
Vtamur ergo parcius
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctius
Perstemus in custodia.
Vitemus autem pessima,
Quæ subruunt mentes vagas,
Nullumque demus callidi
Hostis locum tyrannidi.
Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque singuli:
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem:

Nostris

Nostris malis offendimus | *Laxa malum quod fecimus*
Tuam Deus clementiam: | *Auge bonum, quod poscimus:*
Effunde nobis desuper | *Placere quo tandem tibi*
Remissor indulgentiam. | *Possimus hic, & perpetim.*
Memento, quod sumus tui | *Praesta beata Trinitas:*
Licet caduci plasmatis: | *Concede simplex vnitas*
Ne des honorem nominis | *Vt fructuosa sint tuis*
Tui, precamur, alteri. | *Ieiuniorum munera. Amen.*

NOstra sancta Mater Ecclesia vestigijs sanctorum patrum immodico sui sponsi Christi, qui non venit soluere legem, Math. 5. sed adimplere, inhærens in omnibus suis actionibus, & temporibus, & libenter eius sponsi, qui quadragesimale ieiunium sanctificauit, ac consecrauit, à sanctis indefesse obseruatum prius Prophetis, vestigia, ac exempla imitari in hac sacra ieiunij obseruatione, & illi etiam conformari cupiens, sanctum hoc, & sacrum, vt memoriale, & sanctorum, & Christi Prophetarum omnium veri Prophetæ sit nobis, edidit per Beatum Ambrosium salubre canticum, nempe: *Ex more docti mystico, Seruemus hoc ieiunium, Deno dierum circulo, Ducto quater notissimo*, & reliqua. ¶ In quibus omnibus tria facit Sancta Dei Ecclesia, videlicet, proponit primo, secundo inuocat, tertio orat. Proponit ibi: Ex more docti mystico, &c. Inuocat, & inuitat nos ad obseruationem talis Christi ieiunij, cum ait: Vtamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, &c. Orat autem, cum ait: Effunde nobis desuper Remissor indulgentiam, &c. ¶ Verum ad veriorem præmissorum quatuor carminũ elucidationem, primo notandum est, quid nam sit illud, quod mysticũ dicitur. Secundo videndum de ieiunij obseruatione. Tertio notandum est, quid numerus quadragenarius signet. Mysticum ergo idem est, quod arcanum, vel figuratum, quod aliud præter id, quod videtur, continet; vel aliud signat, quam quod litera sonat, quemadmodum tria piorum Regum dona, & huiusmodi. A ieiunio igitur Moysi, & Eliæ, qui quadraginta diebus ieiunauerunt. Exod. 24. & 34. (vt ex more mystico) docti sumus ieiunium Christi, qua quadraginta noctibus ieiunauit. Orthodoxorum igitur patrumque exempla, & traditiones tum ad mores pertinentes tanquam ore tenus à Christo, vel spiritu sancto dicatas pari pietatis studio, affectuque, ac reuerentia, venerari debemus: vt etiam mandat suscipi, ac venerari sacrũ Conciliũ Tridentinum. Sequitur: *Seruemus hoc ieiuniũ.* De obseruatione ieiunii cautum est per Sanctorum Pontificum decreta, & constitutiones, vt extra de obseruatione ieiunii totum titulum

Math. 5. Ecclesia inhæret vestigijs sanctorum patrũ & imitatur actiones sui spõsi.

Hymni huius Author beatus Ambrosius.

Hymni diuisio, & summa.

Exod 24. 3. Reg 19. Math. 4.

Sess. 4. in decreto.

Numerus 40. quid signet. tulum. Nouissime etiam per Concilium Tridentinum. sess. 25. post decretum de indulgentijs. Sequitur: *Deno dierum circulo, Ducto quater*. Si ergo decem per quatuor multiplicentur, consurgent quadraginta: qui in sacris scripturis sacratus est numerus, & perfectionis vitæ index. En tibi modo mysticum. Nam denus circulus decem decalogi præcepta, ac ipsam legem dicit: quater denus ductus ieiunium signat tum Moysis, tum Eliæ, tum demũ, & illud ipsius Christi. Quaternarius denique, Euangelij obseruationem significat, quæ à quatuor Euangelistis per spiritus sancti illuminationem in lucem est edita. ¶ Nunc quinam docuerunt nos ieiunium seruare, subdit, dicens: *Lex, & Prophetæ primitus, Hoc prætulerunt, postmodũ Christus sacrauit omnium Rex atque factor temporum*. Notandum primo est circa & alios quatuor versus, quid hic per legem, & prophetas intelligere debemus. Secundo dicendum est, quot modis lex dicitur. Tertio notandum, quæ sit lex vetus, & cur sic nuncupetur, & quomodo differt à noua. Quarto est aduertendum circa Prophetas, qui nam maiores, quique minores sint. Quinto notandum est quomodo Christus sit Rex omnium: item, & quomodo sit factor temporum. Per antonomasiam ergo hic intelligere debemus per legẽ, Moysen, per Prophetas vero Eliam: sicut bene nos docet beatus Augustinus in homilia feriæ sextæ primæ hebdomadæ quadragesimæ. sicuti enim cum dicimus Apostolum, nec addimus ei nomen, Paulum subaudimus, vel etiam si dicimus sapientem, aut virum, & sic de huiusmodi, Salomonem, & Aeneam intelligimus; ita etiam cum dicimus legem, nec ei addimus aliud, Moysen. Hoc idem monet beatus Leo in sermone transfigurationis Domini Nostri Iesu Christi. Quod autem Moyses fuerit legis lator, qui quadraginta dierum ieiunium bis obseruasse legitur, in Exod. 24. & 34. probatur, quo fieret accipiendæ legis idoneus, habeturque etiam in c. vnico. extra de purgatione post partum. De Elia vero habetur in lib. 3. Regum, vbi dicitur, quod Elias 40. diebus, cibo abstinuit, cum ambularet vsque ad montem Dei Oreb. Et hi duo, & figura quædam, & imago præcesserunt sacratissimum illud quadraginta dierum, & noctium ieiunium, quo Christus post susceptum à Ioanne Baptista baptismum nostrum quadragesimale ieiunium sanctificauit. Et hic nota dum dicitur, lex; ponitur artificiatum pro artifice: & lex pro legis latore: cum vero proferuntur Prophetæ, ponitur totum pro parte, & de istis figuris abunde diximus supra libro primo, hymno tertio. ¶ Ad secundam vero propositionem dicimus, quod lex multis modis appellatur, secundum diuersos significandi modos. Nam lex, in quantum est à Deo, dicitur lex Domini, seu lex Dei; & in quan-

[Margin notes: Lex Moysem denotat: & prophetæ Eliã. — Leo Papa. — 3. Reg. ca. 19. — Math. 4. — Lex multis modis dicitur. — Lex Domini.]

quantum per Angelos, & multos testes, multoties testificata, & examinata est, dicitur testimonium; maxime in quantum data est testimonium, & fœdus. item, inquantum est prolata ab ore Dei, dicitur verbum, & eloquium, & sermo Dei, quod maxime competit legi euangelicæ, quæ immediate à Christo est probata. Item, in quantum ducit ad Christum, & vitam æternam, dicitur via, & semita, & iter: Et in quantum prohibet omne uitium, dicitur præceptum: sed, in quantum mandat, iubet fieri omnem virtutem, quæ est mensura omnium humanarum operationum, dicitur iustitia: & eius operatio dicitur iudicium, & iustificatio, in quantum non deuiat à diuina voluntate, & per eamdem rationem dicitur æquitas, in quantum adæquatur Diuinæ voluntati. Item dicitur veritas, in quantum est verificata tota in Christo. Dicitur etiam lex, Diuina veritas, in quantum conformis, & adæquata est Diuinæ voluntati. Nam sicut in speculabilibus intellectus, siue oratio dicitur vera, vel falsa, in quantum adæquatur rebus: quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Ita per oppositum in agibilibus, & factibilibus res dicuntur veræ, in quantum assimilantur, & adæquantur rectæ rationi, & arti. Cum ergo diuina voluntas sit recta ratio, & mensura omnium actuum humanorum; ideo diuina lex dicitur communiter veritas in sacra scriptura; & sic idem est, quod iustitia. ¶ Ad tertium vero præsuppositum, nempe, quæ sit lex vetus, & cur sic appelletur, & quomodo illa differat à noua; dicimus, quod lex Moysis, vetus lex dicitur, ad differentiam legis Christi, quæ noua, & euangelica dicitur: quia lex Christi, est lex libertatis. Lex etiam ista Moysis, seu mauis Mosaica, dicitur esse mortua simul cum Christo, eo quod erat finis legis: sed quia Christus solum est mortuus, quo ad corpus tantum, & nō quoad animam: ideo lex vetus mortua est tantum quo ad corpus, idest, quo ad literam, & cæremonias; sed non quoad animam idest, quo ad veritatem, & spiritum literæ: & ideo mortua lege, surrexit cum Christo veritas legis; quæ dicitur veritas euangelica, vt patet Ioann. 1. lex per Moysen data est: veritas autem legis per Christum facta est. Nam lex euangelica nil aliud est, nisi veritas, & spiritus, & anima, & vita legis Moysis: & ista veritas surrexit cum Christo, & in hac veritate consistit vita nostra spiritualis. Item lex Moysis dicta est sepulchrum, in quo erat sepultum euengelium: Ita pariter dicitur venter, & vterus, in quo Christus latebat, tanquam in prægnante. Nam sicut prægnans in tempore perfecto parit, & reddit fætum, & arbor fructum maturum: ita pariter lex vetus, quæ Christo fuerat grauida à principio peperit, & edidit

Testimonium. Domini. Sermo Dei. Lex, via, semita, & iter dicitur. Præceptū. Virtus q.d. Iustitia. Veritas. Lex dicitur. Diuina veritas. Diuina volūtas quid. Lex vetus quæ, & cur sic. Lex Moysis mortua est simul cum Christo. Nota. Ioann. 1. Lex euangelica quid est. Lex Moysis est sepulchrum & venter.

Christum, qui postmodum consecrauit matrem eius, id est, legem veterem, quo ad spiritum, conseruauitq; multa facta in ea, præsertim illa, quæ facienda erant per Christum Dominum nostrum: vt patet hic de ieiunio, quod prætulerunt lex, & Prophetæ, & postmodum consecrauit illud Christus Dominus noster, & approbauit. vt Matth. 4. patet. Est tamen differentia inter legem Moysis, & & legem Christi: lex si quidem vetus data fuit, cum grandi comminatione, & per modum præcepti sub comminatione mortis, vt patet in plerisq; locis: sed lex euangelica data fuit à Christo per modum consilij: ideo lex euangelica dicitur consilium. Matth. 19. vnde dicit: si vis ad vitam ingredi, serua mandata moralia tantum; & ideo lex euangelica dicitur lex libertatis, & gratiæ: illa autem dicitur lex subiectionis, & seruitutis. Item lex euangelica est dispositio totius vitæ nostræ, vt nos bonos efficiat, & Deo caros, & acceptos in vitam æternam, in quatuorq; consistit, primo præcipit diuinum cultum, cum dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex tot corde tuo, &c. & præcipit omnem innocentiam, & iustitiam, & puritatem, cum dicit: Beati mundo corde: Ioann. 14. Matth. 6. Tertio prohibet omne vitium, & separat prauos à iustis in meritis, cum dicit: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Matth. 7. Quarto minatur perpetuam pœnam obstinatis in iudicio, cum dicit: Ite maledicti in ignem æternum. Habes de lege, nunc de Prophetis disseramus. Et quidem Prophetarum alij maiores, vt Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Dauid: nuncupantur alij minores, vt sunt: Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Abbachuc, Sophias, Aggeus, Zacharias, & Malachias, qui sunt sexdecim, figurãtes quatuor Euangelistas, & duodecim Apostolos. Et dicuntur Prophetæ: quia futura prænũciauerunt & prædixerũt in veteri testamẽto omnia mysteria nostræ redemptionis de Christo, & Ecclesia: & talia prædixerunt in diuina inspiratione, & illa mysteria ex lumine prophetico, & spiritu sancto sibi collato intellexerunt. ¶ Pro solutione vero quartæ quæstionis supra præpositæ dicimus, quod bene hic à nostra alma, id est, virgine, matreq; Ecclesia Christus noster vocatur Rex omnium, atque factor temporum. Rex enim est, scilicet, omnium temporalium Regum, & in quantum est Deus, & Dominus, imo, & Dominus Dominantium, & Rex Regum, de quo cantat Ecclesia: Ecce aduenit Dominator Dominus, & Regnum in manu eius, & potestas, & imperium. Vnde Daniel ait: Aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes

Matth. 4.
Matth. 19
Exod. 31.
Lex euangelica in quatuor cõsistit.
Prophetarum alij maiores nũcupantur alij minores.
Sexdecim Propheta quid significant.
Christus quomodo sit Rex omniũ.
Apoc. 19.
Daniel 7.

& omnes populi, & tribus, & linguæ ſeruient ei: Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur ab eo, & Regnum eius, quod non corrumpetur. ¶ Verum factor temporum etiam Christus hic dicitur eſſe omnium; quoniam tamquam patris ſui brachium, & ars, ac dextera, cælum, & terram ipſe creauit, viſibiliumq; & inuiſibilium factorem illum eſſe cantat Dei Eccleſia: ipſe enim non ſolum tempora Eliæ, tempora Moyſis, tempora ſancti Noe, tempora Abraam, Iſac, & Iſrael, & ſic deinceps fecit; ſed & noſtra etiam tempora. Merito igitur poterat iſtud iſtorum ſanctorum quadrageſimale tempus conſecrare, & aliud nouum inducere, ac innouare, & conſecrare. Ad hæc factor temporum poteſt Chriſtus dici, in quantum ipſe facit ſolem ſuum quotidie oriri, deinde ad occaſum pergens ipſe noctem cauſat, & in quantum facit ſolem, & lunam, & ſtellas ſucceſſione quadam diuidere tempora, & temporum interſtitia afferre, & in quantum dies eſt nocte aliquando longior, & è contra; vnde ſapiens ait: Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum, & ſol diem: & alibi: facitque ex vno omne genus humanum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta temporum, & terminos habitationum eorum. Pari modo in quantum hyems eſt humida, & frigida, & æſtas ſicca, & calida: ver autem participans caloris æſtatis, & frigoris hyems, optimum fit temperamentum. Et in quantum multa iſtiuſmodi quotidie fieri videmus, modo cuiuſnam opere, & munere dicemus, niſi creatoris eorum? Hæc igitur omnia facit Deus, creator omnium, qui vere factor temporum dici poteſt. Nam & Dauid ſanctus in ſpiritu & hoc teſtatus eſt dicens: Fecit lunam in tempora, ſol cognouit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; ortus eſt ſol &c. ¶ Nouiſſimo loco nota, quod quando dicitur in hymni litera: Poſtmodum Chriſtus ſacrauit hoc, ſcilicet, Moyſis, & Eliæ ieiunium, ita eſſe intelligendum, ſcilicet, quod Chriſtus hoc quadrageſimale ieiunium ſacrauit, non ob hoc, quod Moyſe, & Elia inferior ipſe videretur, ſed vt numerum hunc quadragenarium commendaret. Nam per quadraginta dierum numerum tolli voluit iram Dei, quæ quadraginta diebus ſæuit in diluuio. Geneſ. 7. & de iſto ſacratiſſimo numero quadragenario, vide, quæ dixi in prima editione expoſitionis hymnorum. *Vtamur ergo parcius, Verbis, cibis, & potibus, Somno, iocis, & arctius, Perſtemus in cuſtodia.* ¶ Singula ſupradicta hæc verba diſpicientes, ac conſiderantes dicimus,

Chriſt' factor temporũ eſt multiplici ratione.
Geneſ. 1.
Pſal. 145.
Eccleſ. 33.
Act. 17.
Quatuor anni temporum qualitates quæ.
Pſal. 103.
Chriſtus nõ ieiunauit, quia eſſet inferior Moyſe, & Elia; ſed vt numerum quadragenarium commendaret.
Nota.

dicimus, quod hic primo verbis parcius vti præcipimur: ne quod dicimus ore, in damnum possit euenire. Nam semel emissum volat irreuocabile verbum. Vnde Bernardus: Omnis homo quocunque modo, qua sede moratur, prouideat, quando taceat, vel quando loquatur. Et Hieronymus: Silentium est signum sapientiæ, loquacitas signum stultitiæ. Debemus igitur os nostrum claudere tempore, & ad tempus aperire; sicut ostium quandoque aperitur, & aliquando clauditur. Vnde Salomon; Tempus tacendi, & tempus loquendi. Et sic concludimus: Virtutem primam esse puto compescere linguam: Vicinus si quidem, idest, dilectus, est ille Deo, qui scit secundum rationem tacere, idest, qui quandoque scit tacere, & quandoque loqui. ¶ Parcius item vtamur cibis, si quidem, qui cibo, & potu sunt onusti, horum mens est sic compressa, vt neque Deum intueri, neque quid sibi velit oratio, cogitare possit. Vnde ait Bernardus: Crapula vitetur, ne corpus, mensq; grauetur. Nausea non detur, vt morbus non generetur. Mens non damnetur, ne vita breuietur: Tempora longæui breuis esca tibi dabit æui. Et ille alter ait: esse oportet, vt viuas, non viuere, vt edas. ¶ Porro & potibus vti parcius debemus. Nam non intuearis, inquit sapiens, vinum; quando flauescit, cum splenduerit in vitro calor eius; ingreditur blande, & in nouissimo mordebit, vt coluber; & sicut regulus venena diffundet. Et alibi: Vinum, & mulieres faciunt aposthatare sapientes. Ergo vino te tempera: quia in illo est luxuria, vt febris in anguilla. Itaque in omnibus, inquit Basilius Magnus, locis cibus, qui sit ad victum necessarius, solerti ratione inquirendus: condimentorumque elaboratæ blanditiæ, vt voluptatis illecebræ, repudiandæ. Si enim panis confirmat cor hominis; non opus est vltra cibum vitæ necessarium huiusmodi liquamina temere admittere. ¶ Amplius & somno similiter nobis vtendum esse parcius, hic mãdatur in hoc sacro quadragesimali tẽpore; quia dicit Dominus: Vigilate, vt non intretis in tentationem; & quia nescitis, qua hora fur veniat. Et Ecclesia cantat: Non sit, inquit, vobis vanum mane surgere ante lucem; quia promisit Dominus coronam vigilantibus. Vnde versus: Sunt promissa bona vigilantibus, atq; corona. Se bene ditabit meritis, bene qui vigilabit. Sunt dormientes reprobati, non vigilantes. Vnde Dominus ad virgines dormientes dixit: Nescio vos. Demum de somno audi Basiliũ præfatum: Somni, inquit, sint leues, & tales, vnde excitari sit facillimũ: naturaliter victus commensurationi respondentes, deniq; & qui ad modum exercitij magna-

Debemus os nostrum claudere tẽpore, & tẽpore aperire sicut ostium. Cato. Crapula reprehenditur. Bernardus. Prouer. 23. Vini mala. Eccles. 19. Basili⁹ Magnus in lib. de vera virginitate. Somno breui vti debemus, & cur. Matth. 29. Versus. Basilius ibidem.

magnarum rerum curis interrumpantur. ¶ Vltimo & iocis parcius in hoc acceptabile tempore vti exhortamur: quia vt sacerdotes diuinis rebus, non iocis, ac facetijs, quibus hystriones, ludiones, & huiusmodi intendunt; mancipati sumus. In sortem enim, ac partem hæreditariam Christi assumpti sumus; cuius merito diuinis semper, non profanis, aut sæcularibus inhærere debemus. Et quamuis, iocus proprie sit risus, vel facetiæ lepor, vel festiuitas; verisimile tamen sit, vt sancta Dei Ecclesia hic voluerit etiam comprehendere alearum, & taxillorum ludos, & id genus reliqua: quæ non tantum prohibentur clericis, sed etiam ne intersint ludo cap. clerici de vit. & honest. cleric. Nam ludo pecunia perditur, visus caligatur, cupiditas excitatur, iracundia prouocatur, homicidium perpetratur: Diabolus inuocatur. Vnde bene Cato monebat pueros, vt fugerent aleas, & trocho luderent. Trocus enim desuper est amplus, & infra restrictus, quo ludunt pueri; quod significat quod ludus parum debet habere de terrena voluptate; sicut trochus solum cum parte acuta currit super terram, & modicum occupat de terra; ita nos cito debemus amoueri à tali ludo, & ad cælestia intendere ampla, ac tota mente. Hinc est quod sanctissimi nostri Pontifices mandarunt (vt paulo ante dictum est) vt clericus lusor, aut cesset, aut deponatur, vel degradetur, quod & Concilium Tridentinum confirmauit. Fugiamus ergo ludum, & maxime eum, quem Aleus, miles Græcus in obsidione Troiana adinuenit; nempe, alearum. Alea enim dicitur ab allos, quod est alienum; quia ludentes à rebus suis alienant; imo secundum Horatium damnosa, præcepsq; alea hominem nudat: quare Augustini dictū, ac monitum obseruemus, qui dicit: Tempus, quod nobis curiosus tabulæ ludus solebat auferre, lectio diuina incipiat occupare. ¶ Nouissimo loco in custodia, & cura multa hoc quadragesimali tempore standū esse nobis hic præcepit sancta Dei Ecclesia; quanti enim refert sibi bene cauere, & se custodire, præamandi fratres, & non modo huc, modo illuc vagari, Dina scit, ac testatur nobis. Si enim illa, quando pater eius Iacob venit in terram Sichimitarū, non egressa esset, vt videret mulieres illius regionis, & etiam si se cohibuisset, & inter suos remansisset, ab extraneo raptore Sichimi filio Regis terræ illius, non rapta, ac corrupta fuisset, & propterea Nicolaus de Ploue in tractatu suo sacerdotali scriptum sic reliquit, dicens: Cælla tibi, quasi cælum sit, qua cælica cernas. Hic legis, hic horas, meditaris, crimina plangis. Pax est in cælla, foris autem plurima bella. *Vitemus autem pessima, Quæ subruunt mentes vagas; Nullumq; demus callidi, Hostis locum tyrannidi.* Vitemus, dico, &

Iocis parcius vti debemus.

Nota.

Iocus quid

Concil. Trident. sess. 14.

Ludi mala quæ.

Cato.

Trochus quid signet

Concil. Tridentin. sess. 14.

Horatius.

August. in ser. fer. 4. inca. ieiun. serm. 1.

Vagari huc, atq; illuc perniciosum est.

Genes. 34.

Dis. 5. c. cū fideres de panit.

ua religione, & cultu, & reuerentia, & carnalibus demum operationibus offendimus, Deus, tuam clementiam, & misericordiam, quia Deus, secundum Ioelem, est benignus, & misericors, atq; præstabilis super malitia. Et nota quod clementia est virtus spectans ad principes,& præsides moderatiua pœnarum, reis infligendarum, & inclinans ad misericordiam ipsis adhibendam. ¶ Et quia tu pius, & misericors,& dixisti: Nolo mortem peccatorum, sed vitam, & vt conuertantur, & viuant per cordis compunctionem; ideo: *Effunde nobis desuper Remissor indulgentiam.* ¶ O Remissor, & condonator delictorum, & peccatorum: Deus, qui tota die tu misereris, & commodas: qui Mariæ Magdalenæ, quæ erat mulier in ciuitate peccatrix: qui Petro, qui iuramento te negauit, dicens: Quia non noui hominem: qui Dauid, qui Vriam percussit gladio, & vxorem eius accepit: qui sedenti in telonio: & qui etiam Adamo, & Euæ remisisti sua peccata, nunc nobis etiam desuper, hoc est, à cælo, & à supremo solio tuo, effunde, & emitte, indulgentiam, ac veniam omnium nostrorum delictorum, &: *Memento quod sumus tui: licet caduci psalmatis, Ne des honorem nominis, Tui precamur alteri.* ¶ Q. d. Sancta Dei Ecclesia: Recordare Domine, quod sumus tui, & creaturæ tuæ, & recordare,quod sanguine tuo sumus etiam redempti: Et quamuis simus caduci plasmatis, hoc est, fragilis operis, & mortalis figmenti,nam de luto, siue de argilla, alias creata, facti sumus. Vnde Isaias: & nunc Domine, inquit,pater noster es,nos vero lutum, & factor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos, nihilominus propter hanc nostram caducam naturam nolles alteri honorem tuum, hoc est, nos Christianos, qui nomine Christi, Christiani vocati sumus, dare, ac concedere, & permittere, vt alius vsurpet nomen tuum. Honor enim diuini nominis est creatura rationalis,Dei imagine insignita, ad hoc condita, vt in ea honoretur Deus. Petimus hic ergo, ne Deus ipse animas nostras ad sui nominis honorem creatas, permittat potestati Diaboli, qui omnino à Deo alienus est, eiq; contrarius. Ne ergo alter nominis tui honorem habeat, aut occupare præsumat, ideo, ò Domine: *Laxa malum, quod gessimus: Auge bonum,quod poscimus, Placere quo tandem tibi, Possimus hic, & perpetim.* Amen. ¶ Ad præmissorum carminum intellectum, primo notandum est, quod petimus nobis remitti nostra delicta, ac peccata, quæ hucusq; commisimus, ac gessimus. Secundo notandum est, quod bonum, quod poscimus, est (vltra indulgentiam, quam paulo ante petiuimus) gratia tua domine, & etiam vita æterna, vt hic cum tua gratia, scilicet, in hoc mundo, & in

Ioel. 2. *Clemētia quid.* *Ezech. 33.* *Psal. 36.* *Luc. 7.* *Math. 26.* *2. Reg. 12.* *Marc. 2.* *Luc. 5.* *Corpus humanū natura fragile est, & caduci figmēti.* *Honor Diuini nominis est creatura rationalis, & cur.* *Bonū quod nobis hic augeri petim', quod nam sit.*

DIlecta nunc Christi sponsa Ecclesia sancta, patris sui per gratiam audita voce, scilicet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; sponsum suum Christum statim accepit, sequuta est, & ad eum venit, quocum semper mansit dilectissima. Ac quia eiusdem sui sponsi ipsa cognouit erga se, ac etiam erga nos eiusdem filios pietatem; longam quidem ad expectandum, vt nos ad eum conuertamur, & propterea hoc genus orationis eructauit ad eum, nempe: *Iam Christe sol iustitiæ, Mentis diescant tenebræ, Virtutum vt lux redeat, Terris diem cum reparas*, & quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus sancta Dei Ecclesia, quæ hunc ipsamet cantat hymnum, primo petit à Deo, vt cum dies erit (in Aurora enim hunc canimus hymnum, quando clara non dum est dies) tunc Christus, vt lux omnium virtutum in nobis redeat, maneatq; semper nobiscum; quo omnia diuina opera cum eius voluntate fiant. Secundo rogamus Deum, vt in hoc quadragesimali tempore tribuat nobis cor pœnitens; & quos longanimitate ipsa pietas expectauit; sua benignitate ad se conuertat. Tertio postulamus gratiam ab eodem Domino, vt salutarem pro peccatis nostris agamus pœnitentiam. Quarto petimus vt sicut olim in die Paschatis fuimus redempti; ita in eodem die sancto indies magis lætemur adducti in eius gratiam per præcedentem pœnitentiam nostram. Quinto petimus, vt efficiamur mundi, & noui per eius indulgentiam; vt sic mundi, & puri, per suam veniam possimus omnes, quotquot sumus, sanctissimam adorare Trinitatem, & in posterum concinere hymnum. Amen. Secunda pars est ibi. Dans tempus acceptabile, & pœnitens cor tribue. Tertia est ibi: Quiddamq; pœnitentiæ da ferre. Quarta est ibi. Dies venit. Quinta, & vltima est ibi. Te rerum vniuersitas. ¶ Verum ad præmissorum quatuor versuum maiorem elucidationem, primo notandum nobis est; quomodo hic Christus, dicitur sol iustitiæ. Secundo videndnm est, quidnam sit diescere; & quid hic per tenebras debeamus intelligere. Tertio est notandum, quæ nam sit ista lux virtutum hic posita. Ad primum quæsitum dicimus, quod vere Christus est sol iustitiæ: Sancta Ecclesia canit, dicens: Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annunciauit in vniuerso mundo; ex te enim ortus est sol iustitiæ, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Vnde in Malachia legitur sic: Et orietur, inquit, vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento. Sicut ergo sol per suam præsentiam causat diem, & lucem in nostro hemisphærio; in qua luce omnia videntur.

&di-

Psal. 44.

Hymni huius author est sancta Dei Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Christus quomodo sol iustitia dicitur.

Malach. 4.

ram: proinde antequam nos moriamur, petimus à Deo dari tempus acceptabile, & tempus remissionis nostrorum peccatorum, in quo tempore possimus habere cor contritum, & pœnitens, ac humiliatum, ad vias Domini custodiendas: nam tempus est nunc, idest, dum sumus in præsenti sæculo, remissionis pœnitentibus, quod non erit tempus post mortem nobis negligentibus confiteri scelera nostra: nam veniet nox, in qua nemo potest operari, ideo tempus acceptabile, ac tempus remissionis peccatorum nobis hic in mundo dari, antequam moriamur, à Deo flagitamus, vt conuertat nos Dei benignitas, quæ est affectio animi, gratis bona tribuentis, ac hilariter propter Deum quicquid potest, largientis: da nobis insuper, Domine, cor pœnitens, & cor contritum, idest contritionẽ nostrorũ peccatorũ quæ sit bona voluntas per tuã gratiã excitata, vt strenue satisfaciat præ dolore in spe gratiæ, ac nunquã peccare proponat, & omnia, quæ ad peccatum trahere possunt, à se totaliter remoueat; & ita in Domino perseueret. *Conuertat vt benignitas, Quos longa suffert pietas*, idest, ipsa Dei clementia, misericordiaq; ac mansuetndo, & ipsamet Dei benignitas. O Dei pietatem, ò benignitatem, ò Dei infinitam clementiam, quæ tamdiu suffers, vt ad te conuertamur. O miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors, expectans cõuersionem nostram, ac quotidie clamans ad nos: Conuertimini, inquit, à vitijs vestris pessimis: nolo mortem impij; sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Ex omnibns supradictis concludimus, quod Deus noster magis pronus est ad misericordiam pœnitentibus; quam ad puniendum. Nam ratione animæ rationalis, quam ad suam imaginem creauit, diligit in tantum hominem, quod non permittit, nec sibi placet, vt anima maneat in peccato deturpata, ac subiecta. Item ratione abominationis peccati; quia Deus in tantum odit, & detestatur peccatum, quod semper est paratus destruere ipsum per gratiam, & pœnitentiam: item rationem humanæ fragilitatis, cui Deus semper compatitur: item ratione suæ magnitudinis, quia magnanimus non æstimat, imo vilipendit iniuriam sibi factam: item ratione liberalitatis, quia liberalis, & magnificus semper est pronus soluere pro paupere indigente: item ratione paternitatis, in quantum Deus est noster pater, ideo est semper pronus ad parcendum eius filijs: item ratione fraternitatis, quia filius Dei factus est frater noster, carnem humanam assumendo: item ratione experimentalis pietatis, quia Deus voluit experiri fragilitatem nostræ carnis, vt disceret cæteris misereri; ideo recordatus est, quoniam puluis sumus, quia cognouit figmentum, & fragilitatem nostram per experientiam. Vltimo

Ioan. 9.

Benignitas quid.

Contritio vera quæ sit.

Pietas quid hic sit.

Psal. 103.

Ezech. 18. & 33.

Deus magis pronus est ad misericordiam, quã ad punitionẽ multiplici de causa.

Nota.

Psal. 110.

Deus

& fuit ibi blaſphemia, & ſacrilegium, in quantum Deitatem vſurpare tentauerunt. Et ideo Chriſtus in cruce voluit pro omnibus mori, & dare mortem tẽporalem pro morte æterna, & vitam pro vita, animam pro anima, & dentem pro dente, & oculum pro oculo, & totum pro toto, & partem pro parte, & ſic verificauit illud præceptum iudiciale, & multa alia, quia pro peccatis omnium præteritorum, & futurorum mortuus eſt, & pro omnibus furtis, & rapinis, & adulterijs, & cæteris ſceleribus ſatisfecit in ſua paſſione: item non ſolum verificauit in ſe præcepta iudicialia pro omnibus ſatisfaciendo, ſed etiam ipſa iudicialia declarauit mutando forum, & pœnam iudicialem ſæcularem in pœnitentialem, & ſpiritualem. *Pœna ſæcularis mutata eſt per Chriſtum in pœnã ſpiritualem.*

¶ Ad cuius rei intellectum notandum eſt, quod ille forus iudicialis, & punitio veteris legis, figurabat forum, & punitionem pœnitentialem legis euangelicæ per Chriſtum inſtituendam, & ideo demi poſſunt peccata noſtra (vt dictum eſt) per pœnitentiam. Nam licet in punitione pœnitentiali per Chriſtum inſtituta, non detur oculus pro oculo, & dens pro dente, & vita pro vita ciuiliter: nam quando venit homicida, aut mutilator membrorum, aut latro ad confitendum, tunc Eccleſia, ſiue ſacerdos licet non interficiat corporaliter homicidam, ſiue mutilatorem pœnitentem; tamen præcipit ipſum occidi ciuiliter mundo, ideſt, quod fiat religioſus, & priuet ſe ipſum delitijs mundanis, & iugiter agat pœnitentiam, & oret pro illo, quem occidit. Et ita pariter præcipit mutilatori, quod nutriat ex proprijs bonis temporalibus illum, cuius membrum nutilauit. Item præcipit latroni, vt reſtituat furtum, & omne male ablatum, & etiam ſatisfaciat pro damno illato: Et ſic præcipit luxurioſo, vel auaro, vel iracundo, vt abſcindat membrum, quod ſcandalizat ipſum, non corporaliter, ſed ſpiritualiter; & hoc ex præcepto Chriſti. Matth. 18. ſi oculus tuus, aut pes tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. quod non eſt intelligendum de membro corporali, ſed ſpirituali, ſcilicet, de mala intentione, & cogitatione, & peruerſo propoſito, & occaſione. Et ad hoc propoſitum dicit infra cap. 19. quod multi caſtrauerunt ſeipſos propter Regnum cælorum: qui poteſt, capere capiat, &c. & ideo Chriſtus remittebat peccatores omnes ad pœnitentiam, dicens, vade, & noli amplius peccare. Et ſic licet non lapidauerit adulteram lapidibus materialibus; tamen lapidauit eam lapidibus ſpiritualibus, ſcilicet, compunctionis, & contritionis, & pœnitentiæ; & ſic dicendum de cæteris peccatoribus. Nam licet Chriſtus non occideret eos, quo ad ſubſtantiam, tamen occidebat in eis peccatum, ſuſcitando in eis fidem, & gratiam, quod & in nobis etiam miſeris peccatoribus

Forus, ſeu punitio vet. leg. figurabat ſacramentũ pœnitentiæ.

Matth. 18.

Matth. 19.

Chriſtus peccatores ad pœnitẽtiã remittebat.

toribus facere velit, hic petimus in præmemoratis hymnicis verbis, Amen. *Dies venit dies tua, In qua reflorent omnia, Lætemur in hac, vt tuæ, Per hanc reducti gratiæ.* ¶ Ad intelligentiam istorum quatuor carminum, videndum est primo, an de die iudicij hic Dei Ecclesia loquatur, an vero de Paschali. Secundo notandum est, quantæ fuerit nobis vtilitatis dies Pachalis, seu resurrectionis. Tertio aduertendum est, cur hic lætari ab Ecclesia exhortemur. Ad primum respondemus, quod sunt aliqui, qui dicunt, quod dies hic intelligitur de die iudicij. Hinc est, quod supra petiuimus à Deo; vt concederet nobis aliquod tempus ad pœnitendum, antequam ad iudicandum nos ipse veniat, dicentes quilibet nostrum cum Iob: Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. At aliqui dictitant, quod dies hic, dies Dominicus, & resurrectionis est. Nam triumphali sua resurrectione Deus illum consecrauit, & sanctificauit: vnde in denominationibus dierum hebdomadæ, dies illi respondens per totum anni circulum, vocatur dies Dominicus, de quo canit Ecclesia: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Hunc item diem Dominicum, & diem sanctum resurrectionis præconizat multum Maximus Episcopus in sermone feriæ secũdæ Paschæ, cum inquit: Hæc dies, quam fecit Dominus, bonus plane est dies, qui lucem intulit vniuersis. Verum non huius sæculi lucem, sed resurrectionem lucis æternæ: lux enim ista non caliginem noctis detulit; sed mortis tenebras amputauit. Bonus, inquam, dies, & melior hic, quam ille, in quo primum mundus enituit: ille enim hominibus ad laborem creatus est, hic factus est ad quietem; ille mortem meruit, hic formidinem mortis euasit: ille bonis, malisq; communis est, hic proprius est iustorum: illius diei lux tenebris repellitur; huius diei splendor etiam sepulturas illuminat. Ad postremum illius diei lucem mortui non vident; huius diei lumen etiam defunctis emicuit, sicut ait Propheta: Iis, qui sedebant in vmbra mortis, lux orta est eis: Et ideo ad hanc lucem, & ad præsentiam lucis, quæ vt sol rebus omnibus orta est; omnia reflorent tam corporaliter ob vernam temperiem, quam spiritualiter ob nouam humano generi reparatam vitam: vnde apte subiungit litera: Lætemur in hac die, scilicet, resurrectionis, Christi, & die Paschali; quia reducti, idest, redempti, ac consequenter addicti gratiæ Dei, vel ad gratiam adducti sumus per hanc sacratissimam resurrectionis Christi diem. Per Paschale si quidem mysterium nos reconci-

Diei hic po siti, bifariã est intelligendum.

Iob. 10.

Diei resurrectionis fructus, & vtilitas.

Nota.

Lætari cur debemus in hac die sãcto Paschatis.

conciliati sumus cum Deo, ad vitamq; vocati. Propter hanc tuam ergo resurrectionem, propter quam res omnes reflorent: ac propter gratiam, quam tu contulisti nobis Domine: *Te rerum vniuersitas, Clemens adoret trinitas, & nos noui per veniam, Nouum canamus canticum*, Amen. ¶ Hic Ecclesia sancta in primis duobus carminibus prohibet, & damnat Idololatriam, obseruationesq; superstitiosas, vsum artis magicæ. Sed docet, atq; exigit, vt nullam prorsus creaturam, quantumuis excellentem pro Deo habeamus (sicut Gentiles, qui adorabant solem, tanquam Deum, quem Phæbum, ac Appollinem vocant, & adorabant lunam, quam Dianam, vel Lucinam, & Iunonem vocant, & adorant etiam stellas, in quibus putant stellificatos famosos Principes, Iouem, & Mercurium & Herculem) sed vnum verum Deum, æternum, immensumq; credamus, & confiteamur; & vt super omnes eum colamus, inuocantes, adoremusq; omnes sanctissimam Trinitatem, quæ est super omnia benedicta, & omnis gratiæ, & gloriæ largitrix. ¶ Verum ad superiorum veriorem intellectum aduertenda sunt nobis tria, nempe, quid hic vniuersitatis significatione intelligimus. Secundo quærendum, quomodo nos noui effecti sumus. Tertio obseruandum est, quid per canticum nouum intelligere debemus. Ad primam quæstionem respondemus, quod per rerum vniuersitatem hominem principaliter intelligi credimus. In ipso siquidem, inquit Beatus Gregorius in lib. Mor. cap. 7. & vera species, & magna communio vniuersitatis ostenditur. Omne namq;, quod est, aut est, & non viuit, aut est, & viuit, sed numquam sentit. Aut est, & viuit, & sentit; sed non intelligit, nec discernit. Aut est, viuit, & sentit, & intelligit, & discernit: sunt namq, lapides, nec tamen viuunt: sunt arbusta, quæ viuunt quidem, nec tamen sentiunt. sunt bruta animalia, quæ viuunt, & sentiunt, nec tamen intelligunt, nec discernunt: sunt Angeli, qui viuunt, sentiunt, & intelligendo discernunt. Homo itaq;, quia habet esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum Angelis; recte nomine vniuersitatis exprimitur, in quo iuxta aliquid ipsa vniuersitas tenetur. Vnde, & discipulis veritas dicit: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: omnem, videlicet, creaturam, solum intelligi hominem uoluit, cui commune aliquid cum omnibus creauit. ¶ Ad secundam nunc propositionem dicimus, quod nos noui facti sumus; quia nouos effecit nos, quos sub peccati iugo uetusta seruitus tenebat, noua per carnem Christi natiuitas, atq; gratia illa, quam ex confessione peccatorum nostrorum, recte, & humili corde facta sacerdoti; nec non

Idololatria damnatur hic ab Ecclesia.

Gentiles adorabant solē, lunā & stellas.

Rerū vniuersitatis nomine quid significetur.

Nota.

Lapidum proprium.

Brutorum proprietas.

Angelorū quid est.

Matth. 16

Noui quomodo efficiamur per veniam.

& illa

& illa, quam ex sumptione sacratissimi corporis Christi consecuti fuimus: qui enim, inquit Dominus, manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: & ideo propter huiusmodi gratiam canamus posthac tibi, Domine, perpetuo iubileum nouum, & canticum nuper, & recenter in lucem editum. Vel canticum nouum, idest, secundum Basilium Magnum in Psal. 32. non in legis scriptæ vetustate, sed in nouitate spiritus Deum adoremus. Qui enim legit, non historiam, sed spiritualem accipit sensum, hic canticum nouum cantat. Vel per canticum nouum, ipsam legem (quod fere idem est, quod asserit Basilius Magnus) Euangelicam, quam nunc nos cantamus, & prædicamus, quadrupliciter intelligere fas est. Primo quia omnia antiqua cæremonialia, & legalia abiecit, & repulit, scilicet, festiuitates, & sacrificia, & sacramenta veteris legis, &c. eo quod omnia compleuerunt cursum, & officium suum in Christo. Secundo lex Euangelica dicitur canticum nouum, eo quod Christum nouum Regem recepit in antiqua lege promissum. Tertio quia repudiatis antiquis legalibus, nouas festiuitates, & noua sacramenta celebrat, & nouum, & Deo placitum, & acceptum offert sacrificium Eucharistiæ. Quarto dicitur canticum nouum, quia exaltat mansuetos, & humiles, & deprimit superbos. Quare ò beata Trinitas, præsta, vt nobis famulis tuis ieiuniorum munera, abseruationes, seu oblationes ieiuniorum nostrorum afferant bonos fructus, ac vtilitatem animæ nostræ, tibiq; acceptabilia sint, ac bene placita. Amen.

Ioann. 6.

Canticum quid hic signet.

Basil. Magnus.

Lex Euangelica canticum nouum dicitur.

In Dominica Passionis ad Vesperas Hymnus Tertiusdecimus.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis mysteriũ,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo,
Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos à morte tolleret,
Manauit vnda sanguine.
Impleta sunt, quæ concinit
Dauid fidelis carmine:
Dicens in nationibus.
Regnauit à lingno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachijs
Saecli pependit precium:
Statera facta corporis,
Prædamq; tulit tartari.

O crux

O crux aue spe vnica,
Hoc passionis tempore,
Auge pijs iustitiam:
Reisq; dona veniam.

Te summa Deus Trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Saluas, rege per sacula. Amē.

HActenus nostra sancta mater Ecclesia celebrauit à septuagesima tempus pœnitentiæ, vt se ad sanctissimam Christi passionem (suo compatiens Domino, vt capiti membra) præpararet, à quo omnis pœnitentia vigorem sumit. Ad hoc ergo tempus cum iam peruenit (quasi de hostium victoria secura) exultans clamat: *Vexilla Regis prodeunt, Fulget crucis mysterium, Quo carne carnis conditor, Suspensus est patibulo*. Et reliqua. ¶ In quibus omnibus primo per Beatum Ambrosium, præsentis huius hymni authorem, licet aliqui Theodulpho, aliqui Fortunato, alij sedulio hoc ascribant canticum, recensentur Dominicæ passionis mysteria, & præclara viuificæ crucis præconia. Tertio ad eam piam dirigimus orationem, vt nobis sit munimentum, & præsidium. Secunda pars est ibi: Arbor decora, &c. Tertia est ibi: O crux aue spes vnica, &c. ¶ Sed si vitam, & animam huius hymni cognoscere cupimus; attendemus diligenter, quæ hic inferius ponuntur. Et primo quatuor prima carmina considera, in quibus reperies vnum mirabile, quod est, vt in cruce, & in passione, in qua tenebræ, & nubila, & obscura, & turbida omnia esse videntur (etenim cum carni, & sanguini nihil tam horribile, & tam infame, omniq; tam plenum terrore sit, quam crux ipsa) totum tamen in Christi Domini passione, contrarium, & oppositum est; quia fulget mysterium crucis. Secundo considera, quod quanquam horrendum, & infame videatur, vt Deus conditor carnis sua in carne patibulo suspendi, vulnerari, & lancea perfodi voluerit; nihil tamen mirandum, quia totum hoc factum est, vt vnda, veluti sanguinis flumen è sanctissimo corpore suo emanante, lauaret nos à crimine. Tertio considera hoc totum, quod tam horrendum videtur spectaculum, Christum, nempe, crucifigi voluisse, non casu, neque fortuna contigisse, sed Diuina, ab æterna, disponente voluntate, sicut bene quondam cecinit fidelis Dauid Propheta suo carmine? Quarto considera non amplius crucem esse infamem, sed decorosam: non amplius tenebrosam, & nubilosam, sed fulgidam, non amplius maledictione damnatam, sed veluti regis purpura ornatam: non amplius maledictam, sed honore omni dignam, postquam meruit tam sancta membra, Christi nempe, tangere. Quinto nota, quod

Hymni huius author Ambrosius.

Hymni diuisio, & summa.

Alia hymni diuisio. Vnum mirabile est in primis quatuor versibus.

ta, quod non decorosum tantum, sed fulgidum, non regia purpura ornatum, non eligendum, non omni honore dignum solum, sed beatum stipitem dicere debemus, quandoquidem ipse suis brachijs, vel vt iustissima statera, ponderauit, heu rigoroso examine, precium, Christum, videlicet, Dominum nostrum, quo mundus esset emptus, quod precium diuinæ faciens satis iustitiæ, ipsa non reclamante, sed consentiente, & in fauorem tanti precij sententiam ferente, captiuam duxit captiuitatem, tartariq; tulit prædam, & æternis, beatisq; Regis illam intulit donis. Sexto collige ex hac præsenti hymni litera, quod humi iacentes, & terræ prostrati, clamare debemus omnes: *O crux aue spes vnica, Auge pijs iustitiam, reisq; dona veniam*, & precipue in hoc nobis tam fausto tempore tuæ gloriæ, opusq; tuum perfice; singulare enim, & tuum est proprium, & iustis, nempe, augere iustitiam, reisq; donare veniam. Septimo demum loco sanctissimam trinitatem omnis spiritus, omnisq; Angelorum chorus, laudare, & benedicere debere inuitatur cum hominibus. eorum namq; per hoc tam sacrosanctum Crucis mysterium in æternum alterum redemit, & alterum reparauit.

Homo redemptus per crucis mysterium Angeli vero reparati

¶ Verum nunc circa singulorum hymni verborum explanationem notandum primo est, quænam sint vexilla insignia militaria, & Principum, Regumq, ac etiam hic passionis Christi. Secundo notandum, quid per crucis mysterium intelligendum sit, quidq; mysterium sit. Tertio quid per carnem hic accipiendum sit. Quarto notandum est, quid patibulum hic signet. Ad primum dicimus, vexilla esse signa militaria Principum, & Regum, quæ quando cum hostibus manus conferuntur, in bello eriguntur. Item modo sunt insignia sacra passionis Domini Nostri Iesu Christi, & vexilla, quibus antiquum debellauit hostem, & Principem mundi huius eiecit foras, qualia sunt largo modo, acetum, fel, arundo, claui, lancea perforati corporis, corona, dies passionis, rationes patientis, illusiones inimicorum, & insidiæ eorum; quæ omnia mysterium crucis, & passionis Christi dici possunt. vel per crucis mysterium, altaris sacrificium intelligere etiam possumus. Nam per crucem altare habemus, imo altare est velut crux clausa, sicut crux est veluti altare apertum. Si enim crux complicetur quadrum altare facit: si autem altare explicetur per quatuor partes, crucem format; ex quibus sacrificium facimus singulariter, ex immolatione enim crucis sibi fit altare, in quo sacrificamus. Ad hæc nota, quod mysterium, secundum beatum Gregorium, dicitur ob id, quod secretam, & reconditam habet dispensationem, idest, virtutem, & gratiam à Deo dispensatam, & collatam. Vnde Dominica sacramenta pro-

Vexilla quid sint.

Vexilla passionis Christi.

Greg. 19. c multi.

Mysterium quid.

ta pro-

ta proprie dicuntur mysteria, quia sacramenta dicuntur; quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius salutem per eorundem sacramentorum operatur effectum. Tertio aduertendum est, quod per carnem primo loco positam, aut ipsam Christi carnem, ac ipsum suum corpus, intelligere possumus, vt sit sensus: Quo, scilicet, mysterio, & propter hoc mysterium conditor carnis, hoc est, factor generis humani, & omnis hominis, carne, idest, in carne existens humana, & in corpore mortali, suspensus est patibulo, idest, cruci affixus est. Aut per carnem hic carnem nostram, & nostram salutem, accipere possumus: vt sit sensus, carnis, idest, humanæ naturæ, ac humanæ substantiæ conditor, ac ipsius hominis plasmator, carne, idest, propter nostram carnem, ac propter nostram naturam, ac propter fragilitatem, ac fragilem substantiam, suspensus est in patibulo, ac in ligno crucis; peccata enim nostra carnis, & nostræ fragilis naturæ, & substantiæ, ait beatus Petrus, pertulit in corpore suo super lignum, vnde propter hoc ipse Christus dicit se peccatorem, & peccata hominum, & suorum dicit esse sua septem modis, non quo ad culpam, qui nec peccauit in Adam, nec in se, sed quo ad pœnam, in quantum pro peccatis nostris voluit pati. Vnde primo modo peccata nostra dicit esse sua, in quantum aduocatus, secundo inquantum procurator, tertio inquantum fideiussor, eo quod obligauit se, causam nostram aduocare, & defendere, & debitum pro nobis soluere, & satisfacere. Quarto tanquam pater pro filijs; quinto tanquam caput pro corpore, & membris: sexto tanquam sponsus pro sponsa; septimo tanquam Dominus pro vassallis, & seruis. Et octauo tanquam pastor pro grege, quia vnusquisque istorum supradictorum obligatur defendere causam sibi assumptam, ad quã se obligauit. Vltimo est notandum, quod patibulum hic, omissis alijs significationibus, lignum crucis, ac ipsam crucem accipere debemus. Et subdit nunc Dei Ecclesia causam, ob quam suspendi Christus, ac vulnerari voluerit, nempe, vt nos lauaret à peccatis dicens: *Quo vulneratus insuper, Mucrone diro lanceæ, Vt nos lauaret crimine, Manauit vnda sanguine.* ¶ Aduertendum est hic, quod dictio, Quo, idest, quo in patibulo, quo in ligno crucis, ac in ipsa cruce, vltra manus, & pedes confixos (foderunt enim, Dei filius, dicit, manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea) ipse carnis conditor, ac hominis plasmator, vulneratus etiam fuit à mucrone, idest, à cuspide militaris lanceæ, vt ipsemet carnis, ac carnis humanæ conditor, & author, lauaret, purgaret, ac liberaret nos à crimine,

Caro dupliciter potest hic accipi.

1. Pet. 2.

Christ⁹ dicit peccata nostra esse sua.

Nota, qui tenētur defēdere causam aliorū

Patibulum quid signet

Dictio, quo quid signet

Psal. 21.

idest, ab omni peccato, ac culpa, macula, pollutione, præuaricationeque, quam ex peccato primi parentis contraximus. Nam præsertim ab originali nos Christus liberauit peccato, à quo cætera dimanarunt scelera, & peccata. Et ex eo vulnere, quod fecit mucro crudelis lanceæ in latere Iesu Christi, vnda manauit sanguine; idest, aqua exiuit simul & sanguis: quia non sola aqua manauit, quæ dumtaxat sordes corporales lauare poterat, sed exiuit, & sanguis, qui esset nostræ redemptionis precium, quoque nos ipse Christus sanguine redimeret. Hæc autem crucifixio Iesu Christi, ac eius lateris iam mortui aperitio, manifestatur per Ioannem in euangelio, cum ait. Sed vnus militum lancea eius latus aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua. *Impleta sunt, quæ concinit Dauid fidelis carmine, Dicens in nationibus Regnauit à ligno Deus.* ¶ Ad veriorem præmissorum quatuor versuum elucidationem, duo præaduertenda sunt, ac supponendum: quorum primum est, quod prædicta quatuor carmina assumpta sunt ex Psalmo nonagesimo quinto, vbi iuxta Romanam psalmodiam hoc idem oraculum sic legitur, nempe, commoueatur à facie eius vniuersa terra, Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno. Sed vox à ligno è textu Iudæi abstulerunt, vt aduertit, beatus Iustinus Martyr in Dialogo Tryphone. pag 57. vbi etiam refert, quod ex verbis etiam Hieremiæ amputauerunt verba illa, scilicet, Recordatus est Dominus Deus mortuorum Israelis, qui in terra aggeris sepulti sunt, &c. præciderunt etiam & multa alia sacræ Scripturæ loca, prout ipsemet Iustinus aduertit. Non ergo mirum est, si hunc etiam locum Psalmi nonagesimi quinti exciderunt. Tametsi existimet ipse verba illa: à ligno: paraphrasticè, hoc est, ad magis elongandum sermonem, addita fuisse. De hoc quoque versiculo facit etiam mentionem Couarruuias, qui locum illum legit sic: lætamini in gentibus: Dominus post lignum, regalem potestatem habuit: & hoc est secundum, quod supra diximus esse præaduertendum, ac prænotandum, nempe, quomodo prædicta verba: Regnauit à ligno Deus, sint exponenda. Verum Euthimius sic eadem verba exponit. Deus regnauit à ligno, idest, Dominus cognitus est vt Rex. Iacobus autem de Valentia, sic: Dicite in gentibus, idest, prædicate, & annunciate inter omnes gentes; quia Dominus regnauit, idest, Dominus obtinuit,& adeptus est regnum à ligno, idest,à cruce. Post vero passionem,& adeptionẽ regni,adeptus est,& eius resurrectione, alia quatuor,quæ decorant suam maiestatem,ac idipsum eius Regnũ; vt per eundem Dauidem apparet in Psalmo nonagesimo secundo,dum dicit;

A quo peccato præsertim, mundauit nos Christi passio.

Ioann. 23.

Duo sunt supponẽda ad intellectum carminũ: Impleta sunt, quæ concinit &c.

Iustinus Martyr.

Couarruuias lib. 4. cap. 5.

Verba: regnauit à ligno Deus, quomodo sint intelligenda.

Christus in resurrectione est adeptus quatuor.

dicit; Dominus regnauit, decorem indutus est: Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: Parata sedes tua Deus ex tunc à sæculo tu es. Primo enim induit immortalitatem, & incorruptibilitatem, & impossibilitatem, & omnes perfectiones corporis gloriosi. Secundo adeptus est fortitudinem, & potentiam contra Diabolum ad expoliandum infernum. Tertio fundauit totam Ecclesiam super firmam petram. Quarto adeptus est non solum Regnum, sed sedem in cælo, & iudiciariam potestatem super omnes homines, & Angelos, & Dæmones. *Arbor decora, & fulgida, Ornata Regis purpura, Electa digno stipite, Tam sancta membra tangere.* ¶ Hic ponitur tertia pars hymni, in qua ad crucem dirigimus orationem, vt nobis sit munimentum, ac præsidium, vt & in sequentibus huius hymni versibus videri potest. Sed hic aduerte tu duo pro præmissorum quatuor carminum intelligentia, nempe, quid hic purpura signet: secundo quid per sancta menbra accipere debemus. Ad primum dicimus, quod per purpuram hic intelligere possumus preciosum Christi sanguinem, quo ipsa crux profusa, & sanctificata est, quod purpurei, ac rosei coloris sit, ipsiq; purpuræ colore persimilis. Naturales enim referunt Historici, purpuram ipsam conchyliorum sanguine tingi, & proinde sanctus Andreas, qui gloriosa morte Deum clarificaturus visam crucem salutauit, ita exclamans: Salue crux preciosa, quæ in sanguine Christi decorata es, & ex membris eius, tanquam margaritis ornata. Vel per purpuram intelligamus purpurea, cruentaq, ac sanguinea Christi membra ex eius sanguine. Fuit ergo ista crucis arbor ornata, decorata, insignitaq; & pulchra, & splendida purpureis membris Christi. Fuit etiam ad sustentandum sancta Christi membra ex digno, preciosoq; stipite, seu trunco, siue ex generosa radice electa, prælecta, ac delecta, hæc decora, & fulgida arbor. Per sancta vero membra intelligere debemus manus, pedes, brachia, ac dorsum præsertim, & generaliter totum ipsius Christi corpus, quod adhæsit ei Cruci in passione sua. Quia, inquam, ista arbor decora fuit delecta ad tam sacrum sacramentum; ideo: *Beata, cuius brachijs Sacli pependit precium, Statera facta corporis, Prædamque tulit tartari.* ¶ Ad præmissorum horum versuum veriorem intelligentiam supponenda sunt primo, quomodo hic crux beata esse dicatur. Secundo videndum est, quid per sæcli precium hic accipere debemus. Tertio dicendum est, quomodo lignum crucis statera corporis Christi facta esse hic dicatur. Quarto præaduertendum est, quomodo Christus prædam tartari tulerit. Quinto colligendum est ex superiori

Quid per purpuram sit intelligendum.

Quæ Christi membra arbor crucis teti gerit.

quarto notabili, quod Christus est legis Moysis declarator, ac verificator. Ad primum ergo suppositum dicimus, quod quemadmodo supra paulo ante crux appellata fuit arbor, & lignum electum à digno stipite; lignum quidem vitæ nostræ, nostræq; salutis, non formaliter quidem) nam neq; viuit ea vita vegetatiua, quod competit plantis, ac vegettabilibus, & arboribus) sed causaliter, ac instrumentaliter, per eam enim vita nostra perdita, nobis est restituta; & vt instrumentum cooperata est saluti humanæ; & vitam nobis parauit cælibem, in seq; viuificum fructum, Christum, scilicet, suspensum portauit. Ita hoc loco crux beata esse dicitur, non quod ea beatitudinis æternæ vitæ, atq; salutis perpetuæ sit capax, aut esse possit: sed dicitur beata ab effectu, quia instrumentaliter cooperata est ad recuperandam hominis beatitudinem, à qua ipse ceciderat per ligni vetiti esum & comestionem. In ea enim patris brachium, idest, Dei filius secundum humanam naturam pendens, salutis semitam adinuenit. Confixus ergo Christus in brachijs, lateribusue crucis, ac in eius extremitatibus (brachia namq; crucis, ac extremitates eiusdem in transuersum porrectæ: quibus Domini nostri brachia, pedesq; erant affixi, hic esse dicuntur) gloriam beatitudinemq; nostram est operatus. ¶ Amplius precium sæcli hic Christi sanguinem adnotat, vnde Apostolus 1. Cor. 6. Empti, inquit, enim estis precio magno, & non corruptibilibus, 1. Pet. 1. auro, & argento, sed precioso sanguine Christi agni immaculati. Sanguis enim Christi fuit precium, quo totum, & omne sæculum redemptum est, hoc est, huius sæculi homines omnes redempti sunt, ac omnium hominum peccata sunt deleta, licet firmiter credamus, vna deifici sanguinis guttam in ara crucis fusam suffecisse in redemptionem totius sæculi, idest, humani generis, si ita placitum fuisset Diuinæ pietati. ¶ Item dicitur metaphorice hoc loco arbor, ac lignũ crucis fuisse Christi statera corporis Domini Nostri Iesu Christi, & bene. Nam sicut statera sustentat pondus illi impositum; ita crux ipsa sustentauit gloriosum Christi corpus. Vnde vnum mirabile hic nota, quod est stateram alteram appendere stateram, Dei, videlicet, & hominum mediatorem. Quis enim stateræ nomine; inquit Beatus Gregorius lib. Moral. 21. cap. 6. nisi mediator Dei, & hominum designatur? in quo æqua lance omnia merita nostra pensantur? Itidem Christus dicitur predam tulisse tartari: ipse siquidem confringens vectes ferreos, Psal. 106. descendit ad inferos, & ereptis dæmonum spolijs, sanctos illos patres, puta Adam, Abel, Noe, Abraam, Dauid, Iacobum, Rachelem, ac cæteros pios è carcere infernali liberasse, atq: secum in cælum adduxisse dicitur: vt quemad-

Christi crux cur dicatur esse arbor & lignum vitæ.

Crux quomodo beata hic esse dicitur.

Crucis brachia quæ sint.

Preciũ sæcli sanguinem Christi hic signat.

Sæclum hic quid signat.

Mediator Dei, & hominum dicitur statera.

Christ' eripuit beatorum animas ex inferno.

quemadmodum in cælo, & in terris vim suam, potestatemq; declararet: & vt in nomine eius, Phil. 2. omne genu flectatur, cælestium terrestrium,& infernorum. Vnde in Osea. 13. legitur: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Delens enim, inquit Paulus, quod aduersus nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, & affigens illud cruci: & expolians principatus,& potestates,traduxit confidenter palam triũphans illos in semetipso. Quid præterea Maximus Episcopus in sermone ascensionis Domini dicat,huic vltimo versui congruum audi, ac senti. Per omnia, inquit ille, aquilæ comparatio conuenit saluatori: sed quid facimus, quod aquila frequenter diripit, & tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est saluator: prædam enim quodammodo sustulit,cum hominem,quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cætum, & alienæ Dominationis, idest, diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum, duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in Propheta. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Virtute ergo crucis, & mortis Christi infernus spoliatus est. Et sic pios homines non solum, qui post aduentum Domini in lucem editi sunt, sed etiam qui post Adam antecesserant, vel qui vsq; ad finem mundi, ac sæculi futuri sunt, eius passionis beneficio salutem consecutos esse, credere debemus. Ex quibus apparet Christum Dominum Nostrum fuisse verum verificatorem in se, ac declaratorem legis Mosaycæ. Nam Ipse tamquam verus magister, non solo declarauit legem doctrinaliter quo ad verum sensum; sed etiam verificauit in se realiter, ac exemplariter totam legem, & Prophetas. Nam primo Christus voluit baptizari in persona totius corporis mystici, & suorum membrorum instituendo baptismum: & sic verificauit omnes lotiones, & purgationes, & cætera sacramenta purgatiua, quæ fiebant in lege, & figura baptismi. Secundo fuit passus, & in cruce immolatus, & oblatus, vt patuit supra in litera huius præsentis hymni, ibi: quo vulneratus insuper, &c. Et sic verificauit occisionem agni Paschalis, & omnia sacrificia, & holocausta, & oblationes, quæ fiebant in lege in figura suæ passionis, & sacramenti Ecclesiæ. Item fuit sepultus per totam diem sabbati in sepulchro; & sic verificauit quietem sabbati legalis. Item eduxit fideles veteris testamenti de limbo inferni: vt hic iam annotauimus: & sic verificauit figuram liberationis filiorum Israel de Aegypto. Item resurrexit, & ascendit in cælum. & sic verificauit dicta Prophetarum: & sic patet quod Christus totam legem,& Prophetas verificauit exemplariter in se. *O crux aue spes vnica: Hoc passionis*

Ratio descensionis Christi ad inferos.

Osea 13.

Colos. 2.

Psal. 20.

Quomodo Christus verificauit in se legem Moysis.

Nota.

tempore Auge pijs iustitiam: Reisq; dona veniam. ¶ Ad intellectum versuum istorum, est notandum primo, quomodo ista propositio, crux, sit hic intelligenda. Secundo notandum est cuiusnam generis sit hic ista salutatio; Aue: Tertio videndum est, cur crux hic spes vnica dicitur. Quarto aduertendum est, cur tempore isto passionis Christi petamus piorum augeri iustitiam. Quinto dicendum est, quomodo Christi passio, reis det veniam. Ad primum igitur presuppositum dicimus, quod crux hoc in loco, non est intelligenda, ad sensum, quem facit: quia nulla creatura potest augere pijs iustitiam, aut reis dare veniam: sed est intelligenda ad sensum, in quo sit, scilicet, vt Christus crucifixus, pijs augeat iustitiam, reisq; det veniam. Amen. Ad secundum vero respondemus, quod hoc salutationis genus hic positum videtur esse benedictionis salutatio potius, quam salutis, aut gratiæ, aut gaudij: de quibus supra meminimus in hymno de Innocentibus. Nam certum est, & crucem esse benedictam, & Christum etiam multo magis: quia benedictus est fructus ventris Mariæ. Spes vero vnica hic crux esse dicitur, vel potius Christus crucifixus; quoniam ab ea tanquam ab arbore decora, speramus, imo habemus fructum, qui est Christus, qui nobis datus est in supplementum ligni vitæ Paradisi, quem perdidit Adam: quiq; fructus datus est nobis, nempe, Christus in antitodum, & medelam contra morbum, & venenum fructus prohibiti Adam, cuius veneno totum genus humanum fuit infectum, & vulneratum, & sauciatum. Vnde merito petimus ab eo, seu ab ea hic per eius passionem augeri pijs iustitiam. Passio siquidem Christi debilitat virtutem Dæmonum. Iob. 40. quasi homo capiat leuiatham. Item spoliat infernū. Isaias 8. voca nomen eius: spolia detrahe. Reparat naturam Angelicam: armat contra mundum, carnem, & Diabolum: sanat mentis vulnera nam aspicientes in serpentem sanabantur: viuificat spiritualiter. Cum ergo Christi passio vicerit diabolum, quem ligauit: infernum, quem spoliauit: mortem, quam superauit: mundum, quem contempsit: supplicium, quod pertulit: & cælum, quod aperuit; consequenter restat pijs spes euadendi omnis periculi Diaboli, mundiq; ac cæterorum opprimentium. Vnde istis periculis amplius pijs animabus non obstantibus: Crux enim, & Christi passio huiusmodi pericula, Dæmonumq; tentationes, ac insidias, ac virtutem, vimq; omnium opprimentium pios, & iustos; abstulit; fit vt piorum iustitia recrescat magis in dies, ac augeatur; quæ iustitia est conseruatrix humanæ societatis, quæ iure communitatis confert vnicuiq; quod suum est. Et est duplex, scilicet, naturalis, & positiua. Naturalis est vis creata, quæ in suis consistit: Positiua,

Crux in quo sensu hic sit intelligenda.

Aue, hoc loco quod genus salutationis.

Christ' dupliciter dicitur fructus.

Passio Christi pijs iustitiam augere videtur

Num. 21.

Iustitia quid est.

Positiua, quæ vnicuiq; , quod suum est, tribuit, scilicet, Deitati cultum, & obedientiam: Humanitati iura; & hoc multipliciter; maiori, nempe, reuerentiam: compari concordiam: minori disciplinam: sibi ipsi compunctionem, & pœnitentiam pro peccatis, proinde, & subdimus: Reisq; dona veniam hoc tempore passionis tuæ, ò Christe: quandoquidem Christi passio, sanguisq; eius, qui quidem lauat nos à crimine, vt supra iam dictum est, ac peccata tollit: etiam consequenter, & reis dat veniam, ab eo suppliciter expetentibus eam. Capitis enim Christi inclinatio in ipsa cruce tollit superbiam nostram. Inuidiam brachiorum extensio, quasi ad amplexum inuitans. Auaritiam multorum erogatio: (quam multa vero in sua passione tradiderit Christus, refert Bernardus. Disce, inquit, Christiane, quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum: Aquam lateris in lauacrum: Vestem crucifixoribus: corpus discipulis: Matrem Ioanni) Accidiam festinatio ad passionem. Iram mollis responsio. Gulam fellis, & aceti potatio. Luxuriam lateris vulneratio. Et quia, ò Christe, tu nos redemisti sanguine tuo, ideo *Te summa Deus Trinitas Collaudet omnis spiritus: Quos per crucis mysterium* Saluas, *rege per sæcula. Amen.*

Nota.

Christi passio quomodo reis dat veniam.

Nota.

¶ Similiter ad istorum præsentium verborũ veriorem intellectum, præmittendum est primo, quid per omnem spiritum hic designetur. Secundo aduertendum, quomodo laudent Deum creaturæ irrationales; puta, aqua, Mare, venti, lapis, & huiusmodi. Tertio præaduertendum, quid per mysterium crucis hic intelligere debeamus. Quarto demum dicendum est, quid per sæcula designetur. Ad primum dicimus, quod per omnem spiritum, intelligere possumus omnes creaturas rationales, animatas, & inanimatas, ac etiam irrationales. Creaturæ namq; rationales vocaliter laudant Deum in vtraq; Ecclesia triumphante, ac militante. Secundo laudant Deum creaturæ excitatiuæ, inquantum vestigium Trinitatis lucet in omnibus creaturis: & sic omnes creaturæ, tam inanimatæ, quam animatæ, & tam rationales, quam irrationales excitant Angelos, & homines ad laudandum Deum in eis propter diuinas perfectiones, quæ in eis lucent. Tertio dicuntur laudare Deum, non solum rationales creaturæ; sed irrationales, inquantum super suam naturam ostendunt se obedire Deo in suis operationibus. Et sic laudauit Deũ Mare Rubrum, quando ad percussionem virgæ Moysis fuit diuisum, & præbuit iter filijs Israel. Eodem modo obediuit, & benedixit Deo petra quando percussa protulit aquas. Item aquæ Iordanis laudauerunt Deum, quando obediendo Deo reuersæ sunt retrorsum. Item Angeli, cælum, & elementa omnia laudauerunt Deum, quando obe-

Omnis spiritus quid designet.

Exod. 14. *Num. 20. cap. 11.* *Psal. 113*

Matth. 8. do obediendo Christo, dederunt signa suæ Natiuitatis. Item venti, & Mare Galileæ laudauerunt Deum: vnde dicitur: quis est hic; quia Mare, & venti obediunt ei? Item quinq; panes laudauerunt Deum; & sic omnis spiritus laudat hodie Deum, eiq; obedit. Per *Mysteriū crucis.* mysterium vero crucis vltra ea, quæ in principio huius hymni diximus; vim crucis sanctæ, ac virtutem, aut gratiam secretam intelligere possumus; cuius gratiæ, vis, ac etiam virtutis crucis iam ante dicta in primis sunt quidem declaratiua, ac expositiua. Rege ergo te existente, te gubernante, ô Christe, teq; moderante Ecclesiæ tuæ, imo, & vniuersi orbis habenas; per sæcula, idest, per omne tempus, per omnes dies, status, ætates, generationesq; omnes, saluas, ô Christe, per Crucis mysterium, secretamq; eius virtutem, eos omnes, quos præcipis, te laudare summam Trinitatem: quos, inquam, saluas, idest, quibus das esse perfectum, & in tali esse conseruas: nam saluare idem est, quod dare esse perfectum, & in tali esse conseruare. Amen.

Acetū, fel, arūdo, claui, lancea, corona, & huiusmodi sunt mysterij crucis, ac omnis eius declaratiua.

In Dominica Passionis Hymnus ad Nocturnum Matutinum Quartusdecimus.

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis:
Et super crucis trophæum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De parentis Protoplasti;
Fraude facta condolens;
Quando pomi noxialis
Morte morsu corruit:
Ipse lignum tunc notauit:
Damna ligni vt solueret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret:
Et medelam ferret inde:
Hostis vnde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis:
Missus est ab arce patris
Natus orbis conditor
Atq; ventre virginali
Caro factus prodijt.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et manus, pedesq;, & crura
Stricta cingit fascia.
Gloria, & bonor Deo
Vsquequo altissimo
Vna patri, filioq;
Inclyto paraclyto.
Cui laus est, & potestas
Per immensa sæcula. Amen.

Sancta

SAncta Mater Ecclesia in superiori hymno exposuit nobis; quod Dominus noster Iesus Christus fuit positus in cruce, latusq; suum perforatum fuisset lancea; imo quod passus est pro nostra redemptione mortificari: & quod ad inferna descendit, cum Diabolo pugnauit; eumq; prostrauit, ac superauit. Modo vero in præsenti, ordinem, & modum rei gestæ describit: & ob hoc, more poetico, lingua interpellatur ad cantandum nobilem crucis trophęum; qualiter orbis conditor, & redemptor, in cruce, tanquam in altare immolatus victoriam de principibus tenebrarũ, & rectoribus, reportauerit, sic exordiens. *Pange lingua gloriosi Prælium certamini: Et super crucis trophæũ Dic triumphum nobilem: Qualiter redemptor orbis Immolatus vicerit, &c.* ¶ Hoc totum istud canticum duas habet partes, quas Fortunatus Episcopus huius cantici egregius cantor, ac author, condidit, fecitq;. Prima patet à principio hymni, vsq; ad versiculum: Hostis vnde læserat. Secunda, quæ incipit: Quando venit ergo; se extendit vsq; ad finem totius discursus hymni. Prima vero pars subdiuiditur. Nam vates orditur primo à præauditi duelli causa; nempe, primo patri nostro Adam facta; ob quam ex comestione vetiti pomi (& propterea noxialis) in æternam corruit mortem. Vbi tunc decreuit Deus plenitudine temporis, trophæum crucis erigere: vt qui in ligno vicit, in ligno quoq; ipse vinceretur; & hoc patet ibi, de parentis protoplasti fraude facta condolens, &c. Secundo tacitæ quæstioni occurrit Dei Ecclesia, seu vates, de Dei potentia ostendens ordinem nostræ salutis talem modum poposcisse: vt arte, & iustitia diuina: non arte potentium multimodam proditoris artem falleret; & peritus medicus ex vipera farmacum conficeret; vt medela inde esset; nempe ex ligno, de quo hostis mortem inflixerat: vt patet ibi: Hoc opus nostræ salutis, &c. Secunda item huius hymni pars, quæ vt diximus, incipit, ibi: Quando venit ergo: hoc nobis demonstrat (ne sine magno labore bellum hoc ad victoriam perductum fuisse crederetur: quia in persona diuina contra puram creaturam, agitatum esset) quod ista diuina persona labores, sudores, afflictiones, acerbissimamq; deniq; crucifixionem in natura nostra assumpta, passa est: hæc enim persona in præfinito tempore à Deo missa est à cælesti arce in virginalem ventrem. Hinc annectit naturales infantiæ necessitates, ex nimia paupertate, etiam auctas. Hincq; vagitus descriptio; & in iumentorum arcta præsepia reclinatio; debilium, infantiliumq; membrorum colligatio: vt ex hac diligenti descriptione agnoscamus nostrã naturam diuinæ vnitam, magis in illo afflictã quã alio homine vnquã fuit. Demum quia propter homines, & propter nostram salutem

Author huius hymni Fortunatus Episcopus.

Hymni huius diuisio, & summa.

Nota.

hęc omnia in tam tenera ætate passus est. Ideo pro gratiarum actione, Deo altissimo patri, filio, inclytoq; paraclyto, gloriam, laudem, potestatemq; merito cantamus. His supradictis generaliter auditis, ad singulorum nunc hymni verborum perpensionem, & considerationem deueniamus. ¶ Pro quorum intelligentia videndum ast primo quid per lignum hic intelligere debemus. Secundo quid per gloriosum certamen. Tertio quid per prælium. Quarto quid per trophæum, & per triumphum. Quinto videndum est, quis sit orbis redemptor. Sexto dicendum est, quem ipse redemptor vicerit. Ad primum dicimus, quod hic lingua, os hominum, ac ipsam fidelium hominum linguam, ac verbum, intelligere debemus. Verum per gloriosum certamen, hoc loco, ipsummet Christnm, pugnatorem gloriosum, ac bellatorem, pugnantem, ac certantem; non perperam forte dicemus, accipi posse: vt hic certantem pro certamine, hymni huius author posuit; ac artificem pro artificiato; vt sæpenumero fieri solet à scriptoribus, & maxime à poetis, & maxime etiam, quando sic videtur melius astrui posse huius hymni litera, quam si exponeremus, vt ponitur. Vlterius per prælium hic ipsam belli partem, ipsamq; in bello hostium congressionem; quando videlicet manus conferuntur, ac ipsammet dimicationem, quæ etiam pugna dicitur, intelligere possumus: & à premendo prælium dicitur, quasi præmium dictum, quod dimicando se inuicem hostes premunt. Vel à prælo, prælium dictum est; quia in ipsa pugna depugnantium corporibus, sæpe sanguis exit, atq; profluit, non secus ac mulsum à prælo; & hæc secunda deductio verior esse videtur: in hoc enim prælio Christus sanguinem suum fudit. At trophæũ, est spolium ab inimicis captum ad ostentationem positum in memoriam posterorũ suorum, vel descendentium: vt ipsis fugatis hostibus, faciant similiter. Sed triumphus dicitur illa magnifica pompa, ac solemnitas, quæ fiebat à Ducibus reportantibus victoriam de inimicis eorum. Huiusmodi triumphus, ac pompa plenissima dicebatur esse victoria; & quod non vnum spolium, ac etiam plura ab inimicis ablata fuerãt. Verum pro prostrato toto exercitu celebrabatur, ac triumphabatur. Quis vero hic sit orbis redemptor, nunc dicendum est. Et quidem ex verbis Dauidis, dicentis in Psalmo centesimo vigesimo nono: à custodia matutina vsq; ad noctem, speret Israel Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius: Cognoscitur quis sit orbis redemptor, nempe, Dominus Noster Iesus Christus, qui orbis redemptor hic esse dicitur; quia non solũmodo potest delere vnum peccatum; sed infinita; nec solummodo

Lingua quid.

Certamen gloriosum quid signet

Prælium quid.

Præliũ vnde dicitur.

Orbis redemptor quis est, & quomodo.

modo redimere vnum hominem; sed infinitos, ac totum orbem; & non solum vnam nationem, sed omnes nationes; nec vnam tantum prouinciam, sed totum orbem terrarum. Iure ergo quidem merito hic redemptor orbis, hic appellatur ab Ecclesia Christus Dominus Noster, qui quidem Christus, & non alia persona, aut alia creatura quantumcumq; perfecta, & sancta, poterit orbis, idest, generis humani esse redemptor; tum ratione culpæ, & pœnæ, à qua sententia sumus redempti; tum etiam ratione Regni Cælorum, nobis acquisiti. Nam peccata, à quibus sumus liberati; sunt infinita intensiue ratione Dei; contra quem facta est offensa, & sunt commissa peccata; & extensiue, quia omnes eramus peccato multiplici obnoxij; quia non solum redemit præsentes; sed & præteritos, & futuros. Ergo talia peccata non poterant deleri, nisi per virtutem, & precium infinitum; quod est Christus, qui habuit magis de gratia, & merito; quam totum genus humanum de culpa, & pœna; & sic solus Christus potuit esse redemptor orbis, & non alia creatura; quod & supra fusius in alijs hymnis diximus. Vltimo quem iste orbis redemptor vicerit, iam dictum, vicisse, ac victoriam de principibus tenebrarum, & rectoribus reportasse, quod, & infra in ipsa hymni litera manifestatur, dum subiungimus. Et medelam ferret inde Deus, hostis vnde læserat. Hostem ergo nostrum, Diabolum, hic Deum nostrum vicisse, & superasse pie fatemur. Qui Deus victor, ac Diaboli, & mortis destructor, *De parentis protoplasti Fraude facta condolens: Quando pomi noxialis Morte morsu corruit: Ipse lignum tunc notauit, Damna ligni, vt solueret.* ¶ Ad apertiorem præmissorum verborum, versuumq; elucidationem, & intelligentiam videndum est primo; vnde fraus primo nostro parenti facta, orta. Secundo considerandum est verbum hoc: protoplasti: quid signet. Tertio aduertendum est, quando noster protoparens per morsum pomi noxialis ceciderit. Quarto supponendum est per lignum primo loco positum, quid intelligere possumus. Quinto quando hoc esset, quod Deus notauit lignum, vt ligni damna solueret. Sexto loco præaduertenda sunt etiam damna, quæ ex ligno venerint. Ad primum dicimus, quod cum Diabolus, ac Lucifer fuerit præscius mysterij incarnationis Filij Dei; licet non fuerit præscius sui casus, nec etiam casus hominis; qui non minus fuit reuelatus ipsi quam homini, qui in illo sopore prænouit incarnationem; ideo per consequens Lucifer vidit solium, & sedem præparatam super naturam Angelicam, & super omnem creaturam: hanc vero cælsitudinem, & æqualitatem, quam habiturus erat Christus, appetens Lucifer, contra voluntatem Domini, quæ est lex æterna, dixit intra se:

Nota.

Quem vicerit Deus in cruce.

Fraus primo parēti facta per Diabolum, vnde cœperit suboriri.

In

In cælum aſcendam; ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum;ſedebo in monte teſtamenti,in lateribus Aquilonis; aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſſimo. Verum cum hanc celſitudinem putauerit occupare abſq; meritis ex ſola nobilitate propriæ naturæ; quod oppoſitum fuit de Chriſto homine, qui per humilitatem, & laborem paſſionis, voluit illam ſedem adipiſci; quod vult

Ephes. 11. explicare Paulus ad Epheſ. cum ait: hoc enim ſentite in vobis,quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet; non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus, vt homo. q. d. quod Diabolus

Nota. in principio per rapinas ſupra ſuam naturam, & contra voluntatem Dei; voluit abſq; meritis rapere æqualitatem Dei, & illam ſedem Chriſto præparatam; ſed oppoſitum fecit Chriſtus, vt Deus, qui cum eſſet Deus, factus eſt homo: & ſicut Diabolus voluit temere exaltari; ita Deus voluit humiliari,& fieri homo; & inquantum homo humiliauit ſemetipſum, obediens patri vſq; ad mortem crucis; propter quod Deus pater dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne no-

Nomen Ieſu, quid. men; ſcilicet, Ieſus Saluator, quod eſt nomen omnipotentiæ, & iuſtitiæ,& gloriæ; & ſic ex ſupradictis patet; quod Diabolus illud non fecit abſq; inuidia, concepta contra Chriſtum, poſtquam præuiderat illam ſedem præparatam pro Chriſto homine futuro; ergo illico appetiuit mortem, & annichilationem Chriſti; quia præuidit Chriſtum regnaturum, & inuidit; & ſic concepit homicidium, & appetiuit mortem contra ipſum; & hoc etiam voluit explicare Saluator. Ioan. 8. quando dixit de Diabolo, quod ab initio ille homicida fuit, quando in veritate non ſtetit; quia non ſolum fuit homicida præcipitando Adam in mortem; ſed prius fuit homicida, appetendo mortem, & annihilationem Chriſti, ne illam celſitudinem, quam ipſe deſiderabat, conſcenderet, & poſſideret. Et ideo Lucifer (de quo

Iſai. 14. Iſaias: quomodo,inquit, cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris,&c.)

Fraus facta Adamo per Diabolum cur. poſtquam fuit expulſus, & deiectus; illico venit ad tentandum, & decipiendum hominem, putans impedire myſterium incarnationis: ne Chriſtus, ſecundum carnem naſciturus ex Adam, illam celſitudinem conſcenderet; & ne Adam cum ſuis ſedes, quas Lucifer iam perdiderat, poſſideret: & ſic patet, cur Diabolus protoparentem

Protoplaſtus vnde dicitur. noſtrum fraudauerit. Ad hæc protoplaſtus, ſiue protoplaſtes, ideſt, primus homo, à protos primum, & plaſma formatio,quaſi primus formatus; eſt qui primus plaſmatus eſt, & formatus eſt è terra: vt

Bernardus Adam primus parens. Bernardus tamen appellat Adam, alio vocabulo; nempe, protoparentem, cum ait: Primum namq; virum mulier deiecit ad imum: fœmina credentem decepit protoparentem:

Proto-

Protoparens autem iste per morsum pomi noxialis hic dicitur corruisse in mortem; quoniam Diabolus, ac prædictus Lucifer, videns illum, ac omnes homines successiue possidere sedes per humilitatem, quas ipse cum suis sequacibus perdiderat per superbiam, & ingratitudinem: illico descendit ad tentandum illum in paradiso, qui dixit primo mulieri, vt ipsa comederet huiusmodi noxiale pomum, si ipsa esse vellet vt Deus: quo ipsius suasu comedens de tali ligno, cognouit non se Deum, sed nudam se vidit cum viro suo; cui dedit de pomo noxiali; & ipse gustauerat de eo per eam ei dato; & propter hoc in mortem ambo corruerunt; quia præceperat eis Deus, ne de ligno, quod erat in medio paradisi, comederent, alias ipsi morerentur. Lignum vero, quod prænotauit Deus, vt solueret damna ligni; lignum suæ crucis intelligere possumus; in quo Adam cum sua posteritate redimeret, in paradisumq; eum reuocaret: per quamq; redemptionem, & in paradisum reuocationem, ligni damna, idest, pomi vetiti, ac noxialis, dispendia, ac detrimenta exolueret. Vel per lignum, non solum hoc loco pomum noxiale, ac vetitum; sed virum iniustum, ac ipsum Adam accipere possumus. Nam ligni nomine, inquit Gregorius Magnus in lib. 12. moral. cap. 7. aliquando crux, aliquando vir iniustus, aut etiam iustus, aliquando incarnata Dei sapientia figuratur. Crux enim ligno signatur; cum dicitur: mittamus lignum in panem eius; lignum quippe in panem mittere, est Dominico corpori, crucem adhibere. Rursus ligni nomine vir iustus, aut etiam iniustus exprimitur. Sicut per Prophetam dicitur. Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile. Rursus per lignum incarnata Dei sapientia designatur; sicut de eo scriptum est. Lignum vitæ est ijs, qui apprehenderint eam. Tunc vero Deus mundi imperator; vt esset triumphator, & redemptor, & glorificator generis humani, lignum notauit, vt ligni damna solueret: (cum, vt diximus) in forma Dei esset; non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo; ac postmodum patri obediens ipse, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati sumus: quoniam peccata, ac damna, quæ nobis lignum, hoc est, noxiale pomum, siue ipsemet Adam, incurrit, soluit Christus post incarnationis suæ mysterium. Pro cuius rei intellectu notandum est, quod totum genus humanum tria damna hęreditaria ex peccato primorũ parentum incurrit. Primo exilium ab vtroq; paradiso, cum fuit homo expulsus in hanc vallem lachrimarum inter bestias, & vepres. Vnde ex hoc exilio incurrit famem, & sitim, errando in hac lachrimarum

Adã quomodo corruit per pomi noxialis commestionem in mortem.

Quid per lignum primo loco positum, & quid per secundo loco nominatũ.

Ligni nomine quid signetur.

Hier. 11.

Ezech. 17.

Prouer. 3.

Quomodo Deus notauit lignũ, vt ligni dãna solueret.

1. Pet. 2.

Quæ damna ex ligno vetito soluerit, nobis allata, Christus.

Nota. rum valle. Secundo incurrit infirmitatem, & ægritudinem, tam animæ, quam corporis. Nam in anima perdidit iustitiam originalem, & fuit sauciatus triplici culpa, & in corpore recepit omnes pœnalitates. Tertio fuit condemnatum totum genus humanum, ad captiuitatem, & carcerem perpetuam Diaboli hic per culpam, & in futuro per pœnam; & sic homo fuit exul, æger, & captiuus: sed ab his damnis Christus soluit nos, & liberauit in suo aduentu; primum ab exilio, cum nos in vnam Ecclesiam ex diuersis locis, & nationibus, congregauit hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Secundo nos soluit, & liberauit à captiuitate cum per suum sanguinem nos redemit, & de inferno abstraxit. Tertio nos soluit ab ægritudine peccati, & fomite eius, cum ex sua passione virtutem contulit sacramentis ad sanandas nostras infirmitates. Per suam ergo passionem Christus nos redemit à peccato, & captiuitate. Per suam resurrectionem recuperauit nobis immortalitatem. Per eius ad cælum ascensionem nos reuocauit ab exilio, & introduxit in cælum; ita vt Christus aperuerit viã fidelibus redeundi non amplius ad pomarium, siue ad ortum, sed ad cælestem paradisum. Vnde Beatus *Bernard.* Bernardus dicit: Sed Deus omnipotens, qui verbo cuncta creauit; sic cecidisse dolens homines, quos semper amauit. Ipse suum verbum transmisit ab infima mundi. Exulibus miseris aperire viam redeundi. Sed dicet hic aliquis: cum Deus poterat aliter liberare genus humanum; cur per mortem, ac passionem voluit illud redimere? Quoniam huiusmodi modus, secundum Augustinum fuit magis congruus, & iustus: nam Diabolus non erat superandus patientia, sed iustitia. & ideo Christus voluit assumere hominem passibilem, vt in illo peccatum Adæ, & omnium delicta puniret; & voluit assumere hominem sine peccato; vt per ipsum peccatores liberaret; sed voluit ipsum sumere cum pœnalitatibus peccati; vt essent illæ pœnalitates instrumentum ad merendum, & ad sananda nostra vulnera peccatorum. *Hoc opus nostræ salutis Ordo depoposcerat. Multiformis proditoris Ars vt artem falleret: Et medelam ferret inde, Hostis vnde læserat.* ¶ Horum quatuor versuum verba respondent, referunturq; ad supra dicta carmina; vt, nempe, ad soluendum damna, quæ ex comestione pomi noxialis iam venerunt; vtq; multiformis proditoris artem, ars diuina falleret; hoc nostræ salutis ordo depoposcerat. Nam si Diabolus fuit superbus, ac inuidus, & inobediens; quia absq; eius meritis appetiuit contra Dei voluntatem celsitudinem, soliumq; ac sedem præparatam super totam naturam Angelorum pro Christo homine futuro: Christus fuit humilis, benignus, ac clemens, & obediens. Nam de Diabolo dicitur,

Ars multiformis proditoris generis humani quæ. Ars multiformis redemptoris, triũphatoris, & glorificatoris generis humani, quæ.

dicitur, quod dicebat in corde suo: In cælum ascendam, super astra Dei, exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. De Christi vero humilitate, benignitate, ac claritate dicitur: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem. Porro si Diabolus fuit homicida, fur, & latro: quia; appetiuit mortem, & annihilationem Christi, voluitq; rapere diuinitatem, vt; dictum est: Christus fuit vita hominum, & Deitatis, ac suæ Diuinitatis communicator, & largitor: Nam omnia habent ab eo, & in eo vitam, & esse: & conseruatur in esse. Ideo ait Ioannes; quod factum est, in ipso vita erat; in ipso enim viuimus; & mouemur, & sumus. quod vero diuinitatem communicarit, magis quam rapere Christus præsumpsit. Idem Ioannes. Quot quot autem receperunt eum; dedit eis potestatem filios Dei fieri. Item facto Diaboli, & per Diabolum, homo septem damna, ac septem miserias incurrit, scilicet, famem, sitim, nuditatem, dolores, & infirmitates corporis, carcerem, captiuitatem, & mortem. Sed Christus, licet esset solus inter mortuos liber; nihilominus à prædictis miserijs ipse nos liberauit, qui voluit, omnes supradictas in se sponte assumere, vt suam misericordiam erga nos maxime demonstraret. Voluit etiam, vt in suis miserijs sibi subueniretur ab alijs, & ita voluit, & præcepit, vt in talibus miserijs vnusquisq; proximo suo subueniret; vt patet. Math. 25. Imo ipse voluit in paupertate nasci, & viuere. vnde ait Math. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Voluit item loco prædictarum miseriarum, per Diabolum in nos inflictarum, impetrare pro nobis à Patre Christus septem præmia, illis septem operibus misericordiæ conrespondentia. Primo rogat, vt omnem misericordem liberet ab inferno in die iudicij, cum dicit. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Secundo petit, vt conseruet eum in gratia; cum dicit: Dominus conseruet eum. Tertio vt viuificet eum à peccato ad gratiam, cum dicit; & viuificet eum. Quarto, vt faciat eum beatum in gloria, & in terra, cum dicit; & beatum faciat eum. Quinto, vt liberet eum ab omnibus inimicis cum dicit; & non tradat eum in animam inimicorum eius. Sexto, vt liberet eum ab omni dolore, & infirmitate corporali; cum dicit: Dominus ferat illi opem super

Isai. 14.
Ioan. 1.
Act. 12.
Math. 8.

lectum doloris eius. Septimo rogat, vt resuscitet eum ad gloriam, & immortalitatem in finali resurrectione; cum dicit: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Item per eundem Diabolum, alia septem mala contraxerunt primi parentes ex peccato, & sententia Dei. Primo fuit inflicta eis corruptio, & morbus concupiscentiæ in carne, & sensualitate. Ex cuius consortio anima contrahit culpam originalem per hoc, quod dixit Deus serpenti: Tu insidiaberis calcaneo eius, idest, inficies eius carnem, & sensualitatem, quæ est calcaneum animæ; & etiam per hoc, quod Deus dixit Adæ: maledicta terra, idest, maledicta caro, & sensualitas in opere tuo, idest, ex peccato, & inobedientia, & esu cibi prohibiti; quas spinas peccati originalis, & tribulos peccati actualis germinabit tibi. Item ex sententia data mulieri patet, qualiter triplicem pœnam incurrit mulier ex peccato. Primo pœna ærumnarum, & miseriæ, quam quælibet mulierum patitur omni mense ex menstruo. Secundo dolorem in pariendo. Tertio subiectionem sub potestate viri. Per sententiam autem datam contra Adam incurrit totum genus humanum non solum laborem corporalem; sed etiam maledictionem, & corruptionem carnis, & sensualitatis, quæ continue germinat spinas, & tribulos peccatorum in anima. Et vltimo incurrit resolutionem, & putrefactionem in incinerationem in morte. Verum Christus Dominus Noster voluit Matrem eius Virginem nullo prædictorum esse per serpentem morsu sauciatam, nec vulneratam. Nam Deus antequam ferret sententiam contra primos parentes dixit: Diaboli inimicitias ponam inter te, & mulierem; sed ipsa conteret caput tuum; tunc manifestum est, quod ista, quæ erat contritura caput serpentis non fuit Eua; quia ipsa iam erat victa, & contrita per serpentem. Ergo sequitur, quod illa mulier, quæ erat contritura caput serpentis, erat sola Virgo Maria; prout indifferenter concorditer tenent omnes catholici Doctores. Et hoc est, quod intendebat dicere Salomon de Maria Virgine, dicens: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; q. d. nulla macula peccati, nec aliqua illarum septem pœnarum est in te, quæ fuerunt inflictæ in Adam ex peccato eius, & sententia Dei. Ideo veni de Libano puritatis, & coronaberis, idest, triumphabis de capite Amam, idest, de capite antiqui serpentis. Adinuenit ergo Christus Dominus Noster artem, quæ in omnibus multiformis proditoris generis humani artem, fallaciamq; ac fraudem tolleret; falleretq;. Quinimo Christus non solum Diaboli artem fefellit; verum, & illum etiam repulit, eiecitq; foras cum in aduentu suo.

Septem mala contraxerunt primi parentes ex peccato, & sententia Dei.

Calcaneũ quid.

Terra quid.

Opus quid.

Sententia cõtra mulierem.

Sententia contra Adam qua.

Diabolus nullo morsu potuit mordere Virginem Mariam.

Nam

Nam primo eiecit eum ab animalibus hominum per baptiſmum, & pœnitentiam in virtute ſuæ paſſionis. Secundo eiecit eum à corporibus obſeſſis. Tertio eiecit eum à toto populo gentili, in quo habitabat per idololatriam: de qua triplici eiectione dicitur Zachariæ 13. In illa die erit patens fons Domini Dauid in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ: & diſperdam omnia nomina idolorum, & omnem ſpiritum immundum auferam. Item Ioan. 12. Princeps mundi huius eijcietur foras. Patet ergo ex omnibus ſupradictis ſufficienter Christum artem multiformis proditoris generis humani feſelliſſe, deſtruiſſe, ac omnino eam annihilaſſe; immo ipſummet proditorem foras eieciſſe; & medelam intuliſſe, hoſtis vnde læſerat: quia per dietam curauit nos: quando quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit: per ſudorem, quando factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis. Matth. 4. Per minutionem, quando fuit clauis, & lancea vulneratus. Per potionem, quando guſtauit acetum cum felle mixtum. Per emplaſtrum; quando eius facies fuit ſputis illata. Per electuarium, quando corpus, & ſanguinem dedit in Cœna Diſcipulis. *Quando venit ergo ſacri Plenitudo temporis: Miſſus eſt ab arce Patris Natus orbis conditor: Atque ventre virginali: Caro factus prodijt.* ¶ Ad intelligentiam ergo præmiſſorum verborum, primo videndum eſt, quando fuerit iſta plenitudo temporis, & quid ſit, quod plenitudo temporis dicitur. Secundo videndum eſt, quomodo hic Christus, qui eſt mediator Dei, & hominis, poſſit eſſe orbis conditor; cum caro, & creatura hic nuncupetur. Tertio videndum eſt, cur Christus incarnari, ac naſci voluit. Quarto videndum eſt, cur Christus, nec prius, nec poſterius ſit natus. Ad primum dicimus, quod iſta temporis plenitudo venit, fuitq; principium ſextæ ætatis; in qua fuit miſſus à Deo Patre Filius, factus ex muliere. Galat. 4. Factusq; ſub lege; vt eos, qui ſub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus. Et hæc eſt vltima ætas, & plenitudo temporis: quia nullum aliud tempus, neque ætas erit, niſi hæc ipſa Christi. Nouiſsima enim eſt hora, inquit Ioannes. Et dicitur plenitudo temporis, quoniam hæc tria ſimul fuerunt tempore, non natura, videlicet: quoniam mox, vt Beatiſsima Virgo aſſenſum præbuit Angelo, dicens: Fiat mihi ſecundum verbum tuum; Spiritus ſanctus ſuperuenit in eam, ac Filium Dei concepit; tunc impleta ſunt præambula figurarum, & documenta ſcripturarum, & deſideria Prophetarum; & propter hoc etiam aduentus Christi dicitur plenitudo temporis. Verum quomodo hic Chiſtus nuncupetur orbis

Christus ſuo aduentu eiecit Diabolum.

Christus medicus medicinã pro noſtra curatione aſſumpſit in ſe, & quomodo.

Plenitudo temporis quando fuit.

Ioan. 2.

Plenitudo temporis cur ſic appellatur.

Aduentus Christi plenitudo temporis dicitur.

Christus quomodo creator, & creatura esse possit.

bis conditor, cum caro, & creatura esse ex Virgine Maria hic dicatur, dicendum insuper est. Et quidem cum Christus sit in omnibus meditator Dei, & hominum; ideo in eo reperiuntur duæ mirabiles vniones, ex quibus fiunt mirabiles locutiones, & intellectu difficiles, vt hic manifeste in hac hymni litera apparet; quæ locutiones videntur contrariæ ad sensum, in quo fiunt. Primo ergo humanitas Christi vnitur verbo diuino vnitate personali, & sic in Christo sunt duæ naturæ in vna persona sola, & sic Christus habet duas naturas in vna sola persona, est perfectus Deus, & perfectus homo; & de Christo verificantur ea, quæ sunt Dei, & ea, quæ sunt hominis. Vnde de Christo verificatur, quod est creator, & per consequens factus caro ex ventre Virginali. Item verificatur de eo, quod sit creatura, & creator; & quod sit æternus, & temporalis: & sic verificatur, quod Christus homo creauit mundum: & iste Deus mortuus est, & passus, quia inquantum homo est passus: in quantum Deus creauit mundum. Quantum vero ad tertium superius propositum; scilicet, cur Christus incarnatus sit, dicimus, quod nasci, & incarnari Christum oportebat ad humani generis reparationem: quia non aliter saluari poterat, & nullus alius modus fuit ita congruus ipsi reparatori, quem decebat suam potentiam, sapientiam, & bonitatem ostendere. Quid autem potentius, quam coniungere extrema summæ distantiæ, hoc est, creatorem, & creaturam? Quid sapientius, quam quod ad perfectionem vniuersi fuerit coniunctio primi, & vltimi, hoc est, verbi Dei, quod est omnium principium; & humanæ creaturæ, quæ in operibus sex dierum fuit vltima omnium creaturarum? quid autem beneuolentius, quam quod creator rerum communicare se voluit rebus creatis? Et hæc benignitas magna fuit in communicatione sui omnibus creatis rebus per præsentiam fuit maior, quia communicauit se per gratiam: maxima fuit, quia communicauit se homini per vnionem, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ. Vltimo cur Christus non factus sit caro, idest, non natus sit prius, aut posterius, quam impleta sint præambula figurarum, documenta scripturarum, ac desideria prophetarum; sunt non nullæ rationes. Prima est, vt ordinem vniuersi non turbaret. Singula namque suis fiunt temporibus, quanto magis in maximo Dei opere, scilicet, filij Dei incarnatione. Secunda, ne fides, & spes, promissa incarnatione, & nimis tardata perireret. Si enim tardasset venire, quotidie defecissent homines in fide, & tepuissent. Sed prius venire non fuit necessarium;

Generis humani per verbũ reparatio.

Coniunctio primi, & vltimi perfectissima.

Christ' nec prius, nec posteri' venit, & quare.

quia

quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis. Tertia est ratio, vt summe infirmitati culpæ immediate succederet melioratio, sicut summum statum acutę febris sequitur crisis, & sanatio. Quarta, vt homo, de lege naturali, & scripta prius conuinceretur: quia si Christus statim venisset, diceret homo, quod per legem naturæ saluari poterat, & superfluum crederet aduentum Christi: similiter dicere poterat de lege scripta: sed comperto, quod nec sic, saluari poterat; cum omnes ad inferos descenderent, tunc venit ipse, tunc erat tempus miserendi eius. Quinto, vt sicut prius homo conditus fuit sexta die ad totius mundi complementum: sic Deus homo fieret in sexta ætate ad totius creaturæ perfectionem. Sexta enim ætas apta est ad exercitium sapientiæ, ad remissionem culpæ, ad meritum vitæ æternæ, ad transitum de statu miseriæ ad statum gloriæ: & ista notantur in sexta ætate, ratione perfectionis senarij. Sexta quia Christus non debuit venire in principio temporis; quia aduentus eius nimis fuisset festinus: nec in fine vltimo; quia tunc nimis fuisset tardus, sed decebat Saluatorem inter tempus mortis, & tempus iudicij introducere tempus remedij. Vltimo nota, quod Christus natus est in tempore, siue anno quadragesimo secundo Imperij Octauiani, dum totus orbis longa pace frueretur; in quo tempore bella in tantum fuerunt obliuioni tradita, quod quasi omnia arma erant in vomeres, & cætera rusticalia instrumenta conflata. Orbis ergo conditor natus; & ex ventre Virginali caro factus est. *Vagit infans inter arta Conditus præsepia Mẽbra pannis inuoluta Virgo mater alligat: Et manus, pedesq; & crura Stricta cingit fascia.*

Nota. — *Sexta ætas ad quid apta.* — *Natus est Christus anno 42. Imperij Octauiani.*

¶ Christus, inquam, postquam caro factus est, ac postquam natus fuit, statim sic infans positus fuit inter angusta præsepia: vbi vagit, plangitq; Virgo vero Maria eius mater, sui filij infantis membra per eam iam pannis inuoluta, alligat, colligatq;. Similiter fascia, hoc est, vitta eadem Mater eius manus eiusdem infantis, pedesq; & crura stricta, idest, breuia, siue curta, seu crura cingit, circuncingitq;. Est enim fascia genus ligaturæ, qua pueri ligari solent, aliudue quispiam constringi, vt apud Isaiam: Dominus comminabatur filiabus Sion in reprehensione superbiæ ipsarum, nempè; quod erit eis pro suaui odore fetor: pro zona, funiculus, pro crispanti crine, caluitium: & tandem pro fascia pectorali, cilicium. Et Ierem. 2. Numquid obliuiscitur. Virgo ornamenti sui: aut sponsa fasciæ pectoralis? Sed de istis ornamentis sinamus Vlpianum in l. argum. §. ornamenta ff. de auro, & argen. legat. disputare, ac dicere. Cæterum quod Christus dignatus est in præsepio poni (nam Angelus ad pastores dicit: Et hoc vobis signum: inuenietis infan-

Fascia quid. — *Isai. 3.* — *Nota contra mulieres.*

Auguſt. in ſerm. in feſto Purif. B. M. V. tem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio) hoc fecit ſecundum Auguſtinum, vt eſſet piorum cibarium iumentorum. Verum Euſebius Emiſſenus in Homil. Natiuit. Dom. dicit; per ſtabulum intelligi Eccleſiam: per præſepium diuinam ſcripturam. Stabulum *Stabulum quid.* enim vocatur Eccleſia; ad quam Dei animalia vndiq; fluunt, ibiq; ſtant, & mouentur in ea. Vnde ſcriptum eſt in pſalmo: Animalia *Præſepium quid.* tua Domine habitabunt in ea. Hæc autem animalia quaſi in præ- *Pſal. 67.* ſepio in diuina ſcriptura cibis ſpiritualibus nutriuntur, vbi poſitum inueniunt Chriſtum, ibiq; comedunt panem viuum: Beati, qui huius præſepij cibis aluntur, & delicijs ſibi poſitis reficiuntur.

Membra corporis noſtri triplicia ſunt. Per membra vero hoc loco non ſolum radicalia, vt iecur, cor, cerebrum; ſed etiam genitalia, & officialia, nec non, & omnia deſeruientia; vt nerui, manus, pedeſq; & huiuſmodi, de quibus in Hymno, qui incipit: Iſte confeſſor, dicemus; intelligere poſſumus.

Gloria, & honor Deo Vſq; quo altiſsimo: Vna patri, filioq; Inclito paraclyto: Cui laus, & poteſtas Per æterna ſæcula. Amen.

¶ Pro iſtorum verſuum intelligentia, videndum eſt, quid ſit glo- *Gloria qd importet.* ria; & quid honor, & quid laus ſit, & differentia inter vtrunq;. Et quidem gloria, quam hic Deo dare debemus, pro honore latriæ ſumitur, quæ conſiſtit in adoratione, & continuis laudibus: quia laudare, & benedicere, & glorificare Deum, & pro beneficij gra- *Differētia inter laudem, & honorem.* tias agere, nunquam ceſſare debemus. Differentia vero eſt inter honorem, & laudem. Nam honor eſt præmium virtutis, & attribuitur bonis. Aut eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis. Sed laus eſt commemoratio beneficiorum acceptorum. Et ſic honoramus bonos, & virtuoſos indifferenter: ſed laudamus benefactores, agendo gratias pro beneficijs acceptis. Sed quoniam quic- *Honor, & laus quomodo Deo cōpetunt.* quid boni eſt in nobis, recipimus à Deo: ideo non ſolum tenemur honorare Deum, eo quod eſt bonus de ſe: ſed etiam iugiter tenemur laudare eum, commemorantes beneficia, eo quod omnia bona recipimus à Deo: ſic etiam omnes creaturæ, tam animatæ, quam inanimatæ; tam cæleſtes, quam terreſtres, & elementales: quia quicquid boni habent, receperunt à Deo; tenentur Deum laudare, & dicere hic cum hymnete noſtro. Gloria, & honor, & laus ſit Deo ſemper. Amen.

In Dominica Passionis Hymnus ad Laudes Quintusdecimus.

LVstris sex, qui iam peractis
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc
Passioni deditus
Agnus in cruce leuatur,
Immolandus stipite.
Hic acetum, fel, arundo
Sputa, claui, lancea
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnda profluit.
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lauantur flumine.
Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla sylua talem profert
Fronde, flore, germine,
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinet.
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit natiuitas,
Vt superni membra Regis
Miti tendas stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre sæcli precium,
Atq; portum præparare
Nauta mundo naufrago
Quem sacer cruor perunxit,
Fusus agni corpore.
Gloria, & honor Deo
Vsquequo altissimo,
Vna patri, filioq;
Inclyto paraclyto,
Cui laus, & potestas
Per immensa sæcula. Amen.

NOstra sancta Mater Ecclesia, quæ sponsum suum Christum, mente nũquam, nec corpore deserit; numquamq; obliuiscitur ipsum; imo actiones, operationesq; & eius exempla iugiter ipsa imitans; eiusq; ætatis tempora rite semper obseruans; ad immolationem eiusdem sui sponsi describendam, ac nobis eam manifestandam (non enim adhuc perfecte enarrata sunt eius opprobria, siue improperia, quæ iam ipsi irrogata sunt in suæ passionis tempore) se accingit, & præparat, dicens. *Lustris sex, qui iam peractis: Tempus implens corporis; Se volente natus ad hoc Pasioni deditus: Agnus in cruce leuatur: Immolandus stipite.* & reliqua. ¶ In quibus eadem mater Ecclesia dicit per Beatum Ambrosium, præmissi huius hymni Authorem; quod Christus iam tempus implens perfecti, completiq; corporis, nempe, post annos triginta, se disposuit ad id peragendum, propter quod venerat: ac velut innocens agnus

Author hymni huius, est B. Ambrosius secundũ Iacobum de Valen. in psal. 95.

agnus, immolandus super stipitem crucis, clauis affixus primo eleuatur. Secundo recitat multa alia ludibrio ipsi facta. Loco enim optimi vini (quod ex Salomonis decreto dari consueuerat) acetum, & fel ei præponitur; quod non ante crucifixionem, vt alijs; sed in cruce in arundine, porrigebatur: loco enim consolationis, quæ in mortis articulo solet alijs dari, ipse deridebatur, expuebaturq;. Nec contenti clauis eum crucifixisse, mite etiam perforabatur eius corpus; ex quo vnda sanguinis, velut flumen large emanans, omnia mundauit. Tertio ipsa sancta Mater Ecclesia ob tam magnum crucis beneficium, mundo perdito collatum, præ gaudio exclamat, appellatq; crucem fidelem, & nobilem; vt huiusmodi nulla vnquam sylua arborem produceret: si flores, frondesq; & fructus attenduntur. Dulce item lignum crucis, & clauos vocat; quia dulce sustinet pondus. Quarto hoc aduertens sancta Ecclesia; prosopopeia quadam vtens; deprecatur altam arborem: vt laxet tensa viscera: vt stipes crucis mitis factus, non ita cruciet nobilissima æterni Regis membra. Quinto conatur (ratione beneficiorum acceptorum) sancta Ecclesia cruci persuadere, ad quam pari modo eleganti alloquitur prosopopeia: vt memor sit tantorum beneficiorum. Primo quia inter omnia alia ligna, sola ipsa digna fuit, vt mundi precium in se haberet. Secundo, quod ipsa (velut securus nauta) electa: quæ portum mundo naufrago pararet. Tertio quia sola meruit consecrari sacro cruore, è corpore innocentissimi agni effuso. Sexto ea propter supradicta, gloriam, honorem, laudem, & potestatem altissimo Deo cantat. ¶ Sed ad antecedentium quatuor primorum versuum potiorem intellectum, primo videndum est, quid sit lustrum: & lustra sex, quot annos perficiant. Secundo videndum est, quis sit iste agnus, qui in stipite immolatus fuit. Tertio hymni verborum præmissorum, facienda structura est. Ad primum dicimus, quod lustrum, secundum Glos. in Auth. Quas actiones triginta annorum, & Guliel. Durandum in rationali suo lib. 8. cap. 13. est spatium quinq; annorum, aut tempus quinquennale: Quo circa sex lustra conficiunt triginta annos. Namq; infans ille, qui paulo superius conditur inter arcta præsepia, vagire audiebatur; membraq; eius per matrem fascia circumcingebantur, iam implens tempus perfecti, & completi corporis, hoc est, triginta annorum, in eodem trigesimo suæ ætatis anno baptizatus est. Deinde se ipsum per euangelij enunciationem, & miraculorum manifestationem, mundo se manifestauit; deniq; mortem pertulit; ac velut agnus innocens immolatus fuit super stipitem crucis clauisq; se volente, eidem crucis stipiti affixus est. Oblatus

Prouer. 31. *Nota.* *Lustrum quid.* *Christus quãdo baptizatus sit.*

est

est, quoniam, inquit Esaias, ipse voluit, & ad hoc ventre virginali caro factus, olim prodijt, & in mundo conuersatus est; vt passioni, & morti sustinendæ deditus foret, vt etiam attestantur Hieremias, & Lucas. Act. 8. Matth. 26. Agnus vero, qui nunc tandem in cruce leuatus, est ille, quem sancti Patres desiderabant mitti à Deo patre in hunc mundum, qui immolaretur pro eiusdem liberatione, ac redemptione, qui clamantes ad patrem dicebant: Emitte agnum Domine, dominatorem terræ, qui tandem veniens, delatus quasi agnus mansuetus (vt hic in hymni litera dicitur) est ad victimam. lustrum ergo apud Christianos est annus benignitatis, & gratiæ, in quo Christus venit, & nos sua benignitate redemit. Dicit ergo Dei Ecclesia de hoc mansueto agno. Lustris sex iam peractis, hoc est, triginta exactis, ac peractis iam triginta annis Christus Dei filius, qui hic agnus est vocatus, qui implens tempus, siue ætatem corporis humani sponte natus est, vt pateretur, ac velut agnus in ara crucis immolaretur pro redemptione generis humani. Vt sicut ille Paschalis agnus veteris testamenti, qui erat sine macula, liberauit à seruitute Aegyptiaca filios Israel; sic & Christus innocens, impollutus, ac à peccatoribus segregatus, & per consequens acceptatissima Deo hostia; liberaret per eius passionem nos à seruitute Diabolica. Est enim iste agnus, qui non solum innocens erat inter peccatores; iustus inter reprobos; pius inter impios, & in quo nullum peccatum potuit inueniri; sed imo potestatem dimittendi peccata potitur. Vnde Ioannes olim digito illũ demonstrans, videns illum de eo dicebat. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, siue hominum. *Hic acetum, fel, arundo, Sputa, claui, lancea: Mite corpus perforatur: Sanguis vnda profluit: Terra, pontus, astra, mundus: Quo lauantur flumine.* ¶ Cum adhuc completæ ætatis eiusdem Christi expresserit indicibiles, aut ineffabiles huius immolationis, dolores: ideo denuo recitat singularia improperia, malaq; illata innocentissimo agno, nulli alteri vnquam cruci affixo facta. ¶ Pro cuius rei intellectu præmittenda primo est, ipsa verborum structura. Secundo videndum est, quid fel Domino porrectum signet. Tertio quid arundo. Quarto quid tres claui, quibus Christus crucifixus fuit, designent; & vbi hodie sint dicti claui; & multæ aliæ eiusdem Domini Nostri Iesu Christi reliquiæ. Quinto, quid lancea, & corona innuat. Sexto quot suauitates in Christi passione notentur. Septimo colligendum est, quam copiosa apud Christum fuerit nostra redemptio. Hic ergo, idest, in hoc passionis Domini Nostri Iesu Christi, veluti agni immaculati, mysterio, & loco sacrificij, subaudi, sunt, aut habentur, acetum, fel,

Isai. 53. *Isai. 16.* *Hymni structura.* *Exod. 12.* *Ioann. 1.* *Verborum expositio, ac constructio.*

cum, fel, arundo, ac sputa: præterea sunt, & clauis, ac lancea; subaudi, quibus clauis, ac lancea mite Christi corpus perforatur. Nam superiora declarantur per inferiora: licet enim author hymni non posuerit post verba claui, & lancea relatiuum, scilicet; quibus nihilominus suppleuit in sequentibus verbis, dum post dictiones, sanguis, & vnda, posuit relatiuum, quo, scilicet, quo sanguine cum vnda, idest, cum aqua, lauantur terra, pontus astra, & summatim totus mundus. Vnus ergo ex Iudæis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei, scilicet, Christo bibere. Et psaltes dicit: In siti mea potauerunt me aceto; dederunt item ei bibere vinum cum felle mixtum: fel autem istud secundum alios euangelistas, & secundum Albertum Magnum super Mar. 15. hysopus erat: Inquit enim, acetum erat felle mixtum, idest, hysopo, herba amarissima. Vnde Hierem. 11. Quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliena? Deut. 32. Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Ad hæc arundo, secundum eundem Albertum Mar. 15. sambucus fuit, quæ est arundo magna in exterioribus dura, & ictibus suis, liuores inducit, pluſquam nodatus baculus. Arundinem autem dabant Iudæi Domino nostro pro sceptro; significantes vacuum à decore, & fragile esse Regnum Regis, qui se ipsum defenderet. Hic enim arundo Regnum est, in quo Rex fuit Dominus, vaccum iam, & fragile, & transferendum ad alios. Matth. 21. Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et ideo Esaias de Rege Iudæorum dicit; quod innititur super baculum arundineum, qui cum fractus fuerit, intrabit, & perforabit manum innitentis super eum. Beatus quoq; Gregorius in lib. moral. Quid, inquit, calami nomine, nisi Iudaici populi, temporale vacuum? De sputis autem Iob, vltra euangelicam hystoriam, inquit: faciem meam conspuere non verentur. ¶ Christus insuper dicitur tribus clauis fuisse in cruce affixus, significantibus tres cruciatus; quos in cruce sustinuit, videlicet: passionem in corpore: passionem in mente: & passionem in corde. Item, quia passus pro Asia, Africa, & Europa, partibus tribus mundi: Vnde in ictu clauorum sustinuit asperitatem: in gustu aceti, & fellis amaritudinem. ¶ Et nota, quod claui, quibus Dominus Noster Iesus Christus fuit conclauatus; sunt Romæ in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hyerusalem; quorum vnum ego infelix peccator Michael vidi in prædicta Ecclesia, & digitis manuum mearum tetigi sub die. 14. Settembris. 1579. ibiq; vidi similiter tres spinas coronæ Domini. Item vidi titulum inscriptum à Iudæis; nempe: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

Matth. 27 · *Hysopus quid.* · *Fel Domino porrectū quid signat* · *Hierem. 11* · *Arundo quid.* · *Nota.* · *Matth. 21* · *Isai. 36.* · *Iob. 30.* · *Tribus clauis cur Christus fuit clauatus.* · *Claui prædicti vbi hodie comperiantur.*

Ad hæc

Ad hæc vidi vnum ex illis denareis argenteis in eadem Ecclesia, quibus idem Dominus Noster fuit appreciatus. In Ecclesia vero sancti Adriani, est de ligno crucis Domini. ¶ Lancea vero, qua mite Cristi corpus perforatum fuit, charitas est, secundum Ecclesiæ doctores: de qua sponsa in canticis dicit. Vulnerata sum charitate. ¶ Corona autem spinea, est pœnitentia circumponenda capiti, idest, menti; de qua Psalmista. 81. ait. Conuersus sum in ærumna mea; dum configitur spina. Item è Christi corpore sanguis, & vnda, idest, & aqua profluit: ex istoq; sanguine, & aqua, fluxis ex latere eius, factum est flumen magnum, quo terra, idest, omnium hominum natura infatuata, & putrefacta peccatis, non solum, videlicet, habitantes in terris: sed etiam mare, idest, degentes in insulis marinis, & nauigantes per mare: & Pontum; imo, & astra, idest, omnes magni, & alti Principes terrarum, seu tyranni, & blasphematores; os suum ponentes quotidie in cælum; si volunt, mundantur, purganturq; isto precioso Christi sanguine; & per hunc Christi cruorem, & aquam à vitijs suis, & à peccatis omnibus; quia capitis Christi inclinatio ad osculum, fuit in signum nostræ reconciliationis. Brachiorum extensionem ad amplexum, in signum receptionis in gratiam, de peccatis redeuntis: lateris aperitio propter effusionem precij nostræ redemptionis, & ablutionis; clauorum in manibus, & pedibus infixio propter memoriam nostræ recordationis; Corporis denudatio, in exemplum nostræ confessionis, quæ debet esse nuda; Crucis portatio, in exemplum imitationis nostræ: Coronæ spineæ impositio in figuram nostræ glorificationis. Ex omnibus supradictis apparet, quam copiosa Christi redemptio fuerit ad nos comparata; quia non solum nos redemit, quo ad animam; peccata, & pœnam relaxando, & eam à morte culpæ liberando, sed etiam nos redemit, quo ad corpus, ab omnibus pœnalitatibus liberando, & sanando; & immortalitatem recuperando; quam sumus adepturi in nouissimo die, quia si nondum surreximus in actu; tamen iam surreximus in merito, ratione baptismi Christi. Secundo per istam redemptionem, non solum redemit vnum hominem; sed omnes homines: & non solum vnam nationem; sed omnes: nec vnam prouinciam; sed totum terrarum orbem: & terra, pontus, astra, mundus omnis redemptus fuit per Christum. Tertio fuit copiosa ratione temporis; quia non solum redemit præsentes: sed etiã præteritos, & futuros. Quarto fuit copiosa ratione multitudinis peccatorum. Nam non solum nos liberauit, & redemit ab vno peccato, nec ab vno solo genere peccatorum, sed ab omni peccato tam mortali, quam originali, & veniali. Et sic ex omni parte, & loco, & tem-

Denarius vnus, quo appreciatus Christus fuit, vbi sit.

Lancea quid.

Cant. 5.

Corona spinea quid.

Terra quid mystice signet.

Pōtus quid.

Astra quid designent.

Suauitates in Christi passione

Redemptio Christi quo ad nos quadrupliciter fuit copiosa.

&tempore, & numero, hæc Christi redemptio fuit copiosa, quo ad nos, & quia in cruce, & per crucem ipsemet Christus redemit. Ideo clamare omnes debemus clamatione lætitiæ plena. *O Crux fidelis inter omnes: Arbor vna nobilis: Nulla sylua talem profert Fronde, flore, germine: Dulce lignum, dulces clauos Dulce pondus sustinet.* ¶ Hic repete, quod supra dictum, nempe; sanctam Dei Ecclesiam ob tam magnum crucis beneficium, mundo perdito collatum, præ gaudio exclamare; appellatq; crucem fidelem, & nobilem; vt huiusmodi nulla vnquam sylua arborem produceret: si flores, frondesq;, & fructus attenduntur: Dulce item lignum crucis, ac clauos vocat, quia dulce sustinet pondus. ¶ Ad cuius rei veriorem intellectum videndum est primo; quid hic per Crucem fidelem mystice debemus intelligere: nam secundum historiam plana est litera hymni. Secundo, quid similiter per nobilem arborem. Tertio dicendum est, quod nullo vnquam tempore fuit sylua, quæ proferret talem arborem; quæ tales haberet frondes, flores, ac germina; quales habere istam videmus. Quarto est aduertendum, quomodo supradictæ frondes, seu folia, floresq;, & germina sint mystice intelligenda. Quinto obseruandum est, quid hic per dulce lignum sit accipiendum. Sexto quid per dulce pondus. Ad primum dicimus, quod per crucem fidelem, hoc loco, Christum crucifixum intelligere debemus; quam enim fidem dicimus habere rem inanimatam; & maxime ligna, aut stipitem? cum huiusmodi res, nec fari, nec aliquid nobis promittere possunt? Per fidelem ergo crucem, Christum crucifixum intelligere debemus, qui fidelis dicitur, eo quod impleuit promissa, & vaticinia prophetarum per aduentum suum, & per passionem, & resurrectionem suam. Fidelis enim Dominus est in omnibus verbis suis, dicit Psaltes; quia omnia, quæ erant in lege, & Prophetis scripta, & promissa, compleuit; quinimo vnum non fuit ita prætermissum, quin per Christum fuerit impletum; & quis dicitur verax, & fidelis, quando impleuit, quod promisit. Item hic Christus arbor nobilis esse dicitur; quia ipse dicitur esse arbor vitæ, siue lignum vitæ, plantatum in vtero virginali, & in Ecclesia loco illius, & bene dicitur arbor, siue lignum vitæ Christus; quia vltimum, quod expectatus ab arbore, dicitur fructus, & vltimus vsus dicitur frui. Nam ideo agricola colit agrum, & arborem, vt finaliter inde colligat fructum, & fruatur eo, & requiescat in eo: ita à simili, nos fideles colimus ipsum Christum, obseruando legem, vt hic colligamus fructum gratiæ, & in fine fructus gloriæ, & sic vltimum, quod expectamus ex cultu Christi, & obseruantia diuinæ legis, est vltima fælicitas & beatitudo; & vt fruamur

Crux fidelis quid significat.

Christus dicitur fidelis, & quomodo.

Psal. 144.

Verax, & fidelis quis.

Christus filius Dei dicitur arbor nobilis, ac lignum vitæ, & quomodo.

fruamur toto Christo, scilicet, eius diuinitate cum humanitate. Et sic Christus est verum lignum vitæ, ex quo expectamus, & colligimus fructus vitæ; & hoc lignum, siue hanc arborem vitæ, qui est Christus, vidit Ioann. apocal. plantatam in medio paradisi Ecclesiæ cum dicit; & ostendit mihi Angelus flumen aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni in medio plateæ eius. Ex vtraq; parte lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos reddentes fructum suum. Item Christus dicitur arbor nobilis, quoniam ab ea omnes nos descendimus. Vnde Boetius de consolat. lib: 3. omne humanum genus in terris (simili surgit ab ortu). Vnus enim rerum pater est, vnus cuncta ministrat: (Ille dedit Phebo radios:) Dedit cornua lunæ). Ille homines etiam terris Dedit, & sidera cælo: Hic clausit membris animos, Celsa sede petitos: Mortales igitur cunctos Edit nobile germen. ¶ Verum quid per flores, frondesq;, ac folia, germinaq; istius arboris nobilis? nil aliud intelligere debemus, quam Christi prædicationem, miracula, redemptionem, glorificationemq;, ac Ecclesiastica sacramenta, & sacramentorum effectus, & remissionem culpæ, & collationem gratiæ. Nam per flores Christi prædicatio, & miracula intelliguntur. Per folia vero, & frondes Ecclesiastica sacramenta. Sed per germina fructus, & effectus sacramentorum notatur, quem fructum sacramentorum fecit prædicta arbor, idest, Christus plantatus in medio Ecclesiæ, & hoc per singulos menses, & dies; fructus autem prædictus, quem facit prædicta nobilis arbor, Christus, lignum vitæ, est duodenus, scilicet; charitas, gaudium, patientia, benignitas, bonitas &c. quos Paulus ad Galatas quinto, enumarat. Ex prædictis ergo patet, quod nulla sylua cædua reperitur hodie, quæ huiusmodi flores, frondesq;, ac germina faciat. Pari modo ex supradictis, quid per dulce lignum, ac dulce pondus, hic sit intelligendum, liquet. Nam dulce lignum, est idem Christus. Dulce vero pondus, sunt eiusdem dulcis ligni fructus, & effectus sacramentorum; nempe, culpæ remissio, & gratiæ collatio, quem ex Christi passione consequimur in præsenti; sed in futurum fructum gloriæ. Vel per dulce lignum, intellige illud lignum vitæ, quod positum fuerat in medio paradisi, figurans etiam crucem Domini, quæ data est nobis loco illius ligni: quod quidem lignum, idest, quæ quidem crux sustinet dulce pondus, idest, facit fructum nostræ redemptionis, quando fuit plantata in monte caluario. *Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lentescat ille, Quem dedit natiuitas, Vt superni membra Regis: Miti*

Apoc. vlt.

Boet.

Flores, frondesq; atq; germina quid signi[ficent]

Galat. 5.

Lignū vitæ plantatum in Paradiso crucem Domini significat.

tendas

tendas stipite. ¶ Ad præmissorum, carminumue, intelligentiam, primo cognoscendum est, de quo ligno fuit crux, in qua suspensus fuit Christus. Secundo cognoscendum est, quid per ramos. Tertio quid per tensa viscera. Quarto, quid per crucis, aut ligni crucis natiuitatem hic intelligamus. Quinto ipsa verborum expositio enodanda est. Sexto videndum est, quot ligna fuerint in cruce. Septimo, quid rami, seu brachia crucis designent. Ad primum dicimus, quod in Libano, qui est mons arduus inter Arabas, & Phœnices, reperiuntur arbores præexcelsæ, ac altissimæ; inter quas est cedrus, de qua Psal. 78. Confringet Dominus cedros Libani; & de isto cedri ligno communiter dicitur à Theologis fuisse fabrefactam crucem, in qua suspensus fuit Christus; & per consequens hæc arbor crucis Christi est omnium illarum arborum, quę in Libano sunt, altissima, dignitateq;, ac eminentia sublimior est. Huius autem Christi crucis rami sunt eiusdem crucis ipsæ extremæ partes, quæ à Theologis brachia dicuntur, & nuncupantur. Sed per tensa viscera, hic Christi membra, ac corpus eius totum in crucem situm, ac inclusum, sicut inclusa sunt viscera in corpore nostro. Ad hæc natiuitas crucis hic signi crucis ipsius duritiam, ac soliditatem signat, vimq;, ac naturam, & potentiam, ac virtutem dicit. Ad crucem ergo hic per prosopopeiam quandam, ac personarum fictionem sermonem nostrum dirigimus; exposcimusq; ab ea, vt illa extremarum partium flexione, & incuruatione, reddat laxiora Christi membra, in ea confixa: ne ex minima distensione, qua omnia ossa dinumerari potuerint (dicit Christus de se in Psal. 78. sicut aqua effusus sum, & distensa sunt omnia ossa mea, factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei) grauius ipse crucietur. Petimusq; vt naturalis illa eius soliditas, ac durites ligni crucis lentior fiat, & flexibilis: qua flexibilitate Christi mēbra tendantur mitius, ac laxius, ac ne tam grauem ipse patiatur dolorem. Vltimo loco nota, quod crux Christi ex quatuor lignis fuit fabricata: pes namq; crucis fuit de cedro: stipes de cupresso: transuersale, de palma: tabula de oliua. Significat enim cedrus altitudinem contemplationis. Cupressus famam bonæ opinionis. Palma fructum iustitiæ. Oliua misericordiæ lenitatem. Nouissimo loco quatuor ipsius crucis extremitates, seu brachia significant quatuor virtutes, quibus extendi debet homo noster interior, idest, anima. Signat enim pars superior charitatem: inferior humilitatem: à dextris obedientiam: à sinistris potentiam. Item in quatuor brachijs crucis notantur beneficia crucis. Signat enim pars superior ianuæ cælestis aperitionem: inferior, inferni destructionem: à dextris gratiæ col-

Crux, in qua Christus fuit crucifixus, de quo ligno fuerit.

Natiuitas hic quid signet.

Prosopopeia quid.

Verborum expositio.

Ex quatuor lignis crux fabricata, & quibus.

Quatuor brachia crucis quid figurant.

tiæ collationem: à finiſtris peccatorum remiſſionem. *Sola digna tu fuiſti Ferre ſæcli precium, Atq; portum præparare Nautæ mundo naufrago, Quem ſacer cruor perunxit, Fuſus agni corpore.* ¶ Aduertendum eſt, quod precium ſæcli, hic Chriſtus appellatur, quoniam perditus mundus (ſe tradente Chriſto in mortem) per eum redemptus eſt. Vel quia fuit appretiatus ſecundum Matth. 26. triginta argenteis. ¶ Ad cuius rei meliorem intellectum notandum eſt, quod licet peccator lædat proximum, tamen in primis offendit Deum; quia ipſius Dei legem tranſgreditur, & præuaricatur: & violat: & eius præcepta contemnit. Ex conſequenti lædit proximum, inferendo ipſi damnum in fama, vel in bonis, vel in perſona: & hoc corde, vel ore, vel opere; & ſic omne peccatum eſt infinitum in debito; quia eſt contra Deum infinitum; & ſic licet pro damno, & iniuria proximi poſſit ſatisfieri aliquo finito precio: nihilominus iniuriæ factæ Deo nullum precium finitum poteſt ſatisfacere. Nam iniuria facta proximo, comparata iniuriæ factæ Deo; eſt ſicut comparatio centum denariorum ad decem millia talentorum auri, & ideo omne peccatum eſt irremiſſibile, quo ad nos: quia nullus de ſe poteſt ſatisfacere, nec inuenire aliquod precium, quo ſatisfaciat iniuriæ factæ Deo, & debito decem millium talentorum; vt patet in eadem parabola: & ideo ſecundum Auguſtinum lib. cur Deus homo; dicit, quod oportuit reperiri aliquod precium infinitum, per quod ſatisfaceremus debito infinito, ſcilicet, pro omni peccato, & iniuria, Deo facta, & precium iſtud eſt paſſio, & aſperſio ſanguinis Chriſti. Nam merita illius paſſionis ſunt precium infinitum, eo quod proceſſit ex obedientia, & humilitate, & charitate infinita; nam licet voluntas Chriſti humana fuerit finita in ſubſtantia, tamen fuit infinita in affectu; quia in immenſum voluit humiliari vſq; ad mortem crucis. Item quia tota perſona Chriſti erat infinita; ideo etiam illa paſſio dicitur eſſe precij, & meriti infiniti; eo quod Chriſtus erat Deus, & homo, & filius vnicus, & dilectus, & purus, & innocens: ideo illa paſſio fuit patri chara, & accepta in precium infinitum; ideo ſatisfecit pro omnibus peccatis, præteritis, & futuris. Et ſic Chriſtus in cruce obtulit ſe ipſum, & paſſionem ſuam patri, non ſolum pro peccato primorum parentum; ſed etiam, vt ſatisfaceret patri pro peccato omnium noſtrorum: quia tunc ille ſanguis præbuit virtutem ſacramentis, ſcilicet, baptiſmo ad tollendum originale: pœnitentiæ ad ſatisfaciendum pro actuali: ex quo patet, quod paſſio, & ſanguis Chriſti nihil aliud eſt, niſi quoddam precium infinitum, quo ſoluitur omne debitum. Vnde dicit Aug. ſuper Pſal. 21. ſermone 2. Ecce Chriſtus paſſus eſt: Ecce mercator

Peccatum non eſt in proximum quando fit in Deum.

Nota.

Auguſt.

Chriſt⁹ crucifixus eſt vt perſona cõmunis, ideo ſæcli dicitur precium.

Paſſio, & ſanguis Chriſti ...

cator ostendit merces suas: Ecce precium, quod dedit: Ecce sanguis eius fusus est: in sacro sui corporis ferebat precium: percussus est lancea; scissus est saccus, & precium orbis terrarum manauit, quod tantundem est dicere; & manauit sæcli precium, & apertus est infernus, & emptum est cœlum. Ex his patet, quod sanguis Christi fuit precium totius sæcli, seu totius orbis terrarum, quo precio Christus non solum soluit omne debitum peccati; sed etiam pro nobis emit cælum. ¶ Notandum secundo loco est, quod pulchra quadam metaphora, hic ipsa crux nauta dicitur: quoniam totum genus humanum, ad æternæ salutis stationem direxerit. Et ita mundo, hoc est, humano generi, quod in diluuio peccatorum inciderat in naufragium animæ suæ, ac suæ salutis, hæc crux, idest, Christus crucifixus tutum nobis præparauit portum, ac tranquillum; vt nauta peritissimus; in quo portu nunc semotus ab huiusmodi naufragio saluatur; si vult; totus mundus, cùm iam eum sanguis eiusdem Christi crucifixi, quem effudit pro eo, abluit ab omnibus inquinamentis, maculis, vitijs, atq; peccatis: eodemq; sanguine, tanquam oleo salutis perunctus, perfusufq; in æternum manet. Ex qua re nota tertio loco, quod Christus sex vicibus sanguinem suum fudit, secundum Albertum Magnum Lucæ. 22.c. 2. quinquies viuus, & semel mortuus: in vita, scilicet, in circumcisione: in oratione: in coronatione: in flagellatione: in crucifixione: & in laceratione. Per primum docemur peccata abijcere. Per secundum mentis angustiam pro salute nostra tenere. Per tertium, animam nostram virtutibus ornare. Per quartum carnem nostram domare. Per quintum membra nostra mandatis Dei ligare. Per sextum vulneratum cor dei amore habere. *Gloria, & bonor Deo Vsquequo altissimo, Vna patri, filioq; Inclyto paraclyto, Cui laus est, & potestas Per immensa secula. Amen.* ¶ Aduertendum hoc vltimo loco est, quod dictio vsquequo, sumitur sæpe interrogatiue, quæ idem significat, quod vsque, ad quod tempus, aut locum, vt Psalm. 12. Vsquequo auertis faciem tuam à me? sed hoc loco, & si minus proprie, & vsitate, sumitur assertorie pro vsquequaque, omni loco, pariter, & omni tempore, ac semper, & vbiq; . Amen.

Nota.

CruxChristi per metaphoram dicitur nauta, & quare.

Sanguis Christi crucifixi emundauit genus humanū, ab omnibus peccatis.

Christus sanguinem suum fudit

Sanguinis Christi effusio docet quid.

Dictio vsquequo ad hic signet.

Psal. 12.

Dominica

Dominica in Albis ad Vesperas Hymnus Sextusdecimus.

AD cœnam agni prouidi:
Et stolis albis candidi:
Post transitum maris rubris
Christo canamus principi.
Cuius corpus sanctissimum
In ara crucis torridum
Cruore eius roseo
Gustando viuimus Deo.
Protecti paschæ vespere
A deuastante Angelo
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.
Iam pascha nostrũ Christus est,
Qui immolatus agnus est:
Sinceritatis azima
Caro eius oblata est.
O vere digna hostia:
Per quã fracta sunt tartara,
Redempta plebs captiuata
Reddita vitæ præmia.
Cum surgit Christus tumulo
Victor redit de Baratro
Tyrannum tradens vinculo
Et reserans paradisum.
Quæsumus Author omnium,
In hoc Paschali gaudio;
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti à mortuis
Cum patre, & sancto spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta mater Ecclesia, quæ magnum hodie ex Christi victoria de morte,& inferno,per resurrectionem habita, & reportata; habet gaudium, & propterea non amplius ad pœnitentiam,neq; ad passionem nos vocat, sed ad cęnam (quæ post diurnos labores celebrari solet) inuitat, & vocat sacratissimi & noui, & veteris testamenti: *Exod. 12.* vtrumq; enim amplectitur, & approbat: prout sacrosanctum Concilium Tridentinum mandat suscipi,ac venerari: inhærens eloquijs, ac scripturis: ab immaculati agni veteris testamenti immolatione desumpta materia: agnum verum, & immaculatum, impollutum, & innocentem noui testamenti, Christum, videlicet,fortem,atq; victorem, canere,atq; laudare auide cupiens; sic orditur. *Cõcil Trident. sess. 4. in decreto de canon. scrip.* *Ad cænam agni prouidi, Et stolis albis candidi, Post transitum Maris rubri: Christo canamus Principi,&c.* ¶ In quibus omnibus,& sequentibus eadem alma, hoc est, virgo sacra nostra mater Ecclesia admonet nos, ac inuitat, vt cum puritate, & munditia sacrosanctum corpus Christi sumamus,in hoc sacrosanctissimo tempore paschali.Secundo resurrectionis eius mysteria per eam nobis referuntur, referanturq; nempe, quod spoliato inferno, deuictoq; Sathana, resurrexit de sepulchro. *Author huius hymni est Ecclesia.*

Hymni huius diuisio, & summa.

Nota.

Christus agnus multũ differt ab agno veteris testamenti.

pulchro. Secunda pars eſt ibi. Cuius corpus ſanctiſſimum, &c. ¶ Sed ad veriorem totius huius hymni elucidationem, notandum eſt primo circa quaterna hęc ſupradicta carmina, quod ad hoc, vt inuitanti ad cęnam grati eſſe poſſimus, operam dare debemus, vt prudẽter, multipliciq; veſte, fide, nempe, ac bonis operibus, induti poſt exaltatos tantum labores pœnitentiæ, ac paſſionis; Chriſto principi canamus. Secundo notandum eſt, quod Princeps iſte Chriſtus pro nobis tam fortiter dimicauit, vt Diabolum interfecerit; & ipſe ſibi in tantis laboribus pro victoria reportanda non pepercit, vt proprium corpus in cruce, veluti in igne altaris torreri voluerit: vt pro nobis cibum conficeret; quo guſtato ſemper viuere poſsimus. Notandum eſt tertio, quod non ſolum vult nos Deo Chriſtus viuere; ſed poſt hac protegi à timore nocturno, nempe, ab Angelo, mundanos (ad ſimilitudinem Aegyptiorum) deuaſtante: immo etiam non tantum protegi; verum & liberari à Diabolo, ſicut illi fuerunt à iugo Pharaonis duriſsimo liberati. Quarto nota, quod aliud eſt noſtrum Paſcha ab illo quondam antiquitus celebrato in Aegypto. Nõ enim brutum animal eſt immolatum, ſed purus, ſanctus, innocens, ſegregatus à peccatoribus, Chriſtus noſtrum eſt Paſcha. Quinto nota, & dic: O vere digna hoſtia, cui non ſolum Pharao Rex Aegypti; ſed nec infernus cũ ſuo Rege Diabolo potuit reſiſtere, quin capti ad mortem redirent ad vitam, præmiaq; ipſius vitæ æternæ, tanquam & ipſi victores per Chriſtum reſiſterent, ac exiſterent. Sexto loco notandum eſt, quod tunc capti rediere ad vitam: quando è tumulo Chriſtus reſurrexit, ſpoliato inferno, ligato tyranno Diabolo, ac paradiſo reſerato. Septimo notandum eſt, ac dicere debemus, ad te ò Chriſte victor, imo, & omnium author: vt nos, ac omnem populum tuum ab omni peccati mortalis inuaſione defendas poſthac; vt paradiſum per te reſeratum poſt huius vitæ noſtræ curſum mundi penetrare valeamus. Ergo ex ſupradictis omnibus apparet, quod ſicut populus Iſrael per eſum agni paſchalis, & aſperſionem ſanguinis ipſius ad poſtes oſtij, & ſuperliminaria domus, ereptus fuit per Deum ab angelo exterminatore, ac interfectore primogenitorum Aegypti: ita nos Chriſtiani, vere filij Iſrael, qui in Chriſto, & per Chriſtum benedicti ſumus in illo maris rubri tranſitu, ideſt, in baptiſmate, & qui directi ſumus à Chriſto per legem euangelicam, per immolationem veri agni Chriſti, qui ſuſtulit peccata mundi; liberati ſumus à Dæmone vaſtatore, & à grauiſsimo ipſius iugo exempti. Ac quemadmodum filij Iſrael (ſecundum carnem hic filios Iſrael natos intelligo) poſt eſum agni pertranſito mari rubro; cecinerunt

runt Deo canticum, quod ab Aegyptijs liberaret eos, dicentes: Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare, &c. Ita & nos suscepto baptismate, quod per rubri maris transitum signatum est, ac dimissa Aegypto, tanquam peccati regione, cantamus Domino Duci, ac liberatori nostro debitas laudes, ac iam præmissum hymnum. ¶ Nunc ad verborum declarationem deuenientes, primo notandum est circa quaternos primos huius totius hymni versus; quid hic per agni cęnam intelligimus; & quibus hæc cæna fuerit decorata. Secundo notandum est, quot cænas Christus fecerit. Tertio notandum est, qua prouidentia ad hanc agni cęnam accedere debemus. Quarto notandum est, qui nam olim prohibebantur esse participes cęnæ agni veteris testamenti; & qui hodie. Quinto notandum, quonam habitu Christiani accedere debent ad cænam huius agni. Sexto videndum est, quid stola mystice signet. Septimo quid per transitum maris rubri sit accipiendum. Octauo aduertendum est, cur canere debemus Christo Principi, & quid ei canere præcipiamur. Et quidem quantum ad primum dicimus, quod cęna agni hic dicitur mensa, siue communio corporis Christi; Christus enim ex hoc mundo transiturus ad patrem, inquit, Concil. Trident. sess. 13. cap. de ration. inst. sacram. Euchar. fecit cęnam corporis sui in memoriam suæ passionis, & in signum spiritualis refectionis, quam dimisit sub sacramento Eucharistiæ. Quæ cęna fuit ex septem decorata, videlicet, ex protensis ferculis, & suauibus poculis; ex generositate ministrantium, ex dignitate recumbentium, ex temporis congruitate, dilectionis charitate, & ex allocutionis alacritate. Ibi enim fuit preciosissimum ferculum; poculum suauissimum; ministerium benignissimum Christi: cætus dignissimus Apostolorum: tempus congruens, & amor intensissimus, & sermo præclarissimus; charitas, scilicet, inflammans, & veritas radians. Item hæc cena sacramento perficitur, vt dictum est: per quod fit incorporatio Christi, alias, Christo ad salutarem omnium bonorum communionem per sumptionem sui corporis, & per sumptionem sui sanguinis. Perfecta fit reconciliatio ad Deum patrem per precium redemptionis suæ sanctissimæ animę. Viuificatio item fit ad restitutionem omnis deperditionis spiritualis vitæ in effluxu sui sanctissimi spiritus. Et grati perfecta gratificatione reddimur Deo ex gratitudine suæ diuinitatis: & ex vase omnis gratiæ (quod est sacramentũ Eucharistiæ) gratiam pro gratia accipimus; vt Christo semper confirmemur, & vniamur. Prophetauit autem de hac Isaias dicens. In die illa faciet Dominus om-

Exod. 15.

Aegyptus peccati regio nũcupatur.

Cæna agni quid.

Agni Dei effectus, qui.

Eucharistia est vas omnis gratia.

Isai. 25.

nibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ; conuiuium medullatorum pinguium vindemiæ defæcatæ. Quatuor autem cænas, secundum Albertum Magnum, Lucæ 14. facit Dominus noster Iesus Christus, scilicet, cęnam in refectione doctrinæ: cænam in refectione virtutis, & gratiæ: cęnam in refectione Eucharistiæ: & cęnam in refectione gloriæ. Refectionem doctrinæ fecit Christus in contemplatione intellectu: Refectionem virtutis, & gratiæ fecit in voluntatis affectu, Refectionem Eucharistiæ in corde, alias in cordis deuotione, & fidei gustu; Refectionem gloriæ facit in patria, in suæ dulcedinis aspectu. De prima dicitur Apoc. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi intrabo, & cęnabo cum eo, & ipse mecum. Pulsat enim verbum Dei, & sapientia patris per veritatem, & intellectum, vt aperiatur ei per fidei consensum. De secunda, virtutis, scilicet, & bonitatis charitate, dicitur in Iudith. Ozias suscepit Achor in domum suam expleto consilio, & fecit cęnam magnam. Ozias fortitudo Dei interpretatur, & significat Christum, Dei virtutem, siue fortitudinem. Tertia cęna, scilicet, in gratiæ vbertate facta, ex qua Eucharistiæ nomen accepit: quæ bona gratia interpretatur; est cæna paschæ, quam Christus habuit cum discipulis; & de ista sacratissima cæna hic nos sermonem habemus. Quarta cęna, scilicet, in gloria, & in omni beatitudinis perfectione, est cęna de qua dicitur 2. Esdræ 3. Rex Darius fecit cęnam magnam omnibus vernaculis, & omnibus magistratibus Mediæ, & Persis: & omnibus purpuratis, & prætoribus sub illo. Rex iste significat illum, qui in vestimento, & fæmore habet scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. ¶ Ad hæc prouidi ad hanc cęnam accedere monemur hic, ac candidi stolis albis: prospicientes bene: vt, sicut docet post Apostolum sacrosancta Tridentina Synodus sess. 13. cap. 7. nullus nostrum sibi conscius peccati mortalis, quantũuis sibi contritus videatur absq; præmissa sacramentali confessione ad eã accedere debeat. Probet ergo se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Quod cum, inquit Haymo, omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit: specialiter tamen ministris Ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur: quando in veteri lege carnes agni, qui in figura corporis, & sanguinis Dominici, immolatus est, non prius commedere permissi sunt, quam renes accinctos haberent, Domino dicente: Si ergo comeditis illum, renes vestros accingetis: calceamenta habentes in pedibus vestris. Sanctus item Thomas Aquinas inquit. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus gestantes, agnum cum

festina-

Cænas quatuor fecit Christus.

Nota.

Apoc. 3.

Iudith. 6.

Math. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 2.

2. Esdræ 3.

Apoc. 19.

Qua prouidentia accedere debemus ad communionẽ corporis Christi.

Haymo in Homil. de confess.

Exod. 12.

Thomas in off. corp. Christi.

festinatione comedebant: te multo magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palæstinam erant prodituri: tu vero debes in cælum migrare. Item dixit Dominus ad Moysen; loquere ad Aaron, & ad filios eius. Homo de semine vestro, in quo fuerit macula, non accedat ad altare: si gibbus fuerit, si lippus: si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel iugem scabiem: si cęcus fuerit, vel claudus: si fracto pede, vel torto naso: si fuerit ponderosus, vel hærniosus. Qui enim sacra mysteria manibus tractare, & aliis ministrare debent; dignum est, vt ab omni macula, & immunda pollutione sint alieni; vt scilicet, mente sint casti, & corpore pudici; & hoc, est accedere ad cænam agni prouidi, & stolis albis candidi, idest, mentis castitate, & mundo corpore. Vnde Dauid cum venisset ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos accipere voluit, quam se suosq; mundos à mulieribus testaretur; ait enim: & quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur: & fuerunt vasa puerorum munda: Non solum ergo ab alienis, & concubinis, sed etiam à proprijs se continuerunt vxoribus. Qua propter consideret vnusquisq; conscientiam suam, & si se incontinentem senserit in corpore, abstineat se à sacra communione, ne forte ad iudicium, idest condemnationem, accipiat; quod fidelibus datum est ad remedium: timens illud, quod terribiliter clamat Paulus, dicens: Quicunq; manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat: qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini. Vnde Beatus Augustinus in sermone dedicat. Ecclesiæ ait: si enim cognoscens quis reatum suum, ipse se à diuino altari subtraxerit; cito ad intelligentiam diuinæ misericordiæ perueniet; quia sicut qui se exaltat, humiliabitur, & è contrario, qui se humiliat, exaltabitur. Si ergo cum certo ritu agnus Paschalis in veteri lege manducabatur: tenentes, vt dictum est, manducaturi in manibus eorum baculos, renesq; habentes succintos, & calceos in pedibus circumpositos: ita & nos manducaturi agnum noui testamenti, stolam in vtroq; humero positam hic habere exhortamur. Stola igitur sacerdotum erit: purpura Regum: cuculla Monachorum: toga Aduocatorum: clamis Militum, & habitus Rusticorum: vt notanter traditur in cap. Ecclesia dis. 3. & in l. 1. c. nulli licere. lib. ii. Est insuper aduertendum, quod hoc loco stola accipitur pro corpore, quo anima vestitur; & anima, qua corpus ornatur. Vel stola accipitur hoc loco pro tegumento corporis, & pro animi habitu, & indumento quodã, quod est habitus, & virtus. Vel stola, idest, opera interiora, & exteriora:

Leuit. 21.

Qui erant olim qui prohibebantur comedere de agno veteris testamenti.

Qui hodie sunt prohibiti corpus Christi sumere.

Nota.

Stolam ad cænã agni accedentes sacerdotes habere debent.

Purpuram Reges.

Monachi cucullam:

Milites clamydem.

Rustici habitum.

Transitus maris rubri quid signet. riora: quæ sunt mentis, & corporis spiritualia indumenta. Per transitum vero maris rubri hic intelligimus transmutationem nostram, ac conuersionem nostram; qua per Christi passionem, & resurrectionem, nos à morte transiuimus ad vitam, à tenebris ad lucem, à seruitute ad libertatem, à vitijs ad virtutem. sicut enim filijs Israel, quos eduxit Dominus à terra Aegypti, & de domo seruitutis, transitum fecerunt per mare rubrum, vnde dicit sapiens de eis: & transtulit, inquit, illos per mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam; ita Christus, per suum sanguinem, tanquam per mare rubrum eduxit nos à seruitute Diaboli in seruitutem Dei; cui seruire regnare est; & sicut filij Israel post transitum huiusmodi scilicet maris, Domino canticum cecinerunt, carmen Deo; & dixerunt: Cantemus Deo, postquam, scilicet, tam mirabiliter transierunt mare rubrum: ita & nos Christo, duci, Principiq; nostro, canamus carmem, laudemq;, vimq; eius, ac fortitudinem suam contra Diabolum, & aduersus potestates tenebrarum harum: qui transtulit nos de perditione, ac de regione mortis ad statum gratiæ, & gloriæ futuræ. Et non solum Deum laudemus; quia de vitijs ad virtutes euexit, ad gratiamq; & futuram gloriam; sed etiam quia corpus suum gustandum dedit nobis; vt in eius gratia, ac ipsemet viueremus Deo. Vnde propterea subdit hymni litera: *Cuius corpus sanctissimum: In ara crucis torridum Cruore eius roseo Gustando viuimus Deo.*

Exod. 14. cap. 10.

Cantare Deo, ac gratias agere ei debemus de acceptis ab eo beneficijs.

¶ Ad præmissorum quatuor horum carminum intellectum, notandum primo est, quod crux Christi, hic ara appellatur. Secundo notandum, quid sit torridum. Tertio verborum declaratio est aduertenda. Crux igitur Christi hic ara appellatur ad instar, ac similitudinem Aræ Abraæ propter veræ hostiẹ oblationem. Nam sic Deus dilexit mundum, inquit Ioan. 19. vt filium suum vnigenitum daret. Et hoc est, quod dixit Deus in figura ad Abraam. Tolle filium tuum, inquit, vnigenitum, quem diligis Isaac: & offer illum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi. Vnde Abraam personam gerit Dei patris: Isaac gerit personam Christi: & propterea sicut Abraam filium suum vnicum, & dilectum Deo obtulit victimam; ita Deus Pater vnicum filium, & dilectus pro nobis tradidit victimã. Et sicut Isaac portauit ligna holocausti, imposita super humeros suos à patre; ita Christus in humeris suis gestauit lignum crucis, in quo erat crucifigendus. Ioan. baiulans sibi crucem; & sicut pater portauit ignem in manibus suis, & gladium; ita Deus Pater portauit ignẽ in manibus, idest, zelum in operibus. Hinc bene hic dicitur: In ara crucis torridum. Portauit & gladium, quo separaret patrem, & filium. Præterea torridum id dicitur, quod igne crematum est, & exustum:

Crux Christi cur ara appellatur.

Genes. 22.

Abraã gerit personã Dei patris.

Nota.

Ioan. 19.

Torridum quid.

ſtum: à torrendo dictum, quod igne excoquere ſignat. Et quoniam ſanctiſſimum Chriſti corpus in ligno igne paſſionis, & doloris acerbitate excoctum fuit; recte hic torridum dicitur. Vel torridum dicitur corpus Chriſti ad ſimilitudinem agni Paſchalis, quia nec crudus, nec coctus aqua, ſed ipſe aſſus fuit. Nos ergo Chriſtiani ſanctiſſimum hoc Chriſti corpus; quod in ara crucis vna cum precioſo eius ſanguine roſeo excoctum fuit igne paſſionis ſuæ; guſtantes aliquando, & participantes, viuimus Deo. Vnde ipſa veritas dicit de ſe in Euangelio: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, & habet vitam æternam. *Protecti Paſcha veſpere A deuaſtante Angelo, Erepti de duriſſimo Pharaonis imperio.* ¶ Pro intelligentia iſtorum aliorum quatuor carminum, præmittendum eſt, quid hic Paſcha ſignet. Secundo videndum eſt, quid veſper importet. Tertio videndum eſt, de quo nam Angelo, ſit hic accipiendum. Quarto quem intelligere debemus per Pharaonem. Quinto à quibus nos eripuerit iſte Angelus. Sexto videndũ eſt, quanta ſit Diaboli in nos poteſtas, ſeu imperium. Ad primum reſpondemus, quod Paſcha hoc loco accipitur eo modo, quo ſumitur Exod. 12. & Leuit. 23. hoc eſt, pro hora vnius diei, hoc eſt, pro veſpere lunæ quartæ decimæ. Vnde ait prædicta Exodi ſcriptura. Quartadecima die ad veſperam Paſcha Domini. Et Ioan. Ante diem feſtum Paſchæ. Aliquando vero Paſcha, ſecundum Albertum Magnum Ioan. 14. dicitur agnus immolatus. Leuit. 23. Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Aliquando vero Paſcha dicitur primus dies azimorum, qui fuit mane quintædecimæ lunæ Aprilis. Ioan. Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus: quia venit hora eius. Interdum vero Paſcha dicitur azima, quod in Paſcha comedebatur, Ioan. 18. ipſi non introierunt, ne contaminarentur; ſed vt comederent Paſcha. Interdum etiam Paſcha dicitur Chriſtus immolatus. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et de hoc vltimo dicitur infra in progreſſu noſtri hymni, ibi: Iam Paſcha noſtrum, &c. Secundo loco Paſchæ veſpere protecti, ſcilicet, fuimus in veſpere Paſchæ, hoc eſt, illius horæ diei: quando fuit veſper lunæ quartędecimæ; & nunc viuimus Deo, non tãtum corporali vita, & temporali; ſed & ſpirituali. Ab Angelo vero illo protecti eſſe dicimur, ac liberati à Pharaonis imperio: qui ſe tollens, præcedebat caſtra Iſrael; & in manu forti eduxit eos de terra Aegypti; & de domo ſeruitutis: Aegyptiorũ vero exercitũ interfecit, ſubuertitq; illum in profundum maris: & proinde dicitur exterminator, percuſſor, & deuaſtator Angelus; quoniam ſicut per Angelũ Dominus eduxit filios Iſrael de ſeruitute Aegyptiaca, & percuſſit primogenita Aegypti: ita Deus Pater per filium ſuũ

Chriſti corpus cur torridum dicatur.

Verborum expoſitio.

Ioan. 6.

Paſcha quid deſignet.

Ioan. 14.

Paſcha diuerſimode capitur.

1. Cor. 5.

Veſper quid.

A quo Angelo protecti viuamus.

Exod. 14.

Pharao quid si-gnet. nunc nos eduxit de potestate,& captiuitate Pharaonis,idest, Diaboli,qui per Pharaonem hic designatur: & percussit eum, deijciens illum de cęlo cum magna parte stellarum,& patet Apoc.12 ac detrudens illum in infernũ in perpetuũ,à quo sanctos Patres liberauit, qui erant condemnati ad tempus ad pœnam damni; & eos, qui erant in purgatorio cõdemnati ad tempus ad pœnam sensus, ac demum eos, qui vincti erant in vinculis peccati. Et ideo dicit Christus Ioan. 12. Et Princeps huius mundi eijcietur foras: & ideo dicitur in litera hymni: erepti de durissimo Pharaonis imperio. Imperabat enim Diabolus olim cultoribus suis,cogẽs eos ad nefanda, & enormia scelera,& flagitia. Cogebat enim patres immolare filios,& filias,& etiã patres comedere filios, & è contra: vt fiebat apud Scithas, & alias barbaras nationes; & etiam cogebat matres prostituere filias in lupanaribus,& turpi, & nefandæ luxuriæ, & Veneri eas consecrare ad turpitudinẽ: & cogebat cultores ad ludos scenicos, & alios nefandos ritus: à quibus miserijs solus Christus liberauit genus humanum per aduentum suum,& per passionem suam, ac resurrectionem; per quam nobis recuperauit immortalitatem; & per suam ascensionem nos introduxit in cælum. Sed hodie istius Pharaonis, seu mauis Diaboli imperium,ac potentia post Christi aduentum, & passionem, & resurrectionem tantum est contra nos, quantum loci sibi à nobis datur non seruando Dei præcepta,& recedendo à Deo. Nam qui elongatur à Deo;adhæret, subijciturq; Diabolo.Nam Diabolus non habet de se imperium, aut potestatem, nisi inquantum à Deo sibi erat permissum vsq; ad aduentum Christi propter peccatum primorum parentum; & sic Diabolus dicitur potens,& habere Imperium,quod sibi dant peccatores. Ex supradictis ergo patet, quod viuimus nunc Deo protecti,defensi,ac liberati per Angelum à seruitute Diaboli, & erepti per Christum ab eius durissimo imperio,ac potestate. Et sic: *Iam Pascha nostrũ Christus est: Qui immolatus agnus est: Sinceritatis azima Caro eius oblata est.* ¶ Pro intelligẽtia istorũ quatuor, imo & sequentium etiam aliorum quatuor carminum;præaduertendum est ad differentiam cuius nam alterius Paschatis dicamus hic, Christum iam Pascha nostrum esse. Secundo supponendum similiter est ad differentiam cuius nam alterius agni nuncupemus Christũ immolatum Agnum. Tertio cognoscendũ est,quid hic azima importet. Quarto colligendũ est,quã bene Christus verus declarator, & interpres legis,verificauit in se legẽ,& Prophetas. Ad primum ergo dicimus, quod queadmodũ Dominus in medio noctis pertrãsijt per terrã Aegypti,ac per domos Aegyptiorũ; & percussit omne primogenitũ Aegypti,exercitũq;eorũ interficiẽs,rotasq;curruũ eorũ subuertẽs: ac

A quibus eripuit nos Deus per Christum.

Imperium Diaboli in nos quantum sit.

Christus quomodo dicitur Pascha nostrum.

ac quemadmodum filios Israel de terra Aegypti, & de domo seruitutis (captiui enim filij Israel permanserunt in Aegypto per quadringentorum, & triginta annorum spatium; quos dimittere Pharao nunquam voluit) eripuit, ac eduxit in libertatem. Ita Christus Dominus noster pertransijt per terram inferi, penetransq; eius domos omnes percussit, fregitq; infernum, Diabolumq; ibi ligans; liberauit sanctos patres ab inferorum carcere, & loco tenebrarum, & eduxit eos secum in cælũ: vt euidenter patet in sequentibus huius hymni versibus. Sicut ergo olim fuit transitus Domini (liberans populum Israel) per terram Aegypti, ac per domos eorum: ita fuit transitus Christi (liberans animas fidelium ab inferis) per inferorum carceres, ac tartara. Merito ergo ei dicimus: ò Christe iam pascha nostrum tu es, idest, Phasem, seu transitus noster: quia per te transiuimus à morte ad vitam, aut ad vitæ præmia. Præterea sicut victima olim fuit transitus Domini, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto; percutiens Aegyptios: domos vero filiorum Israel liberans: ita Christus victima, & agnus immolatus fuit nobis transitus; quando descendit ad inferos, transijt per limbum, percutiens Dæmones, detinentes animas sanctorum Patrum ibi iniuste; eosdem vero sanctos liberans, ac ad vitæ præmia secum adducens. Christi ergo caro oblata est, scilicet, vt azima sinceritatis, idest, puritatis: quoniam sine fermento peccati, & tota sancta fuit, & sine amaritudine. Azima enim ab, à, quod est sine, & zima, quod est fermentum, vel amarum; inde azima, quasi sine amaritudine, & nullo modo caro fuit peccati. Nam fermentum in scriptura, sæpe peccati habet significationem, iudiciumque peccati gerit. Christus ergo ad instar agni veteris testamenti, & victimæ eiusdem; quæ fuit transitus Domini; est Pascha nostrum, est transitus noster, quia eius resurrectione de morte ad vitam nos transire fecit. Vnde ex supradictis patet; quod Christus tanquam verus doctor, & Magister, non solum declarauit legem doctrinaliter, quo ad verum sensum: sed etiam verificauit in se realiter, & exemplariter totam legem, & Prophetas. Nam Christus non solum voluit baptizari in persona totius corporis mystici, & suorum membrorum instituendo baptismum, & sic verificauit omnes lotiones, & purgationes, & cætera sacramenta purgatiua, quæ fiebant in lege, & in figura baptismi; sed etiam voluit pati, & fuit passus, & in cruce immolatns, & oblatus, vt hic in litera nostra dicitur: & sic verificauit occisionem agni Paschalis, & omnia sacrificia, & holocausta, & oblationes, quæ fiebant in lege veteri in figura suæ passionis, & sacramenti Eucharistiæ. Item fuit sepultus per totam diem

Exod. 12. 13. & 14.

Pascha quid.

Christus cur hic agnusimmo latus appelletur.

Azima quid.

Christus in se legem verificauit

diem ſabbati in ſepulchro:& ſic verificauit quietem ſabbati legalis.
Item eduxit fideles veter. teſtam. de limbo inferni, vt paulo ante
diximus, ac in litera noſtra hic infra nunc dicetur; & ſic verificauit
figuram liberationis filiorum Iſrael de Aegypto. Item reſurrexit,
& aſcendit in cælum: & ſic verificauit dicta Prophetarum; vt patet
per diſcurſum Euangelicum. Sequitur hymni noſtri texus,& litera,
in qua, quæ ſupra diximus euidentius videntur, ac probantur,dum
dicimus. *O vere digna hoſtia*: ***Per quam fracta ſunt tartara***: ***Re-
dempta plebs captiuata Redit ad vitæ præmia***. ¶ Videndum eſt
primo ad iſtorum verborum omnium intelligentiam, cui nam rei
Chriſtus comparetur,& cur hoſtia dicatur. Secundo diſpiciendum
eſt, quid tartara hic denotant. Tertio afferendum eſt in medium,
qui nam per captiuatam plebem hic intelligantur. Ad primum pro-
Chriſtus cõparatur diuerſis rebus. poſitum dicimus, quod Chriſto homini plures actus conueniunt,
nobis multum ſalutiferi, propter quod diuerſis rebus naturalibus,
& artificialibus comparatur. Ipſe namq; dicitur caput noſtrum,
Chriſtus caput dicitur. propter ſenſum, & motum ſpiritualem, quem ſuis membris influit.
Mediator, quia participat proprietatis Diuinæ, & humanæ natu-
ræ, & ideo inter Deum, & nos efficaciter poteſt mediare. Funda-
Mediator *Fundamẽtum.* mentum propter fidem:quia in nobis illuminat intellectum. Oſtium
propter charitatem, qua perficit affectum. Paſtor in quantum in
Oſtium. corporat nos Eccleſiæ per ſacramentorum participationem.Hoſtia
Paſtor. etiam dicitur, vt hic in litera hymni videmus: quia ſoluit obligatio-
Hoſtia Chriſtus eſſe dicitur. nem, & contractum per peccatum originale, & actuale. Et vere
Chriſtus eſt hoſtia: quia ſoluit maledictionem, & dedit benedictio-
nem; & confundens mortem donauit nobis vitam ſempiternam;
Sacerdos. deuinciens hoſtes,& Deo patri nos reconcilians. Sacerdos item di-
Vita. citur,quia ipſe ſe rogat; ipſe ſe exaudit, ipſe ſeruus rogat ſe Domi-
Tartara quid indicent. num; & ipſe Deus exaudit ſe hominem. Item via exemplo,vita ve-
ro in præmio. ¶ Ad ſecundum dicimur, quod tartara, ſignificant
Pſal. 106. locum profundiſſimum infernorum: in quo ſontes plectuntur.Chri-
Pſal. 65. ſtus enim poſt paſſionem ſuam deſcendit ad inferos, quos fregit,
ſpoliauitq;, ſecumq; ſpolia eorum ad cælum adduxit,videlicet,non
ſontes; ſed pias animas, quæ hic ab Eccleſia gens captiuata nun-
cupatur:vt verificaret,quod in ſpiritu dixit Dauid de Chriſto, nem-
pe: quia portas æreas confregit, infernumq; viſitauit, quiq; aſcen-
dens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Per hanc ergo ho-
ſtiam ſacram, tartara, ideſt, inferna, fracta ſunt. Et per hanc ſi-
Plebs captiuata quid. militer hoſtiam plebs captiuata, ideſt, animæ ſanctorum Patrum,
ſcilicet, Abraam,Iſaac,Iacob, Moyſis, Dauidis,ac aliorum quam-
plurimorom piorum, detentæ ibi, ſunt redemptæ, ac per eam ad
præmia

præmia vitæ adductæ. *Cum surgit Christus tumulo: Victor redit de baratro: Tyrannum trudens vinculo: Et reserans paradisum.* ¶ Q. d. Cum surrexit Christus de sepulchro, victor regressus ex Baratro, idest, ex inferno, in quo Diabolum fortiter ligauit, idest, omnium Dæmonum cateruas, vel saltem aliquam eorum partem crudeliorem. Paradisum fidelibus suis referauit, idest, aperuit; animæq; sanctorum tunc ad eam, & ad præmia æterna euolare cœperunt. Ex quibus supradictis nota, quod Christus surrexit á mortuis primo, vt spes nostra aderetur: cum enim Christus resurrexit; certa spe nitimur fore, vt nos etiam resurgamus: membra enim capitis sui conditionem sequantur necesse est. Secundo, vt potentiam suę diuinitatis ostenderet: quia mortuos suscitare, non est opus naturæ: sed potentiæ Diuinæ. Tertio, vt nos ad contemnenda terrena pro adipiscenda tali gratia animaret. Surrexit autem Christus velociter, integraliter, & æternaliter. Velociter, quia tertia die, nec eum militum custodia potuit retinere: integraliter, quia corpore, & anima; surrexit etiam socialiter quia multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. Eternaliter, quia surgens iam non moritur, &c. ¶ Nota secundo, quod tumulus idem significat, quod sepulchrum. Tumulus enim, quasi tumens tellus: quoniam homine in terra sepulto, terra aliquantulum eleuatur: At sepulchrum dicitur, quasi sine pulsu; quia qui ibi pellitur, pulsu caret. Monumentum vero dicitur, quia monet mentem cuiuslibet inspicientis: vt recordetur, quod cinis est, & in cinerem reuertetur. Nota tertio, quod Baratrum est terræ profunditas, seu abissus, quæ pro inferno, seu quouis loco, subterram capitur, in quem descendebant olim post mortem omnes hominum animæ. Vnde Dauid: quis, inquit, est homo, qui viuet & non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferi? Nota quarto Tyrannum, Diabolum hic iudicare: qui tyrannus, ac diabolus, sic dicitur: quoniam omnes, qui ibant ad Baratrum inferni perdita via, quæ ad cælum ducebat; vexabat, cruciabat, ac tribulabatur: sed etiam omnes filios Adæ per quinque millia annorum vexati sunt, tribulati sunt, & cruciati sunt à Diabolo, & ab isto tyranno in lachrymarum valle. Nota quinto quod Paradisus commune nomen, pomarium significat, & hortum consitum. Item est locus in Oriente, longo spatio distans à terra nostra; de quo Aug. 8. cap. 3. tom. 3. scribit, dicens. Paradisus in Oriente situs est, interiecto Oceano, à nostro orbe longe remoto, in altissimo loco constituto pertingens vsq; ad lunarem circulum: Vnde illuc aqua diluuij minime peruenisse dicitur; & hic locus à primi hominis reatu interclusus est; nec alibi animantium datur ad eum aditus.

Christus resurrexit.

Rom. 6.

Tumulus quid.

Sepulchrũ quid.

Monumẽtum quid.

Baratrum quid.

Genes. 3.

Psal. 88.

Diabolus tyrannus dicitur.

aditus. Inde etiam id nomen transfertur ad locum beatorum, Regnumq; cæleste significat, potissimum hic in sacro hymno, & in sacra etiam scriptura. *Quæsumus author omnium In hoc paschali gaudio: Ab omni mortis impetu, Tuum defende populum.* ¶ Iure quidem merito hic nos Christum Authorem omnium, bonorum, scilicet; quæ operatus est pro nobis, ac pro salute nostra, appellamus. Ille siquidem se pro nobis primo Principem obtulit, ac se fecit. Ille factus est protector noster in Paschæ vespere; ille pro nobis factus est deuastator inimicorum nostrorum: ille nos eripuit à durissimo Pharaonis, seu mauis Diaboli, imperio: ille se pro nobis in cruce torrendum dedit: ille se dedit ad vescendum: ille Pascha nostrum fuit, quo de pœnis ad libertatem, de morte ad vitam transiuimus: ille fuit victima, & agnus immaculatus pro nobis: ille digna fuit pro nobis hostia: ille fregit tartara pro nobis; ille spoliauit ea: ille ibi plebem captiuatam eduxit ad æternam vitam: ille pro nobis surrexit de sepulchro victor: ille Draconem in Baratro infernali vinculis ligauit, ac clausit: ille tandem nobis aperuit Paradisum, & cæli aditum patefecit. Quis non videt nunc quam merito Christus author omnium sit appellandus? Quasi dicat ergo sancta Dei Ecclesia ad Christum: Postquam ò Christe tot, & tanta pro nobis iam fecisti, fac etiam, vt in hoc Paschali gaudio, idest; vt per hoc paschale gaudium, quod fecisti nobis; simus immunes, ac liberi in posterum, ab omni mortis, ac Diaboli impetu, ac aggressione; ab hacq; Diaboli egressione, & impetu, tuum quæsumus defende populum Christianum, & fidelem. Amen.

Dominica in Albis ad Matutinum Hymnus decimuseptimus.

Rex sempiterne Domine,
Rerum creator omnium:
Qui eras ante sæcula
Semper cum patre filius.
Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem:
Cui tuæ imaginis
Vultum dedisti similem.
Quem Diabolus deceperat
Hostis humani generis,
Cuius tu formam corporis
Assumere dignatus es.
Vt hominem redimeres.
Quem ante iam plasmaueras
Et nos Deo coniungeres,
Per carnis contubernium
Quem editum ex Virgine
Pauescit omnis anima,

Per

Per quem, & nos resurgere
Deuota mente credimus.
Qui nobis per baptismum
Donasti indulgentiam:
Qui tenebamur vinculis
Ligati conscientiæ
Qui crucem propter hominem
Dignatus es suscipere
Dedisti tuum sanguinem
Nostræ salutis pretium.
Quæsumus author omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine.
Qui surrexisti à mortuis
Cum patre, & sancto spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta Mater Ecclesia sui sponsi Christi triumphantis originem, hoc est, æternitatem, cantare, ac celebrare hodie cupiens; panegyrico, laudatorioq; vtens sermone, quo non solum præsentia, facta rememorat, verum, & antiqua, tam per ipsum laudatum, quam per suos ante natos, ouantem Christum incipit sic laudare. *Rex sempiterne Domine. Rerum creator omnium: Qui eras ante sæcula: Semper cum patre filius.* &c. ¶ In quibus omnibus prædicta nostra mater Ecclesia primo laudat suum sponsum ab origine sua; illi cum patre æternitatem ascribens, rerumq, omnium creatorem esse affirmans; & hoc in iam præmissis quatuor carminibus manifeste patet. Secundo eidem Christo, precipue omnium supernum opus illud, nempe, hominis plasmatio, ascribitur; cum subditur. *Qui mundi in primordio, Adam plasmasti hominem.* Tertio quia parum fuisset sic hominem Deum creasse, nisi & ipsum hominem redimi contigisset: ideo in octo sequentibus versibus ruinam eiusdem hominis, ac reparationem narrat ipsamet sancta Dei Ecclesia: & propterea subdens, dicit. *Quem Diabolus deceperat,* &c. Quarto ne Deus homo factus parum existimaretur: ideo ostendit ipsum Christum venerandum, & expauescendum ab omni anima. Quinto dicitur, quod ipse communionem suæ victoriæ nobis impartitam ostendit, quos sacro baptismate insigniuit, liberosq; à vinculis animæ (donata remissione) remittit: quando propter nos tantum, crucem subijt; propriumq; sanguinem in precium redemptionis nostræ dedit. ¶ Sed ad intellectum primorum quatuor versuum præmittendum est, quomodo filius Dei fuerit ante sæcula cum patre, & Deus de Deo. Secundo videndum, quomodo sit sempiternus Rex. Tertio quomodo rerum omnium sit creator. Et quidem ad primum dicimus, filium Dei semper cum patre eius fuisse, non secus ac lumen cum sole: quia sicut nunquam fuit sol sine lumine, nec è conuerso; ita nunquam pater sine filio, nec è conuerso: Vnde Psaltes de eo scriptum reliquit: priusquam montes fierent, aut for-

Author huius hymni, est sancta Dei Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Filius Dei quomodo semper fuerit cum patre.

Psal. 14. & 89.

aut formaretur terra,& orbis à sæculo,& vſq; in ſęculum tu es Deus, & alibi. Exaudiet Deus, & humiliabit eos, qui eſt ante ſæcula. Et iterum Dei [illegible] dicit: Ab initio, & ante ſæcula creata ſum: *Ioann. 1.* Et Ioannes ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Verum cum Deus Pater, ſiue iſtud nomen Deus dicatur à theòs græce; quod idem eſt quod ſpeculabile,& inſenſibile,& actus purus, & immaterialis, & quid per ſe intelligibile latine: & ideo iſto modo dicit quid vnum ſolum, & independens, & infallibile, *Filius Dei æternus dicitur & quomodo.* ac ſic, & æternum, & vnum neceſſe eſſe impoſſibile aliter ſe habere. At iſtud nomen Dominus, dicitur à dominando, quod idem eſt, quod totam domum diſponere, regere, & gubernare, ad ſuam voluntatem, & arbitrium, & propter ſeipſum mouere. Et ideo procurator, aut filius non dicitur Dominus, licet totam domum diſponat, & regat, & gubernet: ſed quia hoc non ſufficit propter ſe, nec ad nutum ſuum: ſed ad nutum, & præceptum, & ad volun- *Filius Dei quomodo dicitur Rex.* tatem Domini domus, & patris familias: ideo nec procurator, nec filius, nec ſeruus dicitur dominus; ſed ſolus ille, propter quem, & ad cuius nutum fiunt omnia. Quia ergo ſolus Deus per ſe gubernat,& regit vniuerſum,à quo depēdet cælum,& tota natura in eſſendo,& gubernando:& propter quem tanquam propter amatũ,& de- *Pſal. 102.* ſideratũ omnes intelligentiæ mouent orbes,& regunt omnia iſta inferiora; & omnes Angeli faciunt verbum, ideſt,præceptum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius: & ideo ſicut vnus eſt ſolus Dominus vniuerſi: & ſicut non poteſt eſſe, niſi vnus Deus, & vnus Rex, atque Princeps, ac Dux huius exercitus, ac totius vniuerſi: ideo improprie Reges, & Principes mundi dicuntur Domini; quia non à ſe habent poteſtatem,ſed à Deo; nec propter ſe regunt, ſed propter Deum, qui eſt Dominus vniuerſalis; cui omnes ſunt reddituri *Chriſtus quomodo ſit creator omniũ rerum.* rationem. Cæterum, quod Chriſtus, ac Dei filius vere hic ſit, & appelletur creator omnium, hoc eſt, totius mundi huius factor, patet, quia pater per verbum dixit: fiat lux; & facta eſt lux, & ſic per verbum fecit omnia creata; quia ſpiritus Domini ferebatur ſuper *Mundus ſenſibilis ad inſtar mũdi æterni.* aquas. Nam pater ex tempore dicendo per verbum ſuum produxit hunc mundum viſibilem, & pater,& verbum ſpirando ſuper omnia creata per ſpiritum ſanctum,omnia produxerunt ea in eſſe eſſentiæ. Nam quia cum patre fuit filius,ideo ambo per ſpiritum omnia produxerunt:ergo patet filium Dei eſſe omnium rerum viſibilium,ſcilicet, & inuiſibilium creatorem, atq; factorem. Et ideo ex perpetuitate creaturarum hic dicitur ſempiternus, & æternus creator Rex iſte noſter: ſed ex magnitudine intelligitur omnipotens,ex ordine, & diſpoſitione noſtra ſapiens: ex gubernatione dicitur bonus. Et

nus. Et quod filius Dei omnium sit creator, ac author, confitetur iterum hic infra sancta Dei Ecclesia de hominis creatione, dicens. *Qui mundi in primordio Adam plasmasti hominem: Cui tuæ imagini Vultum dedisti similem.* ¶ Ad huius textus hymni veriorem, intellectum, primo est notandum, quot modi producendi hominis comperiantur. Secundo notandum, cur dedit Deus homini vultum similem sibi. Tertio aduertendum est, quid hic per vultum intelligere debemus. Ad primum dicimus, quod quatuor modi producendi hominem comperiuntur, de quibus supradiximus. Ad secundum respondemus, quod homini Deus dedit vultum similem sibi, & suæ imagini: vt sicut Deus est sanctus, iustus, verusq;, & discernit inter bonum, & malum; ita & homo ipse sit sanctus, iustus, verusq; manens, discretionemq; mali, æqueue boni retineat. Genes. 3. Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, &c. Item dedit Deus homini suæ imagini vultum similem; vt sicut Deus est perpetuus, & immortalis, atq; æternus; ita esset etiam homo (nisi peccasset) immortalis, atq; æternus. Hic verò per vultum; mentem similem Deo per rationem, intelligimus: vel per vultum, ipsam animam, lumine vultus sui insignitam, accipere possumus. Vnde Psaltes: Signatum est, inquit, super nos lumen vultus tui Domine. Imo non solum habuit Adam, idest, omnis homo, similitudinem Dei: verum etiam, & habitus theologales; scilicet, fidem. Præuidit enim incarnandum, quando fuit in illo sopore. Sed imago secundum Albertum Magnum, Luc. 11. quasi imitago vocatur: quia fecit nos imitari similitudinem, & exemplar patris cælestis. Eccles. 17. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam creauit illum: sicut enim pater carnalis natiuitatem filij (nisi natura erret) promouet semper vsq; ad perfectam similitudinem ipsius; ita pater spiritualis promouit hominis generationem vsq; ad similitudinem diuinam; nisi obicem ponat homo. Sequitur hymni litera. *Quem Diabolus deceperat: Hostis humani generis, Cuius tu formam corporis Assumere dignatus es.* ¶ De fallacia, & deceptione per diabolum Adæ facta attestatur similiter sacra genesis, sicut & de eius creatione per Deum. ¶ Ad cuius rei potiorem intellectum, ad euidentiam trium sequentium versuum primo notandum est, quod Diabolus dupliciter interpretatur, & vnde dicatur. Secundo videndum est, quomodo diabolus decepit homines. Tertio aduertendum est, quibus nam medijs Diabolus Adam deceperit. Quarto videndum est, quam grandis hostis diabolus sit humani generis. Quinto præmittendum est, quibus de causis Deus voluerit suscipere formam corporis humani. Ad primum

Producendi hominis quatuor sunt modi.

Homini Deus cur vultum sibi similē dedit.

Psal. 4.

Genes. 1.

Imago id.

ipſum genus humanũ,cuius hic ab Eccleſia hoſtis eſſe dicitur;& merito propter rationes ſupradictas. Similiter ex infraſcriptis patet, quod grandis hoſtis generis humani ſit Diabolus: nã non ſolum tentat hominem; ſed illi nocet etiã quandoq; exterius, corpus lędendo, ſicut fecit. Iob. 1. quandoq; intra membra lædendo,ſicut in obſeſſis. *Iob. 1.* Item nocet per impreſſionem imaginationum,mala ſuggerendo;per commutationẽ ſanguinis quoq; ad peccatum accedendo; vel ſenſus exteriores per obiectionẽ falſarum formarũ decipiendo;& huiuſmodi. *Multipliciter homini nocet Diabolus.* ¶ Ad quintum vero præſuppoſitum, quod eſt, cur Deus humani corporis formã ſuſcipere voluerit, dicimus; quod fecit hoc Deus,vt hominẽ in Adam per Diabolum deceptum, redimeret. Nã filius hominis (ait Lucas) venit quærere,& ſaluum facere, quod perierat,ſcilicet,genus humanum,quod totum perierat,ex quo peccauit vnus, in quo totum erat; licet ergo aliter Deus potuiſſet liberare genus humanum,quã per incarnationẽ,& mortẽ, nihilominus iſte modus fuit magis cõgruus,& iuſtus,quia Diabolus non erat ſuperãdus potẽtia, ſed iuſtitia; ideo voluit aſſumere hominis formã, ac ipſum hominem paſſibilẽ; vt in illo peccatũ Adæ,& omniũ delicta,puniret. *Luc. 19.* *Deus cur hominẽ ſumere,ideſt carnẽ humanam accipere dignatus eſt* Dignatus eſt ergo Deus formã ſerui accipere. *Vt hominẽ redimeres: Quẽ ante iam plaſmaueras*: **Et nos Deo coniungeres**: *Per carnis contuberniũ.* ¶ Per incarnationem ergo, ac per vnionẽ, & coniunctionẽ filijs Dei factã cum humana natura,vniuit ſibi carnẽ humanam,ideſt,nos Deo cõiunxit Dei filius per huiuſmodi ſuę carnis contuberniũ. *Quẽ editũ ex Virgine Paueſcit omnis anima. Per quẽ,& nos reſurgere Deuota mente credimus.* ¶ Appoſite hic quidẽ dicitur,quod omnis anima natum,aut editũ ex Virgine Maria,Chriſtũ,videlicet,paueſcit. Nam ille natus eſt; imo & poſt eius paſſionem & reſurrexit, qui quondam dicebat:Videte, quod ego ſim ſolus,& nõ eſt,qui de manu mea poſſit eruere.Iure ergo merito omnis anima de eo timorem habere debet: *Deut. 32.* Et aduerte,quod in cap. omnis anima. extra de cenſibus,exponitur: omnis anima,ideſt animata corpora,ſicut,& ſic exponitur de ſacroſ. Eccl.l.ſancimus §.excepta; cũ dicitur. Animæ hominum ſunt quibuſlibet rebus præponendæ. *Per animam omnem quid intelligere debemus.* Verũ quando Dominus Noſter Ieſus Chriſtus nõ ſolũ in humana corpora, ſed etiã in naturã incorporeã habet imperiũ (Nã quando ſibi placet,& Angelos eius ſpiritus facit:) Ideo de omni humano, & Angelico ſpiritu, eſt hic intelligendũ per omnẽ animã. *Pſal. 103.* Inſuper hic adnota etiã,quod animæ nominæ in ſcriptura ſacra, vita pręſens ſignari ſolet,iuxta quod Dominus Ioan. 12.alibi dixit,qui amat,inquit,animam ſuã,hoc eſt,vitam ſuam;perdet eam. *Anima nomine quid.* Et Apoſtolus:Non facio, inquit,animã meã precioſiorem me.Aliquãdo vero anima ponitur pro ipſo corpore,quo cõtinetur: ſic legimus Ia-

T cob

Quartum est singularitas, qua homo sequẽs sensum suum proprium, non conformat se alijs, nec sequitur vias communes bonorum. Quintum est affectus inordinatus, qui sæpe inclinat conscientiam ad id, quod tunc homo appetit, & sic facit eam à sua rectitudine deuiare. Sextum vinculum est, pusillanimitas, qua quis timet non timenda secundum rectum iudicium rationis; & sic errans conscientia potest dici, vt quibusdam ligata est vinculis. sequitur: *Qui crucem propter hominem suscipere dignatus es: Dedisti tuum sanguinem Nostræ salutis precium.* ¶ Non enim, inquit, Ioannes; Deus misit filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per eum: Vnde Math. & tradent eum, inquit, gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Peccata namq; nostra, secundum Beatum Petrum, ipse pertulit Christus in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus. Propter hominem, & propter eius salutem Christus effudit suum sanguinem, qui nostræ salutis esset precium. ¶ Ad cuius rei euidentiorem elucidationem, primo est notandum, cur propter hominem Deus voluit pati crucem, & mortem. Secundo videndum est, quomodo sanguis Christi fuit nostrę salutis precium. Ad primum dicimus, sicut enim dictum est supra paulo ante, quod duplici de causa voluit Christus Dominus noster subire mortem pro nobis; licet potuisset nos aliter liberare, ac redimere à Diaboli potestate; primo quia magis fuit congruus modus, ac magis iustus nos liberare per crucem, & mortem, quam per potentiam; nam Diabolus non erat superandus potentia; sed iustitia ipsa. Præterea, vt in se Christus legem verificaret: suscepit enim crucem, & passus est, ac in cruce immolatus, & oblatus est: vt in se verificaret occisionem agni Paschalis, & omnia sacrificia, & holocausta, & oblationes, quæ fiebant in lege in figura suæ passionis, & sacramenti Eucharistiæ. Ad secundum dicimus, & præsupponimus, quod licet peccator lædat proximum, tamen in primis offendit Deum; quia Dei legem transgreditur, & pręuaricatur, & violat, & eius præcepta contemnit; ex consequenti lædit proximum, inferendo ipsi damnum in fama, vel in bonis, vel in persona, & hoc corde, vel ore, vel opere; & sic omne peccatum est infinitum in debito; quia est contra Deum infinitum. Et sic licet pro damno, & iniuria proximi possit satisfieri aliquo finito precio; tamen iniuriæ factæ Deo nullum precium finitum potest satisfacere. Nam iniuria facta proximo comparata iniuriæ factæ Deo, est sicut comparatio centum denariorum ad decem millia talentorum auri; vt ait Saluator Math. 18. Et ideo omne peccatum est irremissibile quoad

Ioan. 3. *Math. 20.* *1. Pet. 2.* *Christus propter hominem voluit mori in cruce.* *Christus verificator legis.*

nos: quia nullus de se potest satisfacere, nec inuenire aliquod precium, quo satisfaciat iniuriæ factæ Deo, & debito decem millium talentorũ, vt patet in eadem parabola. Ee ideo dicit D. Anselmus lib. cur Deus homo, quod oportuit reperiri aliquod preciũ infinitũ, per quod satisfaceremus debito infinito, scilicet, pro omni peccato, & iniuria, Deo facta, & ista est passio, & aspersio sanguinis Christi. Nã merita illius passionis sunt precij infiniti: eoquod processit ex obedientia, & humilitate, & charitate infinita. Nã licet voluntas Christi humana fuerit finita in substantia; tamen fuit infinita in affectu; quia in immensum voluit humiliari, vsq; ad mortẽ crucis. Item quia tota persona Christi erat infinita: ideo etiã illa passio dicitur esse precij, & meriti infiniti; eo quod Christus erat Deus, & homo, & filius vnicus, & dilectus, & purus, & innocens: ideo illa passio fuit patri chara, & accepta in preciũ infinitum. Ideo satisfecit pro omnibus peccatis præteritis, & futuris; & sic Christus in cruce obtulit se ipsum, & passionem suam patri, non solum pro peccato primorum parentum, sed etiam, vt satisfaceret patri pro peccato omniũ nostrorum, quia tunc ille sanguis prębuit virtutẽ omnibus sacramentis, scilicet, baptismo, ad tollendum originale, & pœnitentiæ ad satisfaciendum pro actuali. Ex quo patet, quod passio, & sanguis Christi, nil aliud est, nisi quoddã preciũ infinitum, quo soluitur omne debitum, & fuit preciũ totius orbis terrarũ, & sic per consequens fuit preciũ nostræ salutis: quia in eo est cælum nobis emptum. *Quæsumus Author omnium In hoc Paschali gaudio Ab omni mortis impetu Tuũ defende populum.* Amen. ¶. Ad istorũ omnium extremorũ versuum intellectum, vide, præamande lector, quę supra in præcedenti hymno dixi: dum eosdẽ, quos hic legimus versus, exposui in nomine Domini. Amen.

Anselmus — *Nota.*

Dominica in Albis ad Laudes Hymnus decimusoctauus.

Aurora lucis rutilat:
Cælum laudibus intonat:
Mundus exultans iubilat;
Gemens infernus vlulat.
Cum Rex ille fortissimus
Mortis confractis viribus:
Pede conculcans tartara:
Soluit à pœna miseros.
Ille, qui clausus lapide
Custoditur sub milite
Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.
Solutis iam gemitibus
Et inferni doloribus
Quia surrexit Dominus,
Resplendens clamat Angelus.
Quæsumus author omnium
In hoc paschali gaudio
Ab om-

Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine
Qui surrexisti à mortuis
Cum Patre, & Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta Mater Ecclesia, quæ supra panagyrico, siue laudatiuo carmine, Christi laudes, præconiaq; præcecinit; nunc ad sanctissimi huius diei aurorã appropinquans, & accedens stupendo ex mirabilibus à Christo peractis: iubilat in se, dum contẽplatur huiusmodi mirabilia, per eundem Christum in inferno, & in terra hodierna die facta: & (non valent prę gaudio, & præ iubilo se continere) exclamat. *Aurora lucis rutilat: Cælum laudibus intonat: Mundus exultans iubilat: Gemens infernus: Vlulat, &c.* ¶ In quibus omnibus per sanctam Dei Ecclesiam primo describitur gloriosa Christi resurrectio, mundiq; gaudium, ac ipsius inferni luctus, quæ fuerunt, quando fortissimus Dominus noster Iesus Christus suis viribus, mortis vires ipsas confregit, infernumq; suo pede calcauit, suaq; potentia à pœna miseros soluit. Secundo dicitur, quod ille Rex fortissimus (Antonomatice dico) qui postridie sub lapide clausus custodiebatur à milite; hodie nobili triumphans pompa, victor de sepulchro surgit. Tertio ponitur, quod non fingitur, nẽpe, Christum de funere surrexisse: quoniam gloriosus Angelus, peritus notitia rerum alterius mundi clamando testatur, Christum, videlicet, (solutis patrum gemitibus, ac inferni doloribus: quibus illi affligebantur Diuina expectatione) iã à mortuis resurrexisse. Secunda pars est ibi. *Cum Rex ille fortissimus*. Tertia est ibi. *Solutis iam gemitibus, &c.* ¶ Igitur ad horum quatuor primorum carminum veram intelligentiam, prę mittendum est primo, quid hoc loco signare Aurora videatur. Secundo, quid per lucem hic sit accipiendum, videndum est. Tertio, quid per cælum. Quarto quid per mundum. Quinto, quid per infernum, & cur infernum hic vlulare dicitur. Ad primum dicimus, quod aurora hoc loco, Christi resurrectionem signare videtur. Nam hic vates videtur ponere tempus pro eo, quod accedit in illo tempore, quod possit, nẽpe, ipsa Christi resurrectio: quæ fuit summo mane diluculo, & in ipsa aurora. Per lucem vero ipsum met Christum intelligere hic possumus: qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quiq; Christus in hoc mundo dicitur lumen fidei, & gratiæ: quia; secundum Isaiam; & gentes ambulant in lumine suo: sed in patria loco huius luminis erit nobis Christus lumen gloriæ. Aurora ergo lucis, idest, Christi resurrectio: quæ, vt dictum est, contingit esse in tempore ipsius auroræ; hodie rutilat, prænitetq;. Ob gloriam etiam resurectionis Christi, dicitur illius diei aurora solito

Hymni huius author est Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Aurora quid signet.

Lucis nomine quid.

Isai. 40.

rutilantior,& ferenior,mortalibus illuxisse;si secundum literam, sensum volumus hic aperire. Ad hæc per cælum hic beatorum animæ intelligi possunt,quæ iam cælum habitant,ob id, quod eas Deus dignatus est cælo post earum vitam,seu mauis mortem. Vnde psaltes: Cæli,inquit,enarrant gloriam Dei,idest,Apostoli, ac alij Sancti. Per mundum vero huius sæculi,ac præsentis ætatis homines, intelligere debemus; qui exultantes,ac iubilantes, gaudent Christi resurrectione. Postremo per infernum, eiusdem inferni Regem Diabolum, videlicet,accipere possumus: qui dicitur hic vlulare,ac plangere: dolens amissione eorum,quos inibi ipse tenebat mortuos, scilicet,Adã, Abraam, & alios quamplures: quos Christus resurgens à mortuis, secum in cælum traxit ad quietem,ac ad gloriæ lumen. Vnde dicunt quidam,quod Christus non solum expoliauit limbum;sed etiam purgatorium propter aduentum tanti Regis,& Domini. Christus ergo circuiuit totam terrã inferni, scilicet, omnes prædictos quatuor circulos inferni,puta limbum patrum,& purgatorium, & limbum puerorum non baptizatorum, nec circumcisorum, & infernum damnatorum; omnia ista loca mensurauit,& peragrauit per potentiam; & aspexit,& dissoluit, & absoluit, & liberauit animas patrum, & fidelium veteris testamenti,existentium in illa terra. Vel dissoluit,& dissipauit gentes dæmoniorum; & ideo dicitur infernus vlulare: quia concussus, ac perterritus, & contritus per Christum fuit, & *Cum Rex ille fortissimus Mortis confractis viribus: Pede conculcans tartara Soluit à pœna miseros.* ¶ Ad abundantiorem quatuor versuum intelligentiam,vltra ea,quæ in antecedenti litera dixi, prænotandum primo est, quomodo Christus hic Rex sit dictus. Secundo notandum est,quid per mortem hic intelligere debemus. Tertio videndum est, quomodo Christus mortis vires confregit. Quarto cognoscendum est,quid per tartara accipiendum sit. Quinto est obseruandum,qua nam miseria laborarent ij, quos soluit Christus. Sexto notandum,quid innuat solutio miserorum per Christum. Ad primũ dicimus,quod Iesus Christus dominatus est spiritualiter à mari Galileæ; vbi incepit prædicare; vsq; ad mare Oceanum: & à flumine Iordanis; vbi fuit baptizatus; vsq; ad terminos orbis terrarum. Et hoc successiue per loca,& tempora à primo aduentu, vsq; ad secundũ;& hoc probatur: quia Christus primo natus fuit in Bethlehẽ iuxta vaticiniũ Prophetę Micheæ; vbi illico fuit adoratus à pastoribus, & eodem die stella apparuit in Oriente; cuius ductu Magi venerunt adorare eum. Item eodem die omnia idola iuxta mare Caspium, & Meothidas paludes,& per omnia Regna Aquilonaria inceperunt clamare Regem pacis totius mundi esse natum. Et flumen Nilus exiuit

Cæli nomine quid. *Psal. 18.* *Mundus quid notet.* *Christus expoliauit purgatorium.* *Infernorũ omnium quot, & quæ.* *Infernus cur hic vlulare dicitur.* *Christus verus Rex & Dominus; quãdo adeptus sit Regis, ac Domini nomen.* *Inceptio Regni Christi à quo.* *Micheas 5.*

per septem dietas extra alueū suum absq; lęsione:& exinde intrat mare nostrum per septem ostia. Vnde Vergilius in 6. Huius in aduentu iam nunc, & caspia Regna Responsis horrent diuinum: & Meothica tellus, Et septem gemini turbant trepida ostia Nili. Ex quibus patet quod Regnum Christi iam incepit per multa signa manifestari per omnes partes mundi: sed Regnum Christi, quo ad effectum, incepit in Iordane: quando fuit baptizatus, & baptizauit Ioannem Baptistā, & Apostolos; & prædicauit iuxta mare Galileæ, & misit Apostolos ad prædicandū per totā terram promissionis: quia tunc incepit manifestare, & facere, & augere populum per regeneratione baptismalem. Et postea compleuit mysterium nostrę redemptionis in Hierusalem. Et post resurrectionem, & ascensioně misit Apostolos, & Discipulos ad prædicādum Euangelium omni creaturæ per vniuersum mundum. Et sic patet qualiter Regnum Christi incepit à mare Galileæ, & à flumine Iordanis: & sic fuit dilatatum vsq; ad mare Oceanū occidentale, & vsq; ad mare Indicū; & ad omnes terminos orbis terrarum successiue per loca, & tempora, & Apostolos. Nam primo Petrus conuertit tria millia, & exinde prædicauit per totam Iudæā. Et Philippus in Samaria, & Galilea. Et Bartholomeus, & Thomas profecti sunt in Indiam. Et Mathęus in Aethiopiam. Et Simon, & Iudas per totum Aegyptum, & Caldæam, & Persiam. Et Iacobus in Hispaniam. Et Paulus per Gręciam, & Italiam, & Galileam; & sic paulatim incepit dilatari Regnum Christi per Apostolos: sed iā magis fuit dilatatum, & confirmatum per martyres; & vltimo per Doctores tempore Constantini; per cuius conuersionem omnes Reges venerunt ad fidem Christi. Vnde Athanasius misit Esichiū, & Frumentū ad Indos: qui confirmauerunt omnes orientales, & instruxerunt plenius in fide Christi. Et sic Christus in tribus Indijs regnauit per fidem. Item tota regio Ibeorum, & Albanorum iuxta mare Caspium venit ad fidem per vnam puellam; vt narrat Eusebius. Item tempore Augustini tota Aphrica erat sub fide Christi. Et tota Hispania, antequam caperetur à Saracenis prodimento Comitis Iuliani. Et tota Gallia venit ad fidem per Remigium tempore Clodouęi Regis Franciæ. Itē vltimo Honyugea in partibus Aquilonaribus cepit fidem Christi anno Dom. M.CC. Item tempore Herachilij tota Arabia, & Aegyptus; & Caldæa, & Persia, & Media, & Parthia erat sub Christi fide: Sed nostris peccatis, & demeritis exigētibus surrexit detestabilis secta, & hęresis Machomæti, qui maiorem partē mundi occupauit. Sed hoc non derogat veritati Prophetię; quia successiue fuit impleta per Christū, & continue impletur. Nā in Aethyopia regnant multi Reges Christianorum cum suo Patriarcha secundum ritum Iacobitarum. Et in

Augmentatio Regni Christi.

Ad qua loca quilibet Apostolus ad prædicandū fuerit destinatus.

Christus Rex.

Magnus presbiter in qua mūdi parte regnat. India regnat magnus Præsbiter temporaliter, & spiritualiter secundum ritum Nestoritarum. Et inter Saracenos viuit infinita multitudo Christianorum, secūdum ritum Nestoritarum, & Iacobitarum, & aliarum sectarum, qui omnes colunt, & adorant Christum adoratione, nec cultu latriæ : tantum colunt, & venerantur cultu duliæ, quia licet non confiteantur Christum Deū ; tamen confitentur ipsum esse filium Dei ex spiritu generatum ex Maria Virgine : imo si aliquis diceret oppositum, aut blasphemaret Christum, aut Matrem eius inter eos ; grauissima pœna puniretur : imo Saraceni habent Iudæos *Saraceni quid de Christo negent.* odio, & affligunt, & vituperant eos propter Christū ; eo quod persecuti sunt eum : licet non credant eius mortem, & passionem ; sed dicunt, quod quando Iudæi voluerunt Christū occidere ; Angeli rapuerunt eum de medio eorum : qui venturus est in mundū in fine mundi ad occidendum antichristum, vt dicitur alcorano eorum. Ex omnibus supradictis patet, quod per omnes partes mundi Christus successiue regnauit ; & regnat hodie tēporaliter, aut spiritualiter ; sed hoc magis conplebitur in fine mundi post interitum Antichristi: quando *Nota.* Iudęi, & cęteri sequaces Antichristi, videbunt se delusos, quia tunc quærent Christianos per montes, & speluncas ; qui baptizent eos, & instituent in fide Christi ; & sic reuertentur ad Dominum Deū suum, ad Dauid, scilicet, Christum, Regem fortissimum omnium. Qui licet absconderit fortitudinē suam in cruce, quia assumpsit corpus morta- *Mors quid* le, & passibile : nihilominus mors fuit ante eum, & vicit eam per resurrectionem ; quia mortem nostrā moriendo destruxit, & vitā resur- *Rom. 5.* gendo reparauit. Ab Adā enim, inquit Paulus, vsq; ad Christū mors regnauit, id est, Diabolus, qui est causa mortis : sed iste Diabolus fugit ante pedes Christi, quādo descendit ad inferos ; qui postquā ingressus est infernū, stetit ibi per quadraginta horas, & sedit tanquā iudex, q̧ tunc absoluit nos à debito mortis datæ, & relictæ nobis in pœnam ex *Per vires mortis quid intelligatur.* peccato Adæ ; & sic ex mortalibus, fecit nos immortales, & impassibiles. Confregit ergo Christus vires mortis, id est, aculeū gladiūq; ac morsū mortis, ipsam sic peruiā faciendo. Nā propter peccatum pri- *Nota quomodo Christus vires mortis cōfregit.* morū parentū data est nobis mors, vt esset terminus vitæ corporalis, & principiū mortis æternæ ipsius animæ : sed venit Christus, qui moriendo, & resurgēdo fecit illā peruiā. Nā transeundo per ipsā, descendit, & expoliauit infernū ; & resurgendo ex ipsa : & deuicta morte no- *Qua miseria erant miseri ij quos Christus soluit de inferno.* bis æternæ vitæ aditū reserauit ; & sic fecit, vt per ipsam mortem esset nobis transitus, & aditus, & ingressus ad Regna cælorū. Licet dicāt aliqui, q̧ illi, quos soluit Christus nō essent miseri priuatione gratiæ, aut deformitate culpæ ; sed sola dilatione gloriæ, quā sustinebant, ac perferebant animæ illæ ; puta Patriarcharū, Prophetarū, ac cæterorum

rorum prioris testamenti: vt Abraam, Adã, aliosq; quamplures, quos Deus secum in ascensione sua in Cælum euexit: Namq;, inquit Mat. 27. corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Non enim impotens est is, inquit Damascenus, de ortodoxa fide, lib. 4. cap. 28. qui in principio ex puluere terræ ipsum hominem constituit, rursum resolutum, & conuersum in terram, ex qua sumptus fuerit secundum conditoris dictum, iterato resuscitare illud. Nam, si non est resurrectio, in quo differimus à ratione expertibus? si non est resurrectio, beatas dicimus agrestes feras, iucundam, tristitiaq; carentem deducentes vitam. Si non est resurrectio, neq; Deus est, neq; prouidentia: sed casu cuncta ducuntur, & feruntur. Ex supradictis hoc etiam demum notandum est, quod solutio sanctorum Patrum prædictorum, illam innuit nobis Diem, inqua spoliauit Aegyptum, & Hebræos à domo seruitutis, & à graui Pharaonis iugo liberauit. Nam hodie Christus spoliauit Infernum, & genus humanum redemit à duro principis tenebrarum seruitio, qui trahebat illud ad varias carnis opum, & honorum concupiscentias. Innuit etiam illud Sansonis oraculum; cum in libro iudicum dicitur. De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Vbi per cibum de comedente exeuntem, intelliguntur sancti Patres, quia infernus comedebat eos; qui egressi sunt cum Christo. Per dulcedinem vero, animę sanctorum accipiuntur: quæ Christo fuerunt nimis dulces, ob quos posuit animam. *Ille, qui clausus lapide Custoditur sub milite: Triumphans pompa nobili: Victor surgit de funere.* ¶ Ille ergo, qui paulo ante abscondit fortitudinem suam in Cruce, & passus clausus custodiri sub lapidea arca à militibus Iudæorum: hodie fortissimus Rex surgit ab huiusmodi clausura, ac sepulchro, victor, ac triumphator; quia tanquam Dominus vniuersalis totius Orbis tam in Cælo, quam in terra, & per consequens in Inferno, iam iuerat ad Principes Inferni, vt repeteret pænam, & rumpens portas æreas, & vectes ferreos confringens, limbumq;, & purgatorium spolians captiuitatem sanctorum Patrum liberauit, & cum eis in Cælum ascendit, & eos ad dexteram Patris residere, & in æternum corregnare, fecit tanquam iustus iudex, & triumphator, seu manus victor, cui à Deo data est omnis potestas in cælo, & in terra, & in inferno, & ideo tanquam Dominus fortis, & potens in prælio, idest, in ara crucis, Principes inferni vincens, ac sanguine proprio mercans genus humanum, & satisfaciens pro peccato primorum parentum, & posteriorum, patrem sibi placans per suam humilitatem; deiecit superbiam dæmonum, viresq; eorum confringens, tanquam triumphator, ac victor capta præda, & hæredita-

Nota.

Exod. 12. & 13.

Iudic. 14

Cib' quid. Dulcedo animam indicat.

te re-

te repetita sibi debita, quam tyrannice tenebant Principes inferni, surrexit nobili pompa, idest, nobili triumpho suæ resurrectionis. *Solutis iam gemitibus: Et inferni doloribus: Quia surrexit Dominus. Resplendens clamat Angelus.* ¶ Quid clamat Angelus iste peritus notitia rerum diuinarum, & alterius sæculi? clamat profe-
Marc. 16. cto, & testatur, Christum resurrexisse, qui aliquando dixit mulieribus; Ite, & dicite discipulis eius, & Petro; quia surrexit Dominus, & præcedet vos in Galileam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. clamat ergo Angelus; quia tunc surrexit Dominus, quando iam soluit gemitus, ac inferni dolores, quos sancti patres sentiebant in inferno, animo, & expectatione suæ liberationis per Christum: spes enim, quæ differtur, affligit animam, secundum Salomonem: tunc, inquam, clamat Angelus; quando Christus: qui cum esset æternus in sinu patris prospexit de excelso sancto suo, idest, de altitudine suæ Maestatis in terram: vt audiret gemitus compeditorum, existentium in carcere inferni, idest, sanctorum patrum, expectantium: & vt solueret filios interemptorum, idest, patrum damnatorum, vt tales gentiles soluti à peccato ad fidem conuersi annunciẽt, siue annunciarent laudem Domini in Sion, & Hierusalem, idest, vt annunciarent & profiterentur legem Euangelicam in Ecclesia Christi, toto orbe diffusa. hoc, quod prospexerat, & promiserat, dum erat in sinu patris verificauit, & adimpleuit re ipsa, & cum effectu
Christus quibus testimonijs probauerit resurrectionem suam in inferis per suam resurrectionem: quam Dominus non tantum per Angelos, vt hic probauit: sed etiam per inimicos; quorum validissimum est testimonium Matth. 28. Ecce, inquit, quidam de custodibus venerunt in Ciuitatem, & annunciauerunt Principibus sacerdotum &c. Item probauit eam non arte magica factam, &
Math. 18. hoc per comestionem. Item non esse phantastici corporis, & hoc
Luc. 24. per tactum. Item probauit in eodem corpore, quo passus est, fa-
Ioan. 10. ctam, & hoc per ostensionem cicatricum. Item probauit eam fuisse in corpore glorificato vnito Deitati, & hoc per ingressum in do-
Ioan. 20. mum ianuis clausis. Multis item eiusdem apparitionibus proba-
Mat. vlt. uit; vt quando apparuit Mariæ Magdalenæ, mulieribus, Petro,
Ioan. 20. discipulis euntibus in Emaus; Thomæ cum alijs discipulis piscan-
Act. 1. tibus; discipulis in monte Thabor; in Hierusalem; ac quando comedit cum eis. Amen.

In

In Ascensione Domini ad Vesperas Hymnus Decimusnonus.

Iesu nostra redemptio
Amor, & desiderium;
Deus creator omnium:
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia
Vt ferres nostra crimina
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres.
Inferni claustra penetrans
Tuos captiuos redimens
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.
Ipsa te cogat pietas
Vt mala nostra superes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu saties.
Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium
Sit nostra in te gloria
Per cuncta sẽper sæcula. Amẽ.

HActenus sancta Dei Ecclesia de sui sponsi resurrectione gauisa est, valde exultans: modo per eius ad cælos ascensionem præsentia corporali (spirituali siquidem cum illa semper est) ab ea discedit. Vnde ideo illa, veluti amore languens pro suo dilecto; ipsum in patris dextera, sedentem contemplatur: cupitq; cum illo esse, & illum amplecti. Et in hoc ardenti suo desiderio illum alloquitur tam ardenti, & inflammato affectu: quemadmodum ipsa per se sonant verba hymni, per se prolata etiam sine aliqua expositione: vt saluatorem nostrum redemptorem, amorem, desiderium, creatoremq; omnium, ac tandem propter amorem nostrum hominem factum post omnia, nempe, in fine sæculi. O verba amoris, exprimentia quidem cor charitate vulneratum, videlicet, dum dicimus. *Iesu nostra redemptio, Amor, & desiderium; Deus creator omnium: Homo in fine temporum.* & quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus laudatur primo mera Christi benignitas per ipsammet Dei Ecclesiam: quod natus pro nobis fuerit. Secundo dicitur, quod idem Christus infernum descenderit, & resurrexerit à mortuis, & cælos repetierit. Quò (tertio) vt nos perducat, enixe rogamus. Vel sic discurrimus hunc cum sancta matre Ecclesia hymnum dicentes; quod ipsa primo in eo sui sponsi facit inuocationem; appellans eum redemptionem eius, amorem, desideriumq; suum; omnium creatorem; sed hominem in fine mundi, & grata tãti beneficij sui sponsi, qui cum vnigenitus Dei filius esset in substantia nostrę mortalitatis apparuit, & nos

Hymni huius author est Dei Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

& nos suæ immortalitatis participes fecit; suam profunde cognoscens indignitatem admiratur, se tanti à suo sponso factam esse, foreq; existimatam: vtq; ad ipsum exclamet, quasi ex amore impatiens,& dicat: O charissime sponse quanta fuit tua erga me clementia,quę vicit te:vt me à morte tolleres,& mei ferres crimina? tu me creasti: tu pro me crudelem passus es mortem: qua mediante penetrasti obscura inferni claustra: ac filios tuos, qui ibi longo iam detenti tempore fuerunt captiui, redemisti; & tecum in cælum transuexisti. O victor nobili triumpho, qui sic opimis onustus spolijs in patris æqualitate resides. O viua Ecclesiæ Dei fides. O fortis eiusdem spes. O ardens charitas sanctæ nostræ matris Ecclesiæ: virtutibus ardens oratio emanat ab ore eius, & ait. Fac me mei voti compotem; & me tuo satiato vultu: scio quod non mereor: sed sicut te vicit clementia, vt ferres nostra crimina: ita ipsa te cogat pietas: vt (nobis parcendo) mala nostra superes: oro te, inquam,dulcissime mi sponse, vt hoc facias: quia tu solus es mihi hoc in mundo, & in hac vita, gaudium meum, qui in futuro, ac in altera vita, futurus es mihi, idest, animæ meæ, præmium. Exaudi ergo me Domine,vt in æternum in te glorieris. Amen. ¶ Nunc ad considerationē ac intelligentiā singulorum hymni huius verborum, primo aduertendum est,quomodo Iesus interpretatur: & interpretatus quid significet, & quomodo sit nomen Domini: quomodo sit nostra redemptio, & amor, ac desiderium nostrum: & quomodo creator sit omnium, ac demum quomodo in fine sæculorum ille factus sit homo. ¶ Ad primum ergo dicimus, quod hoc nomen Iesus in Hebræo scribitur quatuor literis, scilicet, Ioth, he, vau, he: quæ reddunt sonum huius nominis Ioth het sua, idest, Iesus. Nam Ioth het sua, hebraice idem est, quod saluatio, siue saluator latine. quod quidem nomen sic scriptum,significat,& denotat in Deo quatuor effectus ineffabiles, & incomprehensibiles, scilicet: omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, & iustitiam, & sic dicunt Theologi, quod hoc nomen tetragramaton, significat Deum ineffabilem: eo quod importat supradicta quatuor ineffabilia. Vnde primo dicitur. Non est, qui resistat tibi. De secundo: sapientiæ eius non est numerus. De tertio miserationes eius super omnia opera eius. De quarto autem: iudicia Dei abyssus multa. Iesus ergo est illud nomen Dei, quod quatuor literis scribebatur in lege: quod nomen Dei omnes expectabāt,vt saluaret eos. Et Moyses,& Aaron, & Samuel offerebant sua sacrificia in signum fœderis, & sub protestatione Christi futuri, inuocando Christum, tanquam nomen Domini. Ergo iam inuocabant Iesum: qui est nomen Domini; vt ve-

Iesus quomodo interpretetur, & quid significat.

Iesus quid significat.

Iesus nomen Dei.

niret

niret ad saluandum eos, & ad inuocationem huius nominis Moyses fecit multa miracula. ¶ Porro Iesus dicitur esse nostra redemptio: quoniam secundum Lucam, ait. 4. non est aliud nomen sub cælo, datum hominibus: in quo oportet nos saluos fieri; nisi in hoc nomine. Vnde & Hieremias. 23. in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter; & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et Paulus: ex ipso autem, inquit, vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & santificatio, & redemptio: quia ipse redemit Israel, idest, totam Ecclesiam, ex omnibus iniquitatibus, & peccatis eius: quia non solum deleuit vnum peccatum, sed infinita, nec solummodo redemit vnum hominem, sed infinitos. ¶ Insuper & amor, hic Iesus, & desiderium nostrum esse à nobis dicitur, & bene: quandoquidem ipsemet Iesus est amor desiderabilis, qui semper desiderari debet, & amari. Vnde Ecclesi. cap. 7. in tota anima tua, inquit; dilige eum; qui te fecit: quia hoc amore, & hoc ipso Iesu, temporalia spernimus, & spiritualia affectamus. ¶ Item & idem Iesus est, & desiderium nostrum: quo vana, & terrena vere deputantes omnia mundana, ad cælestia desideria mentes nostras erigentes; sitimus ad Deũ fontem viuum: Iesus ergo, hic amor, & desiderium esse dicitur nostrum; quoniam hunc amorem desiderabant, & hoc desiderio ardebant ipsum omnes Patriarchæ, & Prophetæ in veteri testamento, & expectabant ad saluandum: vt patet per totum discursum legis, & prophetarum, & ideo cum tanto affectu hunc ipsum amorem, & hoc desiderium, Iesum, scilicet, desiderabant, vt veniret: quia ille verus est amor, verumq; desiderium. Ad hæc: quoniam, secundũ Apocalipsim Ioãnis. 22. hic Iesus est Alpha, & omega, idest, primus, & nouissimus, scilicet: principium, & finis. Et etiam dicitur medium, & via. Ioan. 14. & ideo dicimus esse principium nostrum per creationem: nam omnium creator hic esse dicitur, scilicet corporalium: qualia sunt sidera, terrea, metalla, aer, & aqua: & spiritualium, vt angeli, & summatim visibilium, & inuisibilium. Omnia ergo exeunt à Christo per creationem: quia omnia per ipsum facta sunt. Ioan. 1. & ideo hic Iesus Christus dicitur creator omnium. At hic Iesus voluit fieri homo in fine temporum, ac sæculorum, seu ętatum. Nam finem temporum hoc loco sextam mundi intelligimus ætatem: cui in hoc mundi statu non succedit alia ætas: (septima si quidem ætas in mundi consummatione adueniet:) & sic huius mundanæ substantiæ, ac conditionis, postrema ætas est: in qua Christus assumpsit humanæ carnis substantiam: quod idem est dicere: & homo factus est. In fine ergo temporum, & in nouissimis

Iesus quomodo nostra sit redemptio.

1. Cor. 1.

Iesus quomodo amor, ac desideriũ nostrum hic esse dicitur

Iesus dicitur Alpha, & o.

Christus nostrũ omnium creator.

Iesus quid mis diebus, scilicet, iam seculi appropinquanre fine, Iesus, ac summa, & sempiterna essentia, se ad humani generis inclinare voluit salutem: vt ipsum in suam transferret gloriam. Amen. *Quae te vicit clementia: Vt ferres nostra crimina? Crudelem mortem patiens: Vt nos à morte tolleres.* ¶ Quæ, inquam, ò Christe Iesu, pietas, benignitas, & quæ clementia, te compulit, coegitq;: vt ferres, deferres, ac super te tolleres, nostra facinora, scelera, peccata, ac crimina? certe propter vnionem initam per te inter te, & Ecclesiam, sponsam tuam: inquantum assumpsisti Ecclesiam non in vnitate personali; sed vnitate mystica, & sacramentali; de qua vnione; & dispensatione, dicit Apostolus. 1. Cor. 6. & ad Ephes. 4. erunt duo in carne vna: hoc sacramentum magnum est: dico in Christo, & Ecclesia: & ideo propter hanc mirabilem vnionem, inquam, inter te, & membra corporis tui mystici; dicis peccata nostra esse tua; non quo ad culpam: quia nec peccasti in Adam, nec in te; sed quo ad pœnam, inquantum pro peccatis nostris voluisti pati. Dicis enim, ò Christe, peccata nostra esse tua: inquantum qui es aduocatus noster; secundo inquantum qui es procurator noster. Tertio inquantum es fideiussor noster; eo quod te obligasti causam nostram aduocare, defendere; & debitum pro nobis soluere, & satisfacere. Quarto tanquam pater pro filijs. Quinto tanquam caput pro corpore, & membris. Sexto tanquam sponsus pro sponsa. Septimo tanquam Dominus pro vassallis, & seruis. Octauo tanquam pastor pro grege. Certe ergo es ille; ò benigne Iesu; qui vere languores nostros pertulisti, & infirmitates nostras portasti: & ille es, inquam, ò Christe; qui peccata nostra in corpore tuo pertulisti super lignum crucis: cuius liuore sanati sumus. Crudelem enim mortem crucis passus es: vt nos à morte, idest, à diabolo liberares. *Inferni claustra penetrans: Tuos captiuos redimens: Victor triumpho nobili: Ad dextram patris residens.* ¶ Tu, inquam Domine, non solum diram passus es mortem; quam moriendo pessundasti, ac destruxisti: verum etiam eruisti nos à potestate Diaboli: cum penetrasti, ac intrasti, confregistiq; claustra inferni, scilicet, omnes quatuor circulos inferni, puta, limbum patrum, & purgatorium, & limbum puerorum non baptizatorum, nec circuncisorum, & infernum damnatorum. Redemisti ergo tuos captiuos, ò Domine, sanguine tuo, scilicet, sanctos patres ex inferno inferiori, vt de se ipse Dauid testatur, dicens: quia misericordia tua magna est super me: eruisti enim animam meam ex inferno inferiori, & alibi: Prouidebam, inquit, Dominum in cospectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear; & paulo post: quoniam nō derelinques animam

Christus cur voluit ferre peccata nostra.

Christus dicit peccata nostra esse sua.

Isai. 53.

1. Pet. 2.

Mors quid

Claustra inferni qd

Psal. 85.

Psal. 15.

animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem. Et sic tunc verificauit Christus suum dictum, cum penetrauit inferni claustra, & liberauit captiuos suos. Dixerat enim sic, nempe: penetrabo partes omnes inferiores terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino, & alibi: Aperiam coram eo ianuas: ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo,& portas æreas conteram,& ferreos vectes confringam. Præterea nobili triumpho, idest, pompa, ac generosa victoria, victor hic ad dexteram patris residere dicitur Christus, idest, æqualem gloriæ possessionem, & maiestatis æqualitatem cum Patre potitur. Vel ad patris dexteram residet, idest, residet, & potitur potioribus bonis Patris, & possidet illa potiora bona; puta summum Regnum,& Imperium; siue summam Regiam,& Imperialem potestatem super omnes creaturas. Item summum, & æternum sacerdotium. Item vniuersalem iudiciariam potestatem, & distributionem præmiorum, & huiusmodi. Sedere enim in sacra scriptura non solum dicit positionem, siue situm in loco, & sic conuenit soli animali, aut idem, esse, quod à labore quiescere, verum & idem etiam dicit, quod residere, siue possidere: vt cum dicimus, quod Rex residet, siue sedet in Regno, idest, quod possidet ipsum, & potitur, & dominatur. Secundo ergo, & tertio modo Christus ad dexteram Patris residet in die ascensionis, siue resurrectionis, scilicet: quando quieuit ab omni labore passionis, & amplius non passus est, nec mortuus, nec mors vltra dominabitur. Est item hic aduertendum, quod dextera, siue dexterum quatuor modis sumitur in scriptura. Vno modo dicit positionem in loco, siue differentiam positionis: cuius oppositum est sinistrum, & solis rebus corporeis conuenit. Secundo modo dicit æqualitatem in essentia, & potentia, vt paulo superius diximus. Tertio dicit principium vnde motus: siue mediante,quo quis immediate operatur, & sic dicit Aristoteles. p. cæli quod Oriens est dexterum mundi, eo quod inde incipit omnis motus. Quarto modo dicitur dexterum omnis prosperitas: & aduersitas dicitur sinistrum. Et sic potiora bona dicuntur etiam dextera Patris: quia Deus Pater cum sit simplicissima substantia, & incorporea, nec habet dexterum, nec sinistrum. Secundo modo filius sedet ad dexteram patris, secundum Deitatem: quia est sibi æqualis in essentia, & potentia, & sic non conuenit humanitati. Tertio modo filius sedet ad dexteram Patris primo secundum Deitatem; quia Christus est verbum Patris, per quod fecit omnia, quia Pater dixit omnia verbo suo. Secundo sedet in quantum homo. Quarto modo Christus sedet ad dexteram Patris inquantum homo, quia residet

Psal. 67. *Eccles. 24.* *Isai. 45.* *Dextera quid.* *Bona patris potiora quid.* *Sedere triplicitér capitur.* *Dextera, siue dexterum quatuor modis sumitur.* *Quomodo Christus dicitur sedere ad dexteram Patris.*

resſidet in potioribus bonis Patris, & potitur eis, & poſſidet ea in ſummo gradu poſt Patrem. Sedet ergo Chriſtus hodie ad dexteram Patris, ideſt, gubernatiuam habet potentiam, & Regnum, & Imperium ſuper omnes creaturas, & gloriam, & honorem, & latriam, & ſummam fruitionem, & gloriam; prout dictum eſt. *Ipſa te cogat pietas: Vt mala noſtra ſuperes: Parcendo, & voti compotes Nos tuo vultu ſaties.* ¶. Q. d. & ipſa pietas etiam, quæ te, ò Chriſte coegit, vt ſubires pro nobis mortem crucis: cogat & te nunc, impellat, atque etiam aſtringat: vt ſuperes noſtra delicta, & remittas, atq; à nobis ea omnino transferas. ¶ Ad cuius rei veriorem intelligentiam, prænotandum eſt, quid ſit per Chriſtum ſuperare mala noſtra. Notandum eſt etiam, quid hic per vultum intelligendum ſit à nobis. Ad primum dicimus, quod cum Deus ipſe pro ſua benignitate dimittit nobis peccata iam commiſſa; tunc mala noſtra parcendo ſuperat. Nam maior eſt eius in nos miſeratio, quam peccatorum noſtrorum ſit grauitas: Prævaletq; tunc illius miſericordia noſtræ culpæ, eſtq; efficacior potius, vt nos ſaluet, pro vt dictum eſt ſupra in hymno ad laudes Quadrageſimæ verſiculo ſecundo, quam ſit pernitioſa culpa, vt nos damnet. Accedat ad hoc comprobandum Geneſ. 4. Cain enim parricida millies potuit veniã, gratiam, ac etiam gloriam à Deo obtinere, quem ad ignoſcendum ei millies habuit paratum. Dicebat namq; Dominus: Nequaquam ita fiet, vt omnis, qui te inuenerit, occidat, ſed qui Cain occiderit, centuplum punietur. En ergo, quam ſitit Deus noſtram ſalutem, qui finem fere nullum fecit, vt traheret Cain ad confeſſionem ſui peccati. At vbi voluit confiteri, & ſe emendare: (heu noluit intelligere vt bene ageret:) ei dixit Deus: ſi non vis flagellari cum hominibus; flagelleris cum Diabolo, & angelis eius, & ſic, & dilexit maledictionem, & veniet ei: Dixit Deus, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Ad ſecundum vero propoſitum, ſcilicet, quid nam per vultum hic accipere debemus, dicimus, quod aduertendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod ante Chriſti aduentum, cælum erat nobis clauſum, & via vitæ æternę per cælum erat nobis incognita, quia nullius fuerat adhuc trita veſtigio, ſed poſt Chriſti aſcenſionem, facta eſt nobis via vitæ nota per cælum, quæ ante habebatur ignota, eo quod Chriſtus fuit primus homo, qui penetrauit cælos, & aperuit nobis viam per eos. Tria ergo fecit Chriſtus in die ſuæ aſcenſionis: primo enim penetrauit, & aperuit nobis cælos, recipiendo tanquam Dominus poſſeſſionem pro nobis, & viam nobis aperiendo. Secundo reſidet à dextris Patris in æternum: vbi accepit principatum in ęternum ſuper omnes creaturas, & iudiciariam

Superare mala noſtra per Chriſtum quid.

Geneſ. 4.

Diſ. 1. de pœnit.

Pſal. 33.

Pſal. 18.

Nota Chriſtum fuiſſe ipſum primum omnium, qui intraret in Cælum.

Nota tria de Chriſti aſcenſione.

ciariam poteſtatem ſuper homines, & Dæmones in terra, & in inferno. Tertio adeptus eſt nobis diuinam viſionem, & fruitionem, & æternam fœlicitatem, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet, in manſione cæli Empyrei. Secundo in viſione diuinæ eſſentiæ. Tertio in ſummo, & æterno gaudio, & quiete, & delectatione. Per vultum hic ergo intelligerem hanc diuinæ eſſentiæ viſionem, hanc fruitionem, ac perpetuam lætitiam, ac gaudium æternum, quietemq;, ac ſummam delectationem, in quibus conſiſtit tota ſatietas, tota fęlicitas, ac omnis beatitudo; quibus Chriſtus; ſicut pro nobis ea adeptus eſt, nos ſatiare poteſt, ſuaq; ſuimet præſentia: vt illum facie ad faciem videamus in cælis. Amen. Vt ibi cum eo, & ad eum cum gaudio in æternum dicere poſſimus. *Tu eſto noſtrum gaudium: Qui es futurus præmium: Sit noſtra in te gloria: Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.* Iam ſcimus, ò Chriſte, & firmiſſime tenemus, imo in hymnis cantamus te nobili triumpho, ac victoria ad dexteram patris reſidere. Vbi à Patre accepiſti poteſtatem gubernatiuam, & Regnum, & Imperium ſuper omnes creaturas, & gloriam, & honorem, & latriam, & ſummam fruitionem, & gloriam. Tu eſto nobis ibi cum ad te venerimus, cumq; immutabimur gaudium æternum, perpetua lætitia, ſempiternaq; fruitio Diuinæ tuæ viſionis. quoniam ſi quid præmij, ac remunerationis habituri ſumus poſt huius vitæ noſtræ curſum, pro eo quod credidimus in te, pro eoq; quod in vinea tua, vinea Dei Sabaoth, & domo Iſrael, & in Dei Eccleſia operati aliquid fuimus: Tu illud nobis es futurus præmium, ac merces, remuneratioq; æternæ beatitudinis: quia tuam nobis æternam gloriam, æternam fęlicitatem, æternamq; beatitudinem es daturus in Paradiſo; ſi in Domino moriemur, ſiq; in vinea tua bene elaborauerimus, ideſt, mercedem, ac diuturnum denarium pro conuentione nobiſcum olim facta, redditurus es nobis: qui denarius eſt præmium vitæ æternæ, quam tu promiſiſti operarijs; quos miſiſti in vineam tuam. Tu ergo, ò Chriſte, hoc præmium, tu iſte denarius nobis futurus es. Sit ergo (quia tu es nobis futurus gaudium, præmium, æterna fælicitas, ac vita æterna) in te ſemper, ideſt, per omnes ætates, ſtatus, ac generationes, nec non & cuncta ſæcula, ſcilicet, & in hoc, & in futuro; noſtra gloria; vt cum gloriamur, in te glorificati gloriemur, ac tecum læti lætemur in te exiſtentes in cælis. Amen.

Vultus quid.

Gaudium quid.

Math. 20.

Sæcula quid.

Gloria noſtra cum Chriſto, & in Chriſto eſſe debet.

In Ascensione Domini ad Matutinum Hymnus vigesimusprimus.

AEterne Rex altissime,
Redemptor & fidelium
Quo mors soluta deperit
Datur triumphus gratiæ.
Scandens tribunal dexteræ
Patris potestas omnium,
Collata Iesu cælitus
Quæ non erat humanitus.
Vt trina rerum machina,
Cælestium, terrestrium
Et infernorum condita
Flectat genu iam subdita.
Tremunt videntes Angeli
Versa vice mortalium,
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus, Dei caro.
Tu esto nostrum gaudium
Manens olympo præditum
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.
Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus:
Et corda sursum subleua
Ad te superna gratia.
Vt cum repente cæperis
Clarere nube iudicis,
Pœnas repellas debitas.
Reddas coronas perditas.
Gloria tibi Domine,
Qui scandis super sidera,
Cum Patre, & Sãcto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta Mater Ecclesia, quæ se hic totam diffundit in contemplando acquisitas per mortem sui sponsi dignitates; illasq; & sibi, & alijs rememorat, tum, vt suum cum sponso ostendat ardentem affectum, tum vt & filijs nobis, nempe, Christi fidelibus illum excitet; ne obliuiscamur operum Dei; sed mandata eius custodiamus: & vt non ex iam dicti sponsi absentia corporali afficiamur tedio: (nam in patris paritate eum sedentem nunc videt:) illum alloquitur; vocando eum æternum Regem altissimum: nulli enim alij mortali Regi huiusmodi competit titulus: cum ait. *Aeterne Rex altissime, Redemptor, & fidelium: Quo mors soluta deperit; Datur triumphus, &c.* ¶ In quibus omnibus per præfatam Sanctam Dei Ecclesiam egregijs præconijs gloriosa Christi ascensio celebratur; qua super omnes cælos exaltatus, nunc sedet ad dexteram Patris. Secundo Angelicorum spirituum veneranda admiratio describitur: quia illi obstupuerunt, humanam naturam in Christo super omnia sublimari. Tertio demum supplex ad ipsum Christum fit oratio: vt in die iudicij nos in electorum sortem assumat, & æternæ gloriæ corona adornet. Amen. Secunda pars est

Ecclesia sancta huius hymni est author.

Hymni huius diuisio & summa.

est ibi; tremunt videntes angeli, &c. Tertia est ibi. Hinc te precantes, &c. Vel si dicamus postquam sancta Dei Ecclesia suum vocauit sponsum Regem altissimum; nihilominus, & fidelium etiam esse redemptorem: eiq; triumphare dari in curru quidem, non auri, & argenti, lapidumue preciosorum ornato: sed gratiæ, quæ potens est omnia subiacere; & hoc in primis quatuor versibus dicitur. Secundo subdit, quod hoc notum fecit Dominus in suo ascensu. Nam quis, inquit, vnquam alter tribunal Patris (qui ab eodem patre, cælesti potentia donatus sit preclarissimis donis; sicut donatus est Christus, qui secundum humanitatem assumptam non gaudebat talibus) ascendit? cum soli Deo trina rerum machina flecteret genua; nunc & homini Christo flectat? & hoc in quaternis alijs sequentibus carminibus manifeste detegitur, ibi nempe: scandens tribunal patris, &c. Tertio asserit, quod Angeli ipsum considerantes, tremunt; quando sortem, conditionemq; mortalium hominum tanto in melius conuersam esse cognoscunt, vt modo caro purget crimina, quæ aliquando damnabat homines, quos nunc non solum purgat; sed & cum Deo eos regnare facit, vt ibi patet: Tremunt videntes Angeli, versa vice mortalium, cum sequentibus. Quarto dicitur, quod in hoc solum nos mortales debemus gaudere, videlicet, in Domino: qui est gaudium nostrum, manens in cælo, hunc mundum nihilominus regens: humana namq;, & transitoria gaudia contemnens: & hoc clare ibi patet, scilicet: Tu esto nostrum gaudium, &c. Quinto hortamur nos, qui in terra degimus, sed cum Christo esse cupimus; vt illum oremus: vt quando ex tempore in die nouissimo, omnibus occulto cæperit iudex gloriosus apparere; misericorditer nobiscum faciat, videlicet; debitas repellat à nobis pœnas, & totidem, vel toties per nos perditas restituat coronas; vt demũ ibi dicitur, videlicet: Hinc te precantes, &c. ¶ Nunc ad singulorum verborum primorum quatuor versuum considerationem, & intelligentiam, prenotandum primo est, quomodo hic filius Dei æternus esse dicitur, & quomodo Rex altissimus, & quomodo redemptor fidelium, ac demũ quomodo per eum mors fuerit soluta, & destructa, ac per consequens detur ei triumphus gratiæ. Quo ad primum dicimus, Dei filium æternum quidem esse, ac coæternum ipsi Patri ante incarnationem, & ante mundi constitutionem quoad Deitatem; & per consequens confitemur Christum esse Deum; quia nihil est æternum, nisi Deus. Aeternus est ergo Pater; æternus est & Filius; æternus & Spiritus sanctus. Hic vero est ille Rex, de quo canit Dauid, dicens: quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos: quia in manu

Nota.

Dei filius quomodo æternus.

Psal. 112.

eius sunt omnes fines terræ,& altitudinem montium ipse conspicit. q. d. Non adoremus Deos ligneos,& aureos,& argenteos, & homines mortales,puta Saturnum, Iouem, & Phębum, sicut adorabant Gentiles; sed adoramus Dominum Iesum Christum; quoniam ipse est Rex Magnus, & altissimus super omnes prædictos Deos;& in manu,ac eius potestate sunt omnes termini terrę,& altitudines montiū sunt sub eius potestate, & dominio; & ideo dicitur Rex altissimus; quia & omnes altitudines montium ipsius sunt, & quia ipse cōspicit altissimos montes. Hic, inquam,est ille Rex, qui natus est Rex Iudæorum,& quem adorare Magi exquisierunt; & cui aurum, vt vero Regi,obtulerunt. Altissimus item iste Rex noster ideo dicitur; quoniam non solum super omnem terram, & super omnem ambitum aeris, & cæli; sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemq; constitutionem inuisibilium potestatum regnat, & habitat. Vnde Psaltes,ait. Quis sicut Dominus noster, qui in cælis habitat? idest, summitatem, & Imperium super omnia tenet: excelsus ergo super omnes gentes,& Angelos est Dominus noster, & super cælos gloria eius. ¶ Quod vero Rex iste noster Christus sit fidelium redēptor,patet. Nam solus Christus, & nulla pura creatura, quantumcumq; perfecta, & sancta potuit genus humanum redimere: primo ratione multiplicis culpæ,& pœnæ;à qua sentētia sumus redempti. Secundo ratione Regni cælorum, nobis acquisiti. Primum patet.nā peccata à quibus sumus liberati, sunt infinita intensiue ratione Dei, contra quem facta est offensa,& sunt commissa peccata: & extensiue,quia omnes eramus peccato multiplici obnoxij: quia non solum redemit præsentes; sed etiam præteritos,& futuros; ergo talia peccata non poterant deleri,nisi per virtutem,& precium infinitum: nā actio non fit,nisi à proportione maioris inæqualitatis; ergo oportet,quod sit maior virtus agentis,in agendo, quam passi in resistendo; sed peccatum totius humani generis,est infinitum intensiue, & extensiue: & pœna pariter est infinita extensiue: ergo per nullum meritum,aut virtutem alicuius creaturæ,poterat relaxari,cum meritum cuiuscunq; creaturæ puræ non possit esse infinitum: quia quęlibet creatura data semper habet minus de merito, quam sint omnia peccata generis humani in culpa; & sic semper manet maior resistentia, non solum in toto genere humano; sed etiam in quolibet peccatore;quia quilibet peccator magis habet de culpa ad resistendum, quam pura creatura habet de merito ad relaxandum; ergo oportebat,vt redemptor haberet magis de gratia, & merito, quam totum genus humanum de culpa, & pœna. Et sic solus Rex Noster Christus potuit esse redemptor fidelium, & humani generis,

ratio-

Christus Rex est altissimus, & quomodo. Math. 2.

Christus, & nō alia creatura est redemptor fidelium.

ratione gratiæ vnionis, & ratione puritatis, & immunitatis. Per Christum Dominum Nostrũ ergo mors soluta perijt, quæ captiuos nos tenebat in inferno; sed destructa per Christum, ac pessundata, ac omnino soluta, ipsa perijt: soluere enim interdum destruere signat; vt legem soluere dicitur, qui legem violat; dixit enim aliquando ipsemet Christus ad mortem: Ero mors tua ò mors: quod vtiq; per passionem, resurrectionem, & ascensionem illius, completum est; ac per consequens genus humanum redemptum est, necnon & Christo datur, assignaturq; ac attribuitur triumphus gratiæ, & victoria pro eo, quod fidelium fuit redemptor. ¶ Ad cuius rei veriorem elucidationem notandum est, quod Adam creatus fuit in vna origine cum iustitia, & per gratiam; per quam quidem iustitiam originalẽ, conformabatur diuinæ voluntati, & ordinate diligebat Deum in se, & propter se: & proximum propter Deum: & Adam in tantum fuit iustus, & in gratia, in quantum fuit conformis diuinæ voluntati, seruando eius præcepta; & per consequens, sicut Adam accepit illam iustitiam pro se, & pro omnibus posteris: ita obligauit se, & omnes posteros suos ad seruandum iustitiã sibi traditam; & omnes nos posteri fuimus ei obligati. Et ideo cum perdidit Adam illam iustitiã, non solum perdidit pro se, sed etiam pro omnibus posteris, & hæredibus suis, quia non potuit illã cum suis præmijs transferre ad posteros suos, postquã perdidit eam, ex quo sequitur, quod omnes perdidimus illam iustitiam, & illam gratiã cum omnibus suis præmijs in Adã. Ergo sequitur, quod quando Adam seductus ab Eua, & Eua à serpente, comederunt fructum: tunc deuiauerunt à diuina voluntate, & non fuerunt sibi conformes, & per consequens, illico amiserunt illam iustitiã, qua erant conformes diuinæ voluntati; & gratiam, qua erant similes Diuinæ bonitati; & sic fuerunt priuati illa iustitia, & gratia; & per consequens facti iniusti, & odiosi Deo, per consequens fuerunt priuati omnibus præmijs consequentibus illam iustitiam originalem, & gratiam; imo incurrerunt sententiam mortis ei comminatam. Verum Deus misit verbum suum: vt sumeret carnem ex Adam, non per generationem naturalem; sed opere Spiritus sancti, ne obligaretur illi peccato in persona, nec in natura: (ideo hoc verbum statim ex quo in vtero Virginis concipi, & homo fieri inciperet, fuit plenum gratiæ, & veritatis:) in qua quidem carne posset pro omnibus peccatoribus pati; & satisfacere, & offerre Deo gratum, & validum sacrificium pro omibus, vt Deus acciperet mortem corporalem pro omni morte corporali, & spirituali, & æterna omnium hominum: ne illud peccatum cum omnibus sequentibus maneret impunitum. Itaq; ascendit Christus in

Soluere qd.

Christo quomodo triumphus gratiæ debebatur.

Gratia cõformis est Diuinæ voluntati.

Nota.

crucem ad pugnandum, pro nobis contra Diabolum; ex qua cruce adeptus est triumphum, & victoriam contra mundum, & Diabolum, & triumphauit de Diabolo, & morte, & recuperauit prædam de potestate Diaboli: & sic gratiam; & merita suæ passionis communicauit nobis: per quam gratiam voluit nos, suos fideles iustificare, & in gratiam Patris restituere: & sic loco illius originalis iustitiæ, & gratię perditæ in Adam, data est per Christum nobis fidelibus gratia, & iustitia fidei Christi ad iustificandum, & gratificandum nos fideles. Debetur ergo soli Christo triumphus, & victoria omnis gratiæ: quia lex data est per Moysem: gratia autem facta est per Iesum Christum, qui non ad mensuram à patre accepit dona gratiarum: quia diffusa est gratia in labijs eius, non solum ad loquendum, & docendum; sed etiam ad iudicandum, & imperandum, gubernandum, ac regnandum super omnes creaturas. Vnde propterea subdimus, ac dicimus de eo. *Scandens tribunal dexteræ Patris potestas omnium Collata Iesu cælitus: Quæ non erat humanitus.* ¶ Ad præmissorum quatuor horum carminum intelligentiam duo sunt notanda, & primo quid sit scandere tribunal dexteræ Patris. Secundo potestas scandendi tribunal dexteræ Patris (quæ dicitur potestas omnium) cui, & à quo collata sit. Ad primum dicimus; quod scandere tribunal dexteræ est Regnum acquirere, & ipsum possidere, & potiri, & dominari ei: estq; constitui cum Patre, & Spiritu sancto Rex, & Dominus, & Gubernator, & habere super omnes, & ab omni gloriam, & honorem, & cultum, & latriam, & adorationem: estq; etiam accipere à patre potestatem iudiciariam vniuersalem, & distributionem præmiorum, quod & in præcedenti hymno diximus. Hanc vero potestatem iudiciariam vniuersalem, & hanc potestatem gubernatiuam, & hóc Regnum, & Imperium super omnes creaturas, & gloriam, & honorem, & latriam, & summam fruitionem, & gloriam, hic in litera hymni omnium potestatem esse dicimus; quæ in die ascensionis, siue resurrectionis Christi; scilicet, quando ipsemet Christus quieuit ab omni labore passionis, & amplius non est passus, nec mortuus, nec mors illi vltra dominabitur; eidem met ipsi Christo collata fuit ab ipso patre. Hæc autem potestas Christo Iesu collata, tributaq; fuit secundum humanam naturam (siquidem secundum Deitatem, eam ipse habebat ab æterno) cælitus, hoc est, à cælo, hoc est, à Patre eius cęlesti, non autem humanitus, siue ab homine. Illam ergo vniuersorum authoritatem, & potestatem, & virtutem non ab hominibus accepit Christus; sed à solo Deo, quæ potestas non erat humanitus Christo collata, idest, quamdiu, vel quando

Ioan. 1.

Psal. 44.

Potestas omnium quid.

Tribunal dexteræ Patris scandere quid.

Potestas omniũ cui, & à quo sit data.

Non vt Deo; sed vt homini Christo data est omnium potestas à Patre.

quando erat in mundo; sed etiam in die suæ ascensionis ad cælos postquam dixit ei Pater: Sede à Dextris meis. *Vt trina rerum machina; Cælestium, terrestrium, Et infernorum condita, Flectat genu iam subdita.* ¶ Hoc est, in cælis existentes, & homines in terris peregrinantes, & Dęmones, ac animæ damnatorum in inferno vlulantes, & omnia à te, ò Christe, condita, facta, & creata; curuant tibi genu, præstantia, ac exhibentia tibi honorem verum, & veram adorationem, ac cultum; prout dictum paulosupra est in antecedenti versiculo. Excerpta autem sunt huius loci verba à Beati Pauli dictis ad Philippenses. Propterea, inquit, exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur: quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. *Tremunt videntes Angeli, Versa vice mortalium. Culpat caro, purgat caro: Regnat Deus, Dei caro.* ¶ Angeli, inquam, tremunt, idest, cum tremore, reuerentur, ac venerantur Christum: dicentes cum admiratione magna, quod Isaias & dixerat etiam, nempè: Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? & quod in psalmo itidem legitur, videlicet. Quis est iste*Rex gloriæ? Ac tunc plane versa est sors, ac conditio mortalium hominum, & naturæ: quoniam prius humana natura, & naturali sua conditione, & peccati depressione longe infra Angelicam naturam fuerat constituta: ita vt ante natiuitatem Christi, Angeli ab hominibus se adorari patiebantur: sed non vtiq; post, sicut legimus in Apocalypsi 5. de Ioanne: qui cum vellet Angelum adorare; ait Angelus Ioanni: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Adorari ergo se non permisit Angelus: quoniam, secundum Chrysostomum: iam Angeli, atq; Archangeli nostram naturam in sede Dominica, immortali gloria fulgentem viderunt. Et subdit idem ille: Quæ natura est, inquit, cui Deus dixit: Esto meę particeps sedis: illa natura est, quæ audiuit: Terra es, & in terram reuerteris. Vnde merito nunc mirantur Angeli, ac tremunt Christum: Nam vide, inquam, quo spatio cælum separatur à terra: immo terra quanto ab inferis abest: & ipsum cælum quanto ab altiori cęlo separatur: & de altiore cælo ad Angelos quantum spatij est, ad superiores potestates etiam; ad ipsam quoq; Dominicam sedem: super hæc omnia natura nostra eleuata est: quæ omnibus hodie meruit excelsior in terris, in cælisq; etiam reperiri. Ex hoc ergo mirantur Angeli, & tremunt potestates: vt in Christo humana na-

Psal. 109. *Philip. 2.* *Isai. 63.* *Psal. 23.* *Natura humana olim erat longe infra naturam Angelicam.* *Apoc. 5.* *Chrisost. in sermone 2. Ascensionis Domini.* *Quantum exaltata sit natura humana.*

ſpiritualis, & recreatus, figuratus per mundum materialem; qui eſt Eccleſia Chriſti: cuius habitatores ſunt omnes Chriſti fideles, in Chriſto regenerati. Vnde de hoc mundo dicit Ioannes: Mundus eum non cognouit, ſed de mundo ſpirituali dicit: quotquot autem receperunt eum: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt. & de mundo poteſt intelligi etiam hic noſter textus hymni. Quartus dicitur mundus gloriæ, & perpetuus. De quo Pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. De cuius fabricatione, & ædificio, Ioannes Apoc. 21. Vidi cælum, inquit, nouum, & terram nouam: primum enim cælum, & prima terra abijt: de mare iam non eſt. Et vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam, deſcendentem de cælo. Secundi vero,& tertij mundi creatio, fabricatione, ſiue fabrica; de quibus hic diximus intelligi in noſtro hymno; conſiſtit quidem in triplici natura. Conſtat enim ex natura Angelica, quæ eſt incorporea, & incorruptibilis, & ex natura elementali; quæ eſt corporea, & incorruptibilis, totum ergo vniuerſum creauit Deus ad ſimilitudinem ſuam: pro quo in diuerſis locis ſupra diximus. *Hinc te precantes quæſumus: Ignoſce tu criminibus. Et corda ſurſum ſubleua Ad te ſuperna gratia.* ¶ Ad iſtorum quatuor carminum intelligentiam præaduertēda ſunt duo, nempe: quotuplex ſit gratia, & qua gratia mediante corda noſtra ſurſum leuare hic à Deo petamus. Secundo aduertendum eſt, cur ſurſum corda noſtra à Deo leuare petimus. Tertio quot modis corda noſtra ſurſum ſubleuanda ſunt. Ad primum dicimus, quod gratia, ſecundum omnes doctores ſanctæ Eccleſiæ, eſt triplex, ſcilicet, incipiens, proficiens, & perficiens. Prima rectificat voluntatem noſtram, & dirigit, vt velimus bonum. Secunda cooperatur vt proficiamus, & exequamur. Tertia confirmat, & perficit voluntatem in ſua operatione. Item prima rectificat hominem. Secunda ſanctificat. Tertia præmiat ad gaudium, & fælicitatem. Cum ergo dicimus ad Ieſum, & corda ſurſum ſubleua ad te ſuperna gratia: hoc nos volumus dicere, ideſt; ò Domine Ieſu, da nobis gratiam præuenientem per ſpiritum ſanctum, quæ corda noſtra ſurſum ad te eleuet, vt appetant, quod bonum eſt, ac illud perficiant, ac demum, vt præmientur ad gaudium, & fælicitatem. Amen. Corda vero noſtra hic ſurſum leuari per nos à Deo petimus: quoniam ſi de Domino ſæpe cogitamus, & nihil aliud, quam Dominum cogitare enitamur, per conſequens ad ipſum Deum coexaltabimur, iuxta Pſalmum: Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus in eo. Corda vero noſtra item quadrupliciter ſubleuanda eſſe

Pſal. 83.

Mundus conſiſtit in triplici natura.

Gratia eſt triplex.

Corda noſtra cur hic ſubleuari petimus.

virtutibus infusis, donis Spiritus sancti: quæ ipsum coronant, ac pulchrum illum reddunt ante conspectum Dei; paceq; ; serenitate bone conscientiæ; consolationibus Spiritus sancti; omnibusq; meritis bonorum operum, quæ fecit; participatione meriti Christi; ac demum Dei hæreditate. Vnde, & Adam ante peccatum septemplici erat corona coronatus. Nam primo propter obseruantiam diuini præcepti primi parentes præditi erant illa fælici terrestri paradiso; in qua coronati fælicitabantur in præsenti. Secundo vitæ æternæ promissione, perfruitione diuinæ essentiæ coronabantur. Tertio coronabantur habituali scientia speculatiua omnium rerum naturalium, ac etiam multarum supernaturalium, per familiare colloquium Angelorum. Quarto coronabantur libera facultate supra totum corpos, & voluntatem supra appetitum. Quinto triumphabant de impugnatore, ac infestatore intrinseco. Sextro triumphabant de morte, & de omni miseria. Coronabantur septimo omni imperio super omnia animalia; sed post peccatum incidit statim in pęnas Adam cum Eua: quia eiecti sunt in exilium à Deo. Anima eorũ sauciata culpa fuit. Tertio peccatum captiuauit eos in potestate Diaboli. Quarto reddidit eos Deo inuisos, & odiosos. Quinto expoliauit eos omnibus bonis gratificis, & etiam gratuitis. Sexto indurauit eos ex consuetudine in malo. Mala hæc ergo à nobis pelli, & coronas supradictas nobis reddi, te rogamus Domine, antequam ad nos iudicandum venias. Amen.

Adam corona erat septemplici coronatus ante peccatũ.

Sex peccatum affert pœnas.

In die Pentecostes ad Vesperas Hymnus Vigesimussecundus.

VEni creator Spiritus:
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui paraclytus diceris;
Donum Dei altissimi:
Fons viuus, ignis, charitas,
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere;
Dextræ Dei tu dignitus;
Tu rite promissum patris;
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus
Infunde amorem cordibus
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius;
Pacemq; dones protinus,
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da patrem;
Noscamus atq; filium,

Te

Te vtriusq; spiritum
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino
Natoq; qui à mortuis
Surrexit, ac paraclyto
In sæculorum sæcula. Amen.

Ioel. 2. Ioan. 16. Act. 2. CVm aliquando verificaretur, quod Deus dixit Pprophetæ Ioeli, nempe: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et quod dixit Iesus discipulis suis, scilicet: si abiero mittam eum ad vos. Et quod asserit Beatus Lucas; qui dixit;quod Apostolis simul orantibus hora tertia mundus intonuit, & subito venit Spiritus sanctus super illis, eoq; ipse; inflammati diuersis loquebantur linguis magnalia Dei. Propterea factum est; vt nostra sancta mater Ecclesia (se ipsam vere agnoscens, suasq; contemplans indigentias, quæ non sunt paruæ) confugit ad Dominum suum; illumq; inuocat nominibus illis, & directe oppositis infirmitatibus suis; & ait ad eum confidenter. *Veni creator spiritus: Mentes tuorum visita: Imple superna gratia: Quæ tu creasti pectora.* & reliqua. ¶ In quibus primo per prædictam Dei Ecclesiam (nam peccante Adam humana natura in his incidit malis, videlicet: ab ea sanctus aufugit spiritus; mens eius Deo rebella facta est; cor omni gratia spoliatum fuit: repleta est tristitia: donis Dei gratuitis est priuata: arida est facta: frigida; maligna; aspera; duraq; ad ea, quæ Dei sunt; sine timore Dei facta est; impia; ignara; debilis; stolida; obtusa; & insipiens) contra hæc omnia mala in primis octo versibus remediũ imploratur à Spiritu sancto. Secundo in sequentibus quatuor carminibus probat ad illum pertinere his malis auxilium ferre. Nam contra vltima septem mala ipse dat septem dona: contra vero reliqua mala, creaturæ suæ inflicta; veniat ipse illamq; reformet;quia cum ipse sit Dei digitus; in quo facta sunt omnia: per ipsum etiam reficiuntur: quia & ad hoc illum promisit, & non solum promisit, sed hodie misit: sicut linguarum diuitiæ in Apostolis testantur. Tertio in duodecim alijs carminibus orat præfata sancta Dei Ecclesia: vt Spiritus sanctus, qui fecit, & creauit omnia;à se ergo fuget, repellatue tenebras; amorem infundat; roboret; hostem repellat; pacem donet; nobisq; præeat, vt non amplius incidamus tantis in malis: ignorantiam deniq; Dei à nobis auferat: vt perfecte sanctissimam trinitatem credamus, cognoscamusq;, ac firmissime tenentes eam sciamus. Amen. ¶ Ad intelligentiam igitur primorum quatuor carminum, videndum est primo, quomodo Spiritus sanctus sit creator. Secundo cognoscendum est quomodo spiritum fidelium hominum visitet, seu mentes. Tertio aduertendum, quid per

Dei Ecclesia huius hymni est Author.

Hymni huius diuisio. & summa.

per supernam gratiam hic intelligere debeamus. Quarto quid per pectora sit item accipiendum. Ad primum dicendum est, quod Pater cum Filio per Spiritum sanctum, spirauit vitam, & esse, & virtutem rebus. Vnde patet, quod rerum omnium virtus ei data est, & emanat à spiritu oris Dei patris, videlicet, à Spiritu sancto. Et sic omnia sunt creata verbo Domini, & habent virtutem à spiritu oris eius, scilicet, à Spiritù sancto. Et hic tota Trinitas concurrit ad creationem rerum: quia opera Trinitatis sunt indiuisa ad extra. Verum quoniam non suffecisset, & parum erat, nos creasse, nisi spirasset nobis vitam, & virtutem spiritualem, & virtutem gratiarum, & donorum in discipulos, & sic viuificauit eos ad intelligendas scripturas, & ad robur, & ad fortitudinem. Vnde propterea & nos quoq; hic vitam, & virtutem spiritualem, & virtutem gratiarum, & donorum petimus, cum dicimus: *Veni creator spiritus: mentes tuorum*, scilicet, fidelium visita, ideſt, viuifica; & da eis vitam, & virtutem spiritualem, & dona gratiarum, & Spiritus sancti: qui nos per omnia disponat: animam nostram custodiat, corpus regat, & protegat, mentem erigat, mores nostros componat, cogitationes sanctas instituat, refrenet nos à malo, ad bona vero excitet, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, & futura moderetur; faciatq; non solum nos vitare malum, & discernere inter bonum, & malum; sed etiam scire patrem, cognoscere filium, & credere te Spiritum sanctum. Amen. Cæterum secundum Beatum Gregorium in lib. Mor. 9. cap. 28. tunc Spiritus sanctus mentes fidelium, ideſt, spiritum humanum visitat, & custodit, cum hunc virtutibus ditatum, vel flagellando percutere, vel compungere amore non desinit. Nam si dona præstat, sed nunc continue restaurando non subleuatur, citius bonum perditur, quod non à largiente visitatur, & custoditur. Et sic per consequens superna gratia, ideſt superna visitatione, ac ipsomet Spiritu sancto, consubstantiali patri, & filio implentur, ac viuificantur pectora humana, ideſt, corda humana fidelium: quæ ipse Spiritus sanctus dicitur creare iuxta illud psalmographi, scilicet: qui finxit sigillatim corda eorum, scilicet, animas omnium, & de quo dicit Dauid ad patrem. Emitte spiritum tuum, inquit, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et Iob spiritus Domini, ait, fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me. Omnis ergo anima Christiana, atq; fidelis, hunc sæpenumero sanctum inuocet spiritum, ea, maxime: quæ est in æstu concupiscentiarum irrationabilium: quia Spiritus sanctus suo cælesti rore temperat, & refrigerat incendia libidinum, animorumq; reprimit elationem. Inuocet eum anima for-

Mentes humanas quo modo visitet Spiritus sanctus.

Gratia superna quid.

Pectora quid.

Psal. 32.

Psal. 103.

Iob. 33.

Nota.

ma ſordida, ideſt, peccatis maculata, cum dolore de peccatis; & Spiritus ſanctus lauabit, ac emundabit. Inuocet eum anima arida: quæ nihil ſpiritualis habet humoris, & Spiritus ſanctus rigabit eam ſuo cæleſti rore. Inuocet eum anima ſaucia, & grauiter vitijs vulnerata, curari deſiderans. Inuocet eum anima rigida, ob nimiam duritatem ex peccandi conſuetudine inducta, & Spiritus ſanctus auferet ab ea cor lapideum, & dabit ei cor carneum. Inuocet eum anima frigida nullam diuini feruoris, aut fraternæ dilectionis habens ſcintillam, vt ardeat cæleſti illo igne, quem in terras Dominus venit ponere. Inuocet eum, inquam, deuia, à via mandatorum Dei exorbitans, & aberrans, dicens cum Propheta: Dirige mus in ſemitam rectam mandatorum tuorum, quia ipſam volui, & Spiritus ſanctus diriget eum. Poſtulet autem hæc à Deo in fide, nihil hæſitans: quia Spiritus ſanctus Deus dat omnibus affluenter, & non improperat. *Qui paraclytus diceris: Donum Dei altiſſimi: Fons viuus, ignis, charitas, Et ſpiritalis vnctio.* ¶ Ponuntur multa hic nomina; quibus ſpiritus ſanctus in ſcriptura ſacra exprimitur. Sane primo dicitur paraclytus, ideſt, conſolator, & aduocatus. Eſt enim Deus, ſecundum Paulum 1. Cor. 2. totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Væ enim ademit in die Pentecoſtes, & mentem à terrenis ad cæleſtia deſideria vehit. Vnde dicitur Spiritus ſanctus vehemens, quaſi væ adimẽs, & mentem à terrenis ad cæleſtia vehens. Paulus ad Rom. 8. ſcribens ait: Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.

Luc. 12. Pſal. 14. Iac. 1.

Spiritus ſãcti multa ſunt nomina.

Spiritus ſanctus dicitur paraclytus, & cur.

¶ Secundo dicitur donum Dei altiſſimi, quod ex gratuita ſua benignitate, ac bonitate, diffundit in orbem, & hoc prout comparatur ad nos, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt; deſcendens à patre luminum. Vnde Ioel: Effundam, inquit, de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. ¶ Dicitur ergo donum, quia donatur nobis, & nobis eſt donum à patre donatum.

Spiritus ſãctus donũ dicitur & cur. Iac. 1. Ioel. 2.

Tertio Spiritus ſanctus dicitur fons viuus; quia ſeptemplici riuo donorum nobis fluit. Vnde Iſai. 11. ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini. Et apud Ioannem dicitur. Aqua, quam ego dabo ei; fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et iterum, qui credit in me; ſicut dicit ſcriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum. ¶ Quarto Spiritus ſanctus dicitur ignis; quia affectum nobis accendit. Vnde apud Lucam 12. dicitur: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? ¶ Quinto dicitur charitas, non ſolum; quia eſt amor patris, & filij:

Spiritus ſãctꝰ fons viuus dicitur, & quomodo. Ioan. 4. Ioan. 7.

Spiritus ſanctus dicitur ignis & cur.

& filij: sed quia nos amantes facit. Vnde Ioan. 1. Epist. 2. dicit: Deus est charitas; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ¶ Sexto loco nuncupatur Spiritus sanctus spiritalis vnctio: quia omnes tribulationes mundanas suaues facit, ac iucundas: iuxta illud: In labore requies: in æstu temperies. ¶ Septimo loco, & vltimo notandum est, quod spiritale spectat ad salutem, & ad vitam æternam: spirituale vero generaliter, & ad bonum, & ad malum. Vndes Ioannes ait ibidem, sed vos vnctionem, inquit, habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia. Et iterum: Sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. *Tu septiformis munere: Dextera Dei tu digitus: Tu rite promissum patris: Sermone ditans guttura.* ¶ Alia insuper hic nomina adduntur, Spiritui sancto attributa. Quorum primum, quod septiformis, ac septemplicis munere sit clarus. Quoniam septem sunt eius dona: quæ ab eo nos fideles recepimus, præsertim in confirmatione. Nam primum donum sapientiæ est, per quod adhibemur ad studium, & ad scientiam diuinorum, & Sacræ Scripturæ. ¶ Secundum donum intellectus, per quod aperitur nobis intelligentia eorum, quæ legimus in Sacra Scriptura. ¶ Tertium donum consilij, per quod recte eligimus viuere, & attingere Regnum, nobis promissum per Christum, legiferum nostrum. ¶ Quartum donum fortitudinis; per quod roboramur ad patiendum, & tollendum aduersa propter Christum, & iustitiam; vt patet in martyribus. ¶ Quintum est donum scientiæ, per quam discernimus nostra bona opera, & viuimus secundum præcepta. ¶ Sextum donum est pietatis, per quod cultum verum, & latriam Deo attribuimus, & in rebus dubijs saniorem partem eligimus, & ei adhæremus. ¶ Septimum Spiritus sancti donum est timoris; per quod amore quodam filiali diuina mandata seruamus, atq; præcepta, & Deum exacerbare, & ipsi displicere omni conatu, & affectu cauemus. Est ergo Spiritus sanctus septiformis munere, siue mauis dono, ornatus: sicut & alibi ab Ecclesia ipsemet Spiritus sanctus septipotens etiam est appellatus. Vnde sicut filius à patre procedens vocatur leo propter fortitudinem: ouis propter innocentiam: ostium, quia per ipsum introimus ad patrem: lux, quia illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum: item, & veritas, & resurrectio, ac multis alijs nominibus vocatur secundum quasdam proprietates: ita quoq; Spiritus sanctus procedens à patre simul, & filio, his septem nominibus proprie appeltur: sapientia, scilicet, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, ac timor. ¶ Ad hæc & septiformis gratiæ dicitur etiam propter mysterium septenarij numeri: quo summa perfectio intelligitur:

Spiritus sanctus dicitur charitas. & quomodo.

Spiritus sanctus dicitur spiritualis vnctio, & quo modo.

Discrimen iter spiritale, & spirituale.

Spiritus sancti dona, & eorum effectus, qui.

Spiritus sancti, ad filium comparatio.

Spiritus sanctus cur septiformis gratia nuncupatur.

Septenarij numeri mysterium quid.

gitur: est enim compositus ex ternario, & quaternario. Habet namq; in ternario significationem sanctæ Trinitatis: In quaternario euangelij. Siue enim tres per quatuor, aut quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium consurgit: quem etiam constat esse perfectissimum: quia mysterium sanctæ Trinitatis, & doctrina euangelij per duodecim Apostolos, in quatuor mundi partes, Orientem, scilicet, & Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, deriuata est. Sunt quoq; quatuor mundi elementa, & quatuor climata: totidemq; anni tempora: quatuor etiam, quibus Ecclesia subsistit, habentur euangelia. Possumus etiam ternarium numerum ad interiorem nostrum referre hominem, hoc est, ad animam, quæ triplicis est naturæ. Est enim irascibilis, concupiscipilis, & rationalis. In vnaquaq; etiam rationali anima insunt memoria, ingenium, & intellectus. ¶ Secundo loco Spiritus sanctus dexteræ Dei digitus dicitur, & bene. Nam in Exodo legitur Moyses portasse ad montem duas testimonij tabulas lapideas, scriptas digito Dei. Et in Euangelio respondisse perhibetur Dominus calumniantibus Pharisæis: Porro si in digito Dei, inquit, eijcio dæmonia; profecto peruenit in vos Regnum Dei. Vel Spiritus sanctus dicitur digitus dexteræ Dei: quia sicut corporales res digito demostrantur: ita per Spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali. Vel digitus Dei, idest, demonstratio virtutis Diuinæ. ¶ Tertio Spiritus sanctus dicitur promissum patris; quoniam promisit Dominus discipulis illum à patre, in ipsos mittendum, vt apud Ioan. 14. cum duobus sequentibus legitur. Et proinde in Act. 2. Apost. dicitur Dominus præcepisse discipulis suis ab Hierosolimis ne discederent: sed expectarent promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meum. ¶ Quarto dicitur idem Spiritus sanctus ditare guttura sermone: quoniam ipse discipulis varia distribuit genera linguarum, vt Act. 2. Apostolorum testantur. Nam sic Lucas ait. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Facit ergo spiritus diuites, recteq; guttura, oraue, ac pectora, aut linguas hominum, sermone ditat.

Partes mundi sunt quatuor. Elementa quatuor climata. & anni tempora.

Spiritus sanctus digitus dexteræ Dei dicitur.

Exod. 31.

Luc. 11.

Spiritus sanctus digitus Dei.

Spiritus sanctus dicitur promissum patris, et quomodo.

Spiritus sanctus dicitur ditare sermone guttura.

Accende lumen sensibus: Infunde amorem cordibus, Infirma nostri corporis Virtute firmans perpeti. ¶ Ad præsentium horum quatuor versuum pleniorem intelligentiam, præaduertenda sunt duo, nempe, primo, quid lumen, quid amor, & quid virtus hic designent. Secundo videndum est, quid per infirma corporis, hic accipere, & intelligere debemus. Et quidem ad primum dicimus, quod hæc tria vocabula, siue verba, scilicet: lumen, quod ponitur in primo versu, & amor, qui ponitur in secundo, & virtus, quæ

Lumen, amorq; & virt' quid hic significent.

est in

est in tertio versu; hic vnum, & idem significant; quodlibet enim ipsum Spiritum sanctum significat, quem petimus in sensibus, ac in cordibus nostris accendi, infundi, ac dilabi; eoq; ipso nostri corporis infirma firmari, ac perpetuo stabiliri. ¶ Ad secundum dicimus, quod per infirma corporis hic humanam naturam, ac ipsam carnem nostram, aut carnem corporis nostri intelligere possumus. Nam licet Deus omnem naturam, & substantiam naturaliter crearit bonam; nihilominus ipsa humana natura, ac ipsa nostri caro propter peccatum primorum parentum, qui inciderunt in latrones, qui spoliauerunt eos bonis gratuitis, scilicet, originali iustitia, & gratia gratifica, & scientia omnium rerum, ac ceteris præmijs originalis iustitiæ; quiq; eos etiam vulnerauerunt, & plagis impositis, semiuiuis relictis eis, abierunt; sauciata hodie, ac vulnerata reperitur: aliterq; caro nostra corrupta fuit, ac liberum arbitrium claudicatum; quod proprijs viribus destituta repetiatur. Nisi ergo ipsa adiuta sit per gratiam Dei; non potest surgere, & ambulare; nec bonum agere, & ideo hic petimus infirma, idest, naturam nostram sanari per gratiam Spiritus sancti, & virtute, roboreq; eiusdem. Dicit ergo litera nostra: O Spiritus sancte Deus, accende temetipsum lumen flagrans in sensibus nostris, scilicet, in intellectu, in memoria, in ipsa ratione, ac in ipsa voluntate, quo lumine, scilicet, te præuio ductore, vitemus quicquid nobis obesse potest: infundeq; amorem, hoc est, te met ipsum cordibus nostris; quo amore, ac charitate, pacem tecum in perpetuum habeamus. Carnem vero corporis nostri, substantiamq; illius debilitatam per peccatum primi nostri parentis, ac omnem infirmitatem nostram temet ipso, o Spiritus sancte; tanquam perpeti robore, virtuteq; firma, ac confirma hoc, quod operatus es: qua virtute perpeti, te, scilicet, perpetuo nostro robore; ò Spiritus sancte, hostem nostrum procul repellamus; quod est, quod sequimur dicentes: *Hostem repellas longius; Pacemq; dones protinus, Ductore sic te præuio, Vitemus omne noxium.* ¶ Cum Diabolus, qui est aduersarius noster, & hostis, multis nos modis tentet, aut nempe appetitu ciborum, aut vana gloria, aut honoris, & diuitiarum sublimitate, & ad excelsa ducere, & in altum eleuare; vt sicut ipse eleuatus cecidit, sic nos exaltando ruere faciat; ideo hic à Spiritu sancto petimus illum repelli à nobis longius, quam propelli potest; vt magis, ac magis pacem cum Domino Deo nostro habeamus: vt noxium omne; Spiritu sancto præuio; vitemus. Amen. Cæterum ideo hostem hic Diabolum procul à nobis esse, & eum hostem nostrum appellamus: quoniam postquam ipse deiectus fuit à Paradiso ob id, quod imperium

Bona gratuita quæ.

Sensus interiores 4.

Math. 4.

Cur Diabolus sit hostis noster.

X mundi

mundi, ac vniuersi,& celsitudinem,ac solium,& sedem,quam Deus præparauerat pro Christo filio suo; occupare præsumpsit absq; meritis; sed ex sola nobilitate propriæ naturæ, illico descendit ad tentandum hominem ex inuidia, & odio contra Christum, qui residet in illa sede,& celsitudine, & contra omnes homines, qui successiue possident sedes per humilitatem; quas ipse, & eius sequaces perdiderunt per superbiam, & ingratitudinem. Vnde ex prædicta inuidia assidue tentat homines, vt sint Deo rebelles,& faciat eos sibi socios esse pœnarum. Merito ergo eum procul à nobis esse postulamus. *Per te sciamus da patrem; Noscamus atq; filium, Te vtriusq; spiritum, Credamus omni tempore. Amen.* ¶ Ad intelligentiam verborum istorum quatuor carminum,oportet nos scire, cur Dei patris omnipotentis habere scientiam: filij vero Dei notionem, & Spiritus sancti credulitatem postulemus ab ipso met Spiritu sancto. Ad cuius rei intellectum dicimus; quod sicut discrimen est inter scientiam,& verbum, & notionem; nam scientia dicitur vt est in habitu intra intellectum absconsa. Sed eadem scientia dicitur verbum, ac notio, in quantum ad extra per vocem manifestatur: ita scientia,quam de Deo patre habere cupimus, est nobis quodamodo absconsa,quia Deum nemo vidit vnquam; & sic ista scientia venit esse in habitu intra intellectum nostrum absconsa, & cum ita sit, ideo dicimus: Per te, ò Spiritus sancte, sciamus da patrem. Sed de filio dicimus: Noscamus, atq; filium. Quoniam Christus filius Dei ad instar scientiæ (quæ ad extra per vocem manifestatur.dicitur verbum, ac per consequens notio:) manifestatus est hominibus, & cum hominibus conuersatus est; vt omnes attestantur Euangelistę, & ideo bene dicimus; cum de patre scientiam hic quærimus; ob rationem prædictam; quia Deum nemo vidit vnquam, & cum de filio notionem habere petimus, quia filius Dei ad extra coram hominibus se manifestauit; quia natus est, & in mundo conuersatus. Spiritum sanctum etiam credere debemus vtriusq;, idest, ab vtroq;, scilicet, patre, & filio, procedere essentialiter, & esse consubstantialem patri, & filio, ac per consequens credere debemus, ipsum esse Deum; sicut credimus Deum patrem, & Deum filium. Amen.

Cur Patris scientiam, & filij notionem à spiritu sancto petamus.

Scientia, & verbum qualiter differunt.

Comparatio.

In die Pentecostes ad Matutinum Hymnus vigesimustertius.

IAm Christus astra ascẽderat,
Reuersus vnde venerat:
Promissum patris munere
Sanctum daturus Spiritum.
Solemnis vrgebat dies:
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.
Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat:
Orantibus Apostolis
Deum venisse nunciat.
De patris ergo lumine
Decorus ignis almus est
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.
Impleta gaudent viscera
Afflata sancto Spiritu:
Voces diuersas intonant:
Fantur Dei magnalia.
Ex omni gente cogniti,
Grecis, Latinis, Barbaris,
Cunctisq; admirantibus,
Linguis loquuntur omnium.
Iudæa tunc incredula
Vesana toruo spiritu,
Ructare musti crapulam,
Alumnos Christi concrepat.
Sed signis, & virtutibus,
Occurrit, & docet Petrus
Falsa profari perfidos
Iobele teste comprobans.
Gloria Patri Domino
Natoq; qui à mortuis
Surrexit, ac paraclyto
In sempiterna secula. Amen.

SAncta Dei Ecclesia; quæ est mater nostra, cognoscens, totam veteris testamenti legem esse figuram, & imaginem legis Euangelicæ, & omnia contenta mysteria in eò, contenta in noua lege innuere; hodie illius veteris testamenti aperit vnam figuram, vt in discursu hymni patebit, & inquit. *Iam Christus astra ascenderat: Reuersus vnde venerat: Promissum patris munere Sanctum daturus spiritum, &c.* ¶ Vbi per sanctam Dei Ecclesiam primo dicitur; Christum iam reuersum esse, vnde venerat, nempè, in cælum, ex quo olim descenderat à sinu patris. Secundo dicitur, quod iam stante in cælis Christo; dies quidem imminebat, qui iam septies volutus signabat tandem nobis beata illa anni iubilæi tempora; ac legislationis factæ in monte Syna. Tertio designatur tempus, in quo Spiritus sanctus Apostolis fuit datus. Quarto dicitur, quod Spiritus sanctus fidelium hominum pectora suo ardore ac-

Author hymni huius Dei Ecclesia.

Hymni huius diuisio & summa.

cendit. Quinto dicitur, quod Apostoli, postquam acceperunt lumen, & gratiam, locuti sunt linguis omnium. Sexto dicitur, quod Iudæi, videntes, & audientes Apostolos, loqui linguis græcis, & latinis, immò, & omnium; reputauerunt Apostolos esse ebrios. Septimo comprobatur teste Iohele per Beatum Petrum; malignos Iudæos esse falsos, & calumniari contra beatos Apostolos. Hymnus ergo iste est totus hystoricus, qui cantatur cum magna lætitia ab Ecclesia; tanquam grata de tanto accepto à principibus eius beneficio. In quo etiam hymno obseruari debet, quam sit fidelis Deus in suis promissis; & quam nihilominus oporteat nos, vt diuinarum promissionum capaces simus; digne esse præparatos. Apostoli certi erant de promissione Christi; expectabantq; illam, & vt magis inuenirentur digni, Deum orabant, vt quod ipse met Deus per prophetas, & nouissime per filium promiserat, adimpleret. Vnde non mirum est, quod fidelia eorum pectora calore amoris Dei impleantur, impletaq; gaudeant, & calcatis terrenis, cælestia prædicent. Nec etiam mirum est, quod (è contra) Iudæa incredula, idest, infideles excæcantur, vt quod Dei est, ebrietati tribuant; & illi erant, qui quotidie legebant sacras scripturas, vel quia erant impij; scripturæ illæ sanctæ erant illis in laqueum, & in scandalum, quod summopere nobis cauendum; ne quanto maiora à Deo recipimus; inde deteriores (vt Iudæi) euadamus. ¶ Iam nunc ad intelligentiam præmissorum quatuor, primorum versuum recordemur hic; quod à die Ascensionis Iesu Christi, vsq; ad diem Pentecostes: in quo hunc canimus hymnum, nonnulli currunt, & interponuntur, dies: idcirco bene dicimus: Christus iam astra ascenderat, idest, cælum astrorum, & planetarum, ac cælum iam penetrauerat empyreum; & sic reuersus illuc vnde venerat. Vnde ipse met Iesus Christus dixit; Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Et Dauid ait: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius. Et facit etiam ad hunc locum, quod dicit glos. in cap. numquid de cons. dist. 5. cum inquit: Authoritas illa docet nos facere signum crucis: Egressus eius à patre: Regressus eius ad patrem: Excursus eius vsq; ad inferos: Recursus eius vsq; ad sedem patris. Præterea aduertendum est etiam, quod particula; promissum; refertur ad spiritum: qui promissus est Apostolis, ac mitti debebat gratuito patris munere, aut dono. Vnde Dominus noster ait: Ego rogabo patrem, & alium paraclytum dabit vobis, scilicet, Spiritum sanctum. Et iterum: Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à patre. Dum ergo Christus, quia iam cælum ascenderat, reuersusq; erat

Homo se dignum facere debet ad dona Dei.

Astra 24.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Ioan. 4.

vnde

vnde venerat; erat missurus Spiritum sanctum, ex dono Dei patris, quem promiserat Apostolis, dum erat in terris: *Solemnis vrgebat dies: Quo mystico septemplici Orbis volutus septies Signat beata tempora.* ¶ Ad veram præauditorum versuum cognitionem, ac elucidationem, prænotandum primo est, qui nam sint dies solemnes. Secundo aduertendum est, quid sit mysticum. Tertio quid hic per orbem intelligere debeamus. Quarto videndum, quæ sint beata tempora, quæ orbis, sine circulus septem dierum per hunc mysticum septemplicem diem solemnem Pentecostes dicitur signare. Quinto hymni verborum facienda est constructio. Ad primum propositum dicimus, quod dies solemnes enumeramus per glos. in cap. fin. de ferijs. Sed dies solemnes maiores, secundum eandem glos. in c. iii. eod. dicuntur Natiuitas Domini, Epiphania, Pascha, Ascensio Domini, & Pentecostes. Et de hoc vltimo die, scilicet, de solemni Pentecostes die hic est intelligendum. Ad secundum dicimus, quod mysticum idem est, quod arcanum, secretumue, vel figuratum: quod aliud præter id, quod videtur, continet: Vel aliud signat, quam quod litera sonat. Ad tertium dicimus, quod orbis hoc loco, accipitur pro circo, seu circulo septem dierum, idest, pro septimana, seu hebdomada, ac pro septennario hebdomadarum dierum. Dicit ergo litera hymni; solemnis vrgebat dies, idest, instabat, imminebat, ac appropinquabat dies, scilicet, Pentecostes. Quo, idest, per quem, & cum quo, & in quo mystico septemplici die solemni Pentecostes, reuolutus septies, idest, septem vicibus, aut cum septem diebus orbis, & hebdomada, idest, septennarius hebdomadarum dierum beata signat tempora, nempe, legis lationis factæ quinquagesimo die post egressum filiorum Israel de Aegypto. Egressus enim filiorum Israel de Aegypto, & esus agni paschalis immaculati fuit decimo quarto die Mensis Aprilis: lex vero data est quarta die Mensis Martij: quamquam dicit scriptura Exodi, quod data sit tertia die: attamen subdit postea: Iam enim aduenerat tertia dies, & mane inclaruerat: maneq; ascendens Moyses duas tabulas scriptas accepit. Itaq; 16. in Mense primo, & 30. in secundo Mense (secundum lunarem Mensem loquor) & quatuor in tertio; faciunt quinquaginta: vt bene computat Guliel. Duran. in suo Ration. dum differit de die Pentecostes. Quæ sane legis datio in monte Sina erat figura, & imago missionis Spiritus sancti: & promulgationis legis Euangelicæ, hoc die solemni Pentecostes inceptæ. Signat etiam hic dies solemnis Pentecostes beata tempora, anni iubilæi, quinquagesimo quoq; anno celebrati apud Iudæos. Qui iubilæus annus, interpretatur remissionis annus; quinimo & sabbati, idest,

Dies solemnes qui nã sint.

Mysticum quid.

Orbis quid hic signisicat.

Cõstructio literæ, & textus hymni.

Tempora per diem Pẽtecostes quæ sunt.

Lex quando data fuit Leuit. 23. & 25. Exod. 12.

Ration. lib. 6.

Exod. 19.

Iubilæus quãdo celebratur & eius interpretatio.

quietis perpetuæ in cælum per annum illum iubilæum : (qui ſpiritualiter à nobis obſeruatur,) ſignificatæ ; vt in Leuit. 25. ait. Quo fit, vt anni iubilæi annum intelligere debeamus. Eſt ergo annus ſanctus gaudij, ac iubili annus : cum in cælo, & in terra, & in purgatorio mirum in modum iubilætur : in cælo quidem, quoniam ingenti perfunduutur gaudio animæ illæ fælices; quæ à purgatorio, & pœnis eius, ſe vident vindicatas, & iam ad beatorum perueniſſe conſortium. In terra autem quoniam magna afficiuntur lætitia paccatores ; cum animaduertunt vſq; adeo ſibi crimina cuncta dimitti ; vt etiam maximis pœnis, quas ob patrata ſcelera pati deberent, prorſus liberi dimittantur. In purgatorio vero iubilatur:quoniam animæ illæ, quæ ad illud vſq; tempus ſæuiſſimis torquebantur ſupplicijs, cernunt ſe illico ex illis erui. Rurſus iubilatur in cælo : quandoquidem beatorum animæ ea tempeſtate ſolito intenſius exultant, quod etiam alias complures ad eandem cernant gloriam ſubleuari. In terra vero, quoniam lætantur iuſti, cum videant criminoſos homines bonis operibus cæleſtem patrem glorificare. Iubilatur in purgatorio : quoniam parentum, cognatorum, amicorumue animæ præter commune charitatis gaudium cum cernunt filiorum, eorumq;, quos vehementer dilexerant, animas, à pœnis illis in cælum afferri, gaudio magno afficiuntur. Illo ſeptemplici ergo die ſolemni Pentecoſtes, myſticoq; hæc ſupradicta tempora, deſignantur; quoniam orbis, ſeu hebdomada ſeptemplici die conſtans, ſepties reuolutus cum ſuis ſeptem diebus ſupradicta vnitate, numerum efficit dierum, quinquageſimum, & ſeptenarium hebdomadarum dierum, ſeptem enim ſunt hebdomadæ à Paſcha, vſq; ad hanc myſticam, ac ſolennem pentecoſtes diem; in quo datur nobis ſpiritus;& quia beata iam dicta ſignat tempora, quæ quidem tempora ; ſeu ſeptem hebdomadæ à die feſto Paſchæ iubentur in Leuitico numerari vſq; ad alteram diem expletionis hæbdomadæ ſeptimæ, ideſt, quinquaginta dies : per quam iuſſionem dies hic ſolemnis Pentecoſtes Chriſtianorum innuitur. Quo circa palam eſt, inter Paſcha, & Pentecoſtes hunc diem, quod orbis, aut circulus ſeptem dierum ; ſepties quidem volutus, & reuolutus, ſignat beata tempora præterita, ſcilicet, diem, & tempus Meſſiæ, Chriſti,& ſeptimam ætatem mundi,& tempus Chriſti ; in quo fuit generalis remiſſio peccati ; & generalis quies, & ſignat tempora præſentia miſsionis Spiritus ſancti. Vnde ſubdit iure optimo ſancta mater Eccleſia, dicens : *Dum hora cunctis tertia Repente mundus intonat ; Orantibus Apoſtolis, Deum veniſſe nunciat.* ¶ Dum ergo complerentur dies prędicti quinquaginta,& Pentecoſtes dies,

Iubilæi anni laus.

Continuatio cōſtructionis litteræ hymni.

Leuit. 25.

in vltima die prædictorum dierum; ac in hora eiusdem vltimæ diei tertia; mundus spiritualis, & recreatus, idest, Ecclesia Christi, ac omnes Christi fideles, in Christo regenerati; quibus dedit Christus potestatem filios Dei fieri; intonat, & sonum efficit, & clamans vociferatur, dicens; Deum, idest, Spiritum sanctum; qui Deus est, inquantum essentialiter, & per essentiam, est consubstantialis Patri, & Filio; venisse, & de cælo descendisse; & super cunctis pariter in eodem loco orantibus Apostolis aduenisse. Primo ergo Spiritus descendit super Apostolos; sic vnanimiter hora diei tertia orantes, seditq; super singulos eorum, & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: verum habitantes Hierusalem, & viri religiosi audientes Apostolos, ceperunt & ij clamare, dicentes; Spiritum descendisse super Apostolos. Hora ergo tertia diei dominicæ adfuit Apostolis cunctis orantibus Spiritus sanctus; vt etiam legitur in Act. Apost. & in cap. Nocte. de cons. dis. 1. dicit Lucas: Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus eius; & nota quod Spiritus Sanctus datus est in die quinquagesima, vt ostendatur auctor esse remissionis; nam annus Iubilæi seruiebat remissioni. Venit etiam in die dominico, vt esset dies renouationis, qui fuit etiam creationis. Datus quoq; fuit hora tertia, quia dicitur primus homo hora tertia perdidisse gratiam. Vnde conueniens fuit, vt eadem hora Apostolis mitteretur, ¶ Ex supradictis quatuor versibus, notare possumus, quod Episcopi, qui (vt determinauit etiam Concil. Trident. & passim apud patrum dicta) in Apostolorum locum succedunt, debent consecrari hora tertia, in die Dominica. Hinc etiam factum est, vt hymnus: Veni creator spiritus: infra hebdomadam Pentecostes, semper hora tertia dicatur ante illius horæ tertiæ psalmodiam. *De patris ergo lumine Decorus ignis almus est: Qui fida Christi pectora Calore verbi compleat.* ¶ Ad horum præmissorum versuum veram intelligentiam, notandum est primo, quid per lumen. Secundo, quid per decorum ignem. Tertio, quid per pectora. Quarto, quid per calorem. Quinto, quid per verbum hic intelligere debemus. Et quidem oportet nos ante omnia reminisci, quod Deus dixit olim discipulis suis, dicens per Ioannem. Ego ad patrem vado: Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum; & iterum: paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo; ille vos docebit omnia. Ex quibus quidem Christi verbis apparet, præmissos versus desumptos esse, ac eosdem fere esse cum verbis prædictis

Mundus quid.

Act. 2.

Sess. 24. & 4. c. ordinationem 75. dis.

Ioan. 14.

Lumen patris quid. Domini. Nã quid nam aliud per lumen patris hoc loco intelligimus, nisi Christum, ac Dei filium? qui est lumen patris, & lumen de lumine. *Decorus ignis quid.* Præterea per decorum ignem almum, idest, sanctum, Spiritum Sanctum accipe: qui de patris lumine est; idest, qui à Dei filio mittitur de cælis discipulis suis. *Almus quid.* Dicitur autem Spiritus sanctus decorus ignis, quoniam nos quoq; in die Pentecostes decorauit, insigniuitq; corda nostra amore, ac dilectione erga Deum, & proximum, & decoros nos quidem fecit: quia post peccatum primi nostri parentis, Spiritus sanctus iam nobis datus, qui aufugerat postea per dictum peccatum; iterum datus est nobis. Nam mens nostra olim rebellis facta Deo; iterum facta est ipsi obediens, corq; nostrum iustitia, & gratia spoliatum, & tristitia repletum; ac donis omnino gratuitis priuatum: iterum illud restitutum est diuinæ gratiæ, & repletum est consolatione. Præterea ex aridis, & frigidis, facti sumus calidi: vnde propterea Spiritus sanctus hic ignis dicitur: *Act. 2.* quoniam in igne apparuit, vt sacra narrat actuum Apostolorum historia. *Verbum quid.* Et iste ignis, qui verbi Dei, idest, filij Dei, est calor, & ardor, fida Christi pectora, idest, fidelium hominum corda, complet, & perficit, ad credendum totam sanctissimam Trinitatem. *Pectora quid signet.* Decorus ergo, & pulcher ignis almus est de patris lumine, idest, Spiritus sanctus à lumine patris, idest, à filio Dei mittitur de cælis in Apostolos, ac in omnem Ecclesiam Dei, qui spiritus almus, idest, sanctus calore verbi, idest, existens filij Dei caro, & ardor complet, seu peragit, accenditq; fida Christianorũ corda, vt habeant scientiã ad loquendum magnalia Dei. Nam *Impleta gaudent viscera. Afflata sancto Spiritu: voces diuersas intonant*: *Fantur Dei magnalia*. *Viscera quid significant.* ¶ Ecce nunc quid fida Christi pectora faciunt. Nam ipsa nunc completa (pectora enim hic, & viscera idem significant, scilicet, corda hominum) adimpletaq;, ac calore verbi imbuta, idest, Spiritu sancto afflata, idest, inspirata, inflammataq; loquuntur dispartitis linguis diuersas voces, idest, idiomata omniũ linguarum, & fantur Dei magnalia, idest, Christi mirabilia prædicant, nomẽq; suũ vtiq; concelebrant, super salutẽ humani generis. *Psal. 18.* Nã in omnẽ terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ pectorũ, cordiumq;, aut viscerũ, scilicet Apostolorũ; qui. *Ex omni gente cogniti Græcis, Latinis, Barbaris; Cunctisq; admirantibus Linguis loquntur omnium.* ¶ Sane ex omnibus, & ab omnibus gentibus cogniti sunt Apostoli: vt pote à Græcis, à Latinis, & à Barbaris. Vnusquisq; enim istorũ prædictorum cum lingua Græca, cum Latina, & cum Barbara, audiebant loqui Apostolos. *Apostoli cur omniũ gentiũ linguis loquuti sunt.* Cunctisq; prædictis, Græcis, Latinisq;, ac Barbaris, admirantibus linguis omniũ, & omnibus linguis loquũtur Apostoli.

Hoc

Hoc autem factum est à Deo non sine ingenti, & maximo mysterio: Etenim cum sacratissimi Apostoli prædicaturi essent omni creaturæ legem euangelicam, & nouam ex mandato Dei dicentis: euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & docete omnes gentes, profectò illos necessario oportebat omnia linguarum genera scire, & linguis omnium loqui. Quæ quidem linguæ sunt septuaginta duæ, secundum quosdam. Et inter omnes istas septuaginta duas linguas tres linguæ dicuntur excellentissimæ: scilicet, Hæbraica, Græca, & Latina: earum clarior, & sonantior dicitur Græca. cuius varietas discernitur in quinque partibus: quarum prima dicitur mixta, siue communis: qua omnes Græci vtuntur. Secunda Atheniensis, qua vsi sunt Authores Græci. Tertia Dorica, quam habent Aegyptij, & Sirij. Quarta Ionica. Quinta Acolica. Latinæ vero linguæ, scilicet, prisca, & condita, quam sub Iano, & Saturno vetustissimi Italici habuerunt. Et Latina lingua, qua nos Itali vtimur, à Latino, & alijs Regibus Latij dicta est: ex qua lex duodecim tabularum scripta fuit. Et Romana, qua post exactos Reges Populus Romanus vsus est. Et mixta, quæ post Imperium latius promotum simul cum moribus, & hominibus, vrbem arripuit per solęcismos, & barbarismos, integritatē verbi corrumpens. *Iudæa tunc incredula Vesana toruo spiritu: Ructari musti crapulam: Alumnos Christi concrepat.* ¶ Cum autem Apostoli ita linguis omnium loquerentur, admirabantur multi, & maxime Iudæi; credentes, quod Apostoli essent vino sepulti, ac ebrij. ¶ Ad cuius rei veriorem intellectum notandum primo est, quod Iudæa hic incredula, intelligitur plebs Iudæorum: quæ quidem, vt diuinus inquit psaltes; nunquam direxit cor suum, nec ei vnquam rectum fuit, vt constanti animo Deo crederet; diuinisq; promissionibus fidem adhiberet: sed incredula, & infidelis, & insana superbo spiritu, & inflato concrepat alumnos Christi, idest discipulos, ac ipsos Apostolos: qui Apostoli alumni dicuntur Christi, quod eius salutari doctrina, ac miraculorum contuitu mirifice enutriti, ac educati sunt. Et affirmat secundo loco ista infelix plebs Iudæa, prædictos Christi Apostolos ex interiori plenitudine ore musti crapulā emittere, existimantes; quod præ nimio vino, ac nimio potu musti, ac per ebrietatem Apostoli taliter loquerentur. *Sed signis, & virtutibus Occurrit, & docet Petrus: Falsa profari perfidos: Ioele teste comprobans.* ¶ Sciendum est ad horum verborum intelligentiam, quod Beatus Petrus Archiapostolus (qui prius Simon nuncupabatur: sed hanc nomenclaturam accepit à Deo; quando ipse Dominus interrogauit discipulos, dicens: Vos autem quem me esse dici-

Math. 28.

Mar. 16.

Linguarū genera quot sint.

Linguæ quæ sint omniū excellentissimæ.

Nota.

Iudæa qd.

Psal. 77.

Alumni discipuli Christi dicuntur, & cur.

Petri nomen unde ortum sit. Dist. 19. cap ita Dominus, & dist. 22. sacrosancta. dicitis? Et Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Tunc Iesus dixit ei: Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde & Cephas etiam, idest, caput, & principatum Apostolorum dicitur tenere (Iudæorum improbitatem confutauit; quando dicebant, Apostolos ructare musti crapulam, ac ebrios esse) signisq;, hoc est, miraculis, & virtutibus: quibus super omnes Apostolos Beatus Petrus ornatus erat: occurrit, ac restitit ijs, qui ebrietati imputauerunt, & ascripserunt illam in Apostolis *Ioel. 2.* linguarum diuersitatem. Et simul ex Ioelis vaticinio ostendit eis, completam tunc esse sancti spiritus effusionem in homines; quam multo ante tempore idem Ioel Propheta pronunciauerat: atq; ex huiusmodi Spiritus sancti dono declarauit, illam linguarum, varietatem prouenisse: quæ omnia in sermone Beati Petri ad Iudæos habito, dilucida sunt, & perspicua apud acta Apostolorum.

In die Pentecostes ad Laudes Hymnus Vigesimusquartus.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita.
Cum spiritus paraclytus
Effulsit in discipulos.
Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit:
Verbis vt essent proflui
Et charitate feruidi.
Linguis loquuntur omnium:
Turbæ pauent gentilium
Musto madere deputant,
Quos spiritus repleuerat.
Patrata sunt hæc mystice,
Paschæ peracto tempore,
Sacro dierum numero:
Quo lege fit remissio.
Te nunc Deus pÿssime
Vultu precamur cernuo;
Illapsa nobis cælitus
Largire dona spiritus
Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia
Dimitte nostra crimina:
Et da quieta tempora.
Gloria patri Domino,
Natoq;, qui à mortuis
Surrexit, ac paraclyto
In sæculorum sæcula. Amen.

Vere vigil, ac solers est nostra, ac vniuersalis mater Ecclesia: à qua sicut Christus nunquam separatus est; nec vnquam separabitur: ita nec illa vnquam obliuiscitur, nec obliuisceretur sui sponsi Chri-

fi Christi; nec donorum eius, videlicet, missionis Spiritus sancti; quem ipse à cælis misit. Vnde propterea ipsa quotannis in memoriam tanti beneficij celebrat huiusmodi missionem Spiritus sancti, cantans hymnum eius hunc in modum, videlicet: *Beata nobis gaudia Anni reduxit orbita: Cum spiritus paraclytus Effulsit in discipulos.* Et quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus commemorantur mysteria diei Pentecostes ob sancti Spiritus missionem in forma ignis, & linguarum, ac ob Apostolorum in varijs linguis prædicationem celebratissimam. Secundo Deum oramus, vt nobis sacratissima sui spiritus dona infundat. Pars prima durat vsq; ad versum: Te nunc Deus pijssime. Secunda incipit ab eodem versu: Te nunc; vsq; ad finem huius hymni. ¶ Vel sic diuidamus huius hymni literam, nempe, Primo in eo exultat sancta Ecclesia: dum beneficia diuina, patribus collata, rememorat. Secundo Iudæorum ingratitudinem exprobat. Tertio reserat huius temporis Pentecostes mysteria. Quarto se ipsammet excitat Ecclesia nostra; vt nunc operetur sic nobiscum Deus ex sua pietate; sicut tunc cum patribus nostris operatus, videlicet, vt per Spiritum sanctum dimittat crimina, & donet quieta tempora. Secunda pars est ibi. Turbæ pauent. &c. Tertia est ibi. Patrata sunt hæc mystice. Quarta est ibi. Te nunc Deus pijssime. &c. ¶ Nunc pro intelligentia primorum horum quatuor versuum, præaduertendum est primo quomodo ista anni orbita, idest, iste solemnis dies Pentecostes dicitur nobis adducere beata gaudia, & in quibus habemus ista beata gaudia. Secundo videndum est, quid orbita sit, & quid hic signet. Tertio notandum est, quid hic per discipulos sit accipiendum. Ad primum dicimus; quod anni orbita, idest, anniuersaria, dies solemnis Pentecostes nobis hic dicitur adducere beata gaudia istomet ipso die Pentecostes. Quoniam Christus: (postquam intrauit cælum, & accepit sedem in cælo pro se, & suis; quia sedet à dextris patris: à quo accepit omnem potestatem, & factus est vniuersalis distributor bonorum, & donorum patris) prædicta dona accepta à patre dedit, & distribuit in hoc die Pentecostes primo Apostolis; postea Martyribus, & doctoribus, & omnibus fidelibus hominibus, & etiam in omni tempore futuro: quia distribuit bona gratiæ nobis omnibus fidelibus suis in hac Ecclesia in pręsenti: dat & nobis hodie, & distribuit dona Spiritus sancti, dabit nobis & bona gloriæ in cælesti, in futuro. In quibus bonis, & donis Spiritus sancti, & gratiæ, & glorię, habemus beata gaudia: quia Christus in futuro implebit nos bonis, idest, clara visione diuinæ essentiæ, & indiuiduæ Trinitatis: quæ quidem clara visio datur nobis in præmium ex merito fidei,

Author hymni huius Dei Ecclesia.

Hymni huius diuisio & summa.

Alia clarior diuisio.

Dies Pentecostes quomodo nobis beata gaudia afferat.

Marc. vlt.

Christ᷑ bonorum patris distributor:

fide; , quam hic habuimus, & datur etiam nobis perfecta, & secura possessio summi boni in præmium spei, quam hic habuimus. Et dabitur nobis etiam sufficiens, & perfecta fruitio in præmium charitatis, quam hic cum effectu operum misericordiæ, & obseruantiæ præceptorum in hac vita habuimus. Ex quibus tribus bonis resultat in eis vera, & perfecta beatitudo in anima nostra. Merito ergo, donando nobis hodie Christus ista dona Spiritus sancti: dies ista dicitur afferre nobis beata etiam gaudia. ¶ Ad secundum dicimus, quod orbitam vocant quidam viam rotis curruum, vel vehiculorum, & reuolutis signatam, ac protritam, quæ longo tractu porrigitur, & æquo inter se spatio vna ab altera semper dispescitur, ac separatur. Hic tamen per quandam translationem pro curriculo, & reuolutione temporis, & anni; quod ea continue cæli rotatu perpetua vertigine, ac circumgiratione peragatur, ac vertatur: ac summatim pro hoc anniuersario die Pentecostes hic sumitur orbita. ¶ Ad tertium dicimus, quod licet per discipulos hic Apostolos primo, vt diximus; haud dubie intelligere debeamus: possumus nihilominus etiam, & omnes Christi discipulos accipere: illos præsertim, quos sanctus Lucas enumerat, qui sunt septuaginta duo; conficientes corpus Christi mysticum, idest, ipsam Ecclesiam. Nam sicut Christus in corpore suo habuit 72. coniuncturas, sicut quilibet alius homo; quibus totum eius corpus substabat: ita etiam voluit olim creare corpus suum mysticum, hoc est, sanctam Ecclesiam ex septuaginta duobus discipulis, qui figurant ipsum Christi corpus: quanquam solum Apostoli maiores apte dici possunt esse corpus mysticum Christi ob duodecim maiores coniuncturas in eiusdẽ corpore Christi existentes, sicut & in quolibet etiam alio homine. Itaq; nomine discipulorum non tantum primos duodecim Apostolos; verum etiam, & secundo missos, in quos cum Spiritus sanctus paraclytus effulsit, seu resplenduit, ac splendorem suum immisit: & tũc nobis beata sunt allata gaudia supradicta, intelligere possumus. *Ignis vibrante lumine Linguæ figuram detulit: Verbis vt essent proflui, Et charitate feruidi.* ¶ Similiter ad versuum etiam istorum intelligentiam notandum primo est, quod ignis hic Spiritus sanctus intelligitur, qui dicitur ignis, quoniam affectum in nobis accendit. Vnde Christus de eo dicit: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi, vt accendatur. Notandum secundo est, quod lumen, hoc loco, Christum signat, qui est patri coæternus, sicut lumen ipsi soli, & procedit à patre æternaliter, sicut lumen procedit à sole. Tertio notandum est, quod figura, hic formam denotat. Nam missus est Spiritus sanctus in formam ignis, & linguarum.

Orbita quid. — *Discipulorum appellatione quid signatur.* — *Homo quot constat cõiuncturis in copore.* — *Ignis quid* — *Lumen quid.* — *Figura quid.*

Lumen

Lumine ergo vibrante, ideſt Chriſto Domino, mittente, ac Spiritum ſanctum in hunc mundum iaciente, effundente, ac donante; ignis, ideſt, dictus Spiritus ſanctus, à Chriſto miſſus; detulit linguæ figuram, ideſt, attulit Apoſtolis, & diſtribuit eis formam cuiuſcunq; linguæ, ac omnia linguarum genera. Repleti enim ſunt omnes Spiritus ſancto, inquit Lucas, & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Hoc autem fecit Deus, vt ſancti Dei Apoſtoli eſſent in ſermone proflui, facundiq;, ac copioſi in verbis, vtq; charitate, ideſt, amore feruidi, ideſt, ardentes, & inflammati. Apoſtoli ergo *Linguis loquuntur omnium: Turba pauet gentilium: Muſto madere deputant, Quos ſpiritus repleuerat.* ¶ Dum ergo Apoſtolis linguis loquuntur omnium hominum, aut omnium idiomatum, turbæ gentilium, ſeu turbæ gentiles, ex reuerentia pauent, ſtupentq; admiratione magna, ac timent. At Iudæi ex malignitate deputant, ideſt, argumentantur, ſed perperam quidem, Apoſtolos multo madere, ideſt, ebrios eſſe præ nimia vini potatione: licet Spiritus ſanctus eos ſemetipſos repleuiſſet. Et bene dicimus, quod gentiles ex reuerentia pauent. Legitur enim in Act. Apoſt. quod poſtquam Apoſtoli prædicauerunt, & annunciauerunt publice, & cum fiducia verbum Dei populo Iudaico, probando, & confitendo, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, in lege promiſſum, & licet multi Iudæorum fuiſſent conuerſi ad Chriſtum per prædicationem Apoſtolorum, maior tamen pars illorum contradixit prædicationi Apoſtolorum, & negauit Chriſtum, & perſecuta eſt Eccleſiam. (Hinc eſt, quod ab Euſebio Emiſſeno in Homel. feſti ſancti Stephani Iudæi, & Sinagoga, vipera nuncupantur: quam & Apoſtoli, & Chriſtus, poſtquam ſuo ſemine impregnauit: totamq; euangelicæ prædicationis ſementem in eam infudit, illa ſicut vipera, ſicut venenoſa, & impia, contra eum aſſurgens, interfecit eum, de cuius impio vtero filij eius erumpentes eam occidunt: quoniam Iudæi ad fidem Chriſti venientes, eam excommunicant, & damnant. Sinagoga ergo ſuum maſculum, hoc eſt ſuum Chriſtum, ipſa occidit: Vnde, & in ſuperiori hymno apte appellata eſt plebs incredula, veſana, & toruo ſpiritu): ſed cum Paulus, & Barnabas vidiſſent ingratitudinem illius Iudaici populi dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimus ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Conſtitui, dicens, te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ: Audientes autem gentiles gauiſi ſunt. Ex omnibus ſupradictis patet, qualiter, reprobatis Iudæis cęperunt gentiles conuerti, vt patet in Act. Apoſt. Nunc quãdo Apoſtoli

Act. 2.

Act. 2.

Iudæi, ſiue Sinagoga vipera nũcupantur, & cur.

Nota.

Act. 13.

Act. 13.

ſtoli loquerentur linguis varijs,& quando charitate pleni effecti ſint in ſermone potentes, & facundi, & quando eos huiuſmodi prædictis Spiritus ſanctus replet, ſubdit ſancta Dei Eccleſia, dicens. *Patrata ſunt hæc myſtice Paſchæ peracto tempore Sacro dierum numero: Quo lege fit remiſſio.* ¶ Dictum eſt ſupra, quod poſt egreſſum filiorum Iſrael de Aegypto exacto tempore quadraginta nouē dierum dicti Iſrael filij in quinquageſimo die iuxta montem Sinai,cum fulgore, & tonitru legem acceperunt. Proinde inquit vates noſter, quod hæc ſacra miſſionis Spiritus ſancti myſteria, & ſecreta patrata ſunt, ac acciderunt, nempe, poſtquam Paſchale tempus tranſactum eſt,& denaria dierum reuolutione quinquies facta,die ſcilicet,quinquageſimo poſt diem Paſchæ reſurrectionis. Secundum quemquidē numerum dierum quinquageſimum in antiqua lege fiebat debitorum, ſeruitiorum,contractuumq; remiſſio, & vindicabantur omnia in libertatem ob annum Iubilæum,quinquageſimo ſemper anno diuina inſtitutione iuſſum obſeruari. Etenim filij Iſrael emebant filios, & ancillas, & agros, & poſſidebant quadraginta nouem annis, & quinquageſimo anno omnes liberabantur. Inde dicitur annus Iubilæus,id eſt,remiſſionis. Ita quoq; in hoc ſacro quinquagenario dierum numero,in quo miſſus eſt nobis Spiritus ſanctus;obtinetur peccatorum remiſſio, & priſtina ſpiritus libertas, atq; reditus in poſſeſſionem antiquam cæleſtis paradiſi, & Regni æterni. Et ſic per hunc ſanctum Spiritus ſancti aduentum conceditur nobis in supernā patriam regreſſus, ab ea olim exulantibus. *Te nunc Deus pijſſime Vultu precamur cernuo: Illapſa nobis cælitus Largire dona ſpiritus.* ¶ Hic oramus ad Deum, vt nunc operetur nobiſcum, ex ſua pietate, ſicut olim in die Pentecoſtes cum patribus noſtris ſanctis, ſcilicet, Apoſtolis, operatus eſt, vt, ſcilicet, donet & nobis Spiritus ſancti dona. ¶ Ad cuius rei intellectum ſciendum eſt, quod ſancti Dei Apoſtoli receperuntur in die ſancto Pentecoſtes, pro ſe, & pro tota Eccleſia Spiritus ſancti dona. Quorum primum eſt donum donum ſapientię, per quod fideles contemptis ſcientijs mundanis apponunt animum ad ſtudium rerum diuinarum, & ad meditandū legem Domini die, ac nocte contemplando ſacra myſteria, geſta in vtroq; teſtamento, & ad quærendam ſalutem,& iuſtitiam per ſacram ſcripturam, & breuiter relictis rebus humanis ad contemplandum diuina. Sed quia intellectus non ſufficit talia diuina percipere, nec profunda myſteria Sacræ Scripturę intelligere: ideo datur fidelibus donū intellectus,ad differendas,& intelligendas Sacras Scripturas. Vnde ſicut per donum ſapientiæ appetimus intelligentiam Sacræ Scripturæ: ita per donum intellectus datur nobis facultas ad intelli-

Spiritus ſanctus quo tēpore venerit in Eccleſiā Dei.

Annus iubilæus quid, & vnde dicatur.

Primū donum Spiritus ſancti. quid.

Secundum donum Spiritus ſancti.

intelligentiam Sacræ Scripturæ, sicut habuerunt Apostoli. Sed quia non sufficit studium, & intelligentia Sacræ Scripturæ, vt operemur bonum per ipsam, quia finis eius non est, vt sciamus tantum, sed vt per talem intelligentiam operando boni efficiamur, sed quia in tali operatione habemus pugnare contra carnem, & mundum, & diabolū, quibus nullo pacto ex viribus nostris resistere possumus propter naturam corruptam, & fragilem: ideo datur donum fortitudinis, ad vincendum, & pugnandum iugiter contra supradicta. Item quia in lege euangelica sunt aliqua consilia supra totam humanam facultatem, & supra naturam, scilicet; pati omnem persecutionem, & tormenta, & mortem propter Christum, & iustitiam, & orare pro persecutoribus, & inimicis: quæ omnia per solas morales virtutes non possent tollerari, nec exerceri: ideo datur donum fortitudinis, ad supradicta tolleranda, & aggredienda. Sed quia per solam prudentiam moralem, & humanam non possumus de talibus supernaturalibus, & difficilibus consultari: nec quando, nec vbi, nec quantum talia essent eligenda, & aggredienda: ideo datum fuit desuper donum consilij, per quod Apostoli, & Martyres, & cæteri fideles, conteptis mundanis, & postposito quocunq; timore mundano, quomodo oportuit, & vbi, & quātum oportuit pro Christo persecutioni, & morti se obtulerunt. Sed quia non omnes sunt constituti in eodem statu perfecto, sicut fuerunt Apostoli, & Martyres, & prælati, & sacerdotes, & religiosi, sed quidam sunt in statu inferiori, & coniugali, & sæculari in rebus temporalibus inuoluti: ideo prꝫter scientiam mundanam, datum est fidelibus sæcularibus donum scientiæ, vt sic disponant, & transeant per ista temporalia, ne amittant æterna. Nam sicut sapientia est de rebus diuinis, ita scientia est de humanis, & temporalibus. Item quia fideles sæculares in infimo statu constituti non possunt in lege Domini die, ac nocte meditari, nec intelligere, & percipere perfecte altissima mysteria, sicut prælati, & sacerdotes, & religiosi continuo studijs, & contemplationibus dediti. Ideo datur donum pietatis, ad credendum, & firmiter inhꝫrendum articulis fidei, & profundis mysterijs Sacræ Scripturæ, quæ capere non possumus, & ad pie credendum semper partem magis piam, & magis conuenientem Deo, & sanctis eius in opinionibus non dum determinatis per Ecclesiam. Sed quia lex diuina comminatur transgredientibus non solum priuationem hæreditatis vitꝫ æternæ; sed etiam ꝫternam pœnam transgressoribus, & promittit vitam ꝫternam, & visionem Dei, cum summa fruitione, & fælicitate obseruatoribus eius: ideo est necessarius nobis timor supernatualis, per quem timeamus perdere bonum nobis promissum, quod

Tertium donum.

Quartum Spirit. sācti donum

Quintum donum.

Sextum donum.

Nota.

Septimum Spiritus sancti donum.

non

non videmus, & timeamus incurrere pœnas, quas in hoc sæculo non videmus, nec sentimus, & ideo datur donum timoris supernaturalis, qui habet quatuor gradus. Nam primo per ipsum refrenatur temeritas, & audacia nostra, vt timeamus pœnas ignis æterni. Secundo, vt timeamus perdere hereditatem Regni cælestis. Tertio, vt timeamus perdere ipsum Deum per separationem à Deo. Quarto vt timeamus Deo displicere propter suam bonitatē, & ne incurramus ingratitudinem, & iste timor dicitur sanctus, & immaculatus. Supradicta ergo hic à Deo postulamus dona, scilicet, dona Spiritus sancti, & donum primo sapientię, donum intellectus, donum fortitudinis, donum consilij, donum scientię, donum pietatis & donum timoris, quæ dona dudum, idest, olim, seu quondam, vt dictum est, Deus per Iesum Christum, effudit in discipulos, & Apostolos suos, quod sequitur dicere Ecclesia, cum subdit: *Dudum sacrata pectora Tua replesti gratia Dimitte nostra crimina: Et da quieta tempora*. Amen. ¶ Tu ergo summe Deus: qui per filium tuum vnigenitum Spiritum sanctum in Apostolos in die Pentecostes effudisti, ac sacrata eorum pectora, & corda eiusdem Spiritus sancti gratia impleuisti: idem nunc operare Domine in nobis tuis fidelibus, & per Spiritum sanctum tuum, dimitte, & remitte nobis omnia nostra peccata: quæ suggerente Diabolo, mundo, & carne, hostibus nostris commisimus, & disperde, & confunde omnes Dæmones, & inimicos nostros, qui tribulant animam nostram in hoc mundo, & eijce eos per gratiam Spiritus sancti, ab animabus nostris, ac corporibus, vt confusis, ac contritis omnibus inimicis nostris posthac quieta per Spiritum sanctum, qui est Deus pacis, & Deus totius consolationis, habeamus tempora. Amen.

Timor supernaturalis est nobis necessarius, & habet quatuor gradus.

Inimici nostri qui sint.

2. Cor. 1.

In Festo Sanctissimi Corporis Christi ad Vesperas Hymnus Vigesimusquintus.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium;
Sanguinisq; preciosi:
Quem in mundi precium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine:
Et in mundo conuersatus
Sparso verbi semine:
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

Ib su-

In supremæ noctę cænæ
Recumbens cum fratribus:
Obseruata lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitq; sanguis Christi merum
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum:
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, genitoq;
Laus, & iubilatio;
Salus, honor, virtus quoq;
Sit, & benedictio:
Procedenti ab vtroq;
Compar sit laudatio. Amen.

SAncta Mater Ecclesia, omnia quidem, à longe prospiciens, & intra se cogitans: considerauit, quod si tres pueri à camino ignis liberati in laudem Dei quondam canticum cecinere: & Zacharias *Daniel. 3* aliud canticum similiter: & Iustus Simon canticum, & hymnum non parua iucunditate cecinit; quod verum redemptorem Iesum *Luc. 2.* in vlnis suis tenuit, portauitq;: & hæc quidem istorum cantica suscipit, & cantat, & cantari præcipit Ecclesia: quanto magis istud sacramentum sacramentorum, quantum verbis possumus exprimere, debemus canendo, & iubilando canere, ac recitare, per quod non modo tres pueri; imo infiniti homines ab inferni igne liberantur, per quod etiam non solum vlnis, ac bracchijs illum eundem Iesum Christum recipimus; sed & in pectoribus nostris tanquam in tabernaculo suo nobiscum cęnat, & congaudet? Vnde, & Clemens etiam *Clemens* Quintus dicebat. Si Dominum in sanctis eius laudare iubemur, *de reliqui.* dignum profecto, iustum, & salutare nobis existit, vt sibi in sui; quia *& vene-* nos quotidie spiritualiter reficit; memoriam corporis, laudes festi- *rat. sanct.* næ venerationis, & gratias referamus. Quare Ecclesia ob tantum saluberrimum Sacramentum, omnibus publice, & lætanter verbis suis in cælum eleuatis; non parua armonia cantat, canereq; hunc præcipit præsentem hymnum, scilicet. *Pange lingua gloriosi Cor-* *Author* *poris mysterium; Sanguinisq; preciosi: Quem in mundi precium* *hymni est* *Fructus ventris generosi Rex effudit gentium.* & reliqua. ¶ In *S.Thomas.* quibus, & sequentibus omnibus primo inuitamur omnes nos fideles ad solemnizandum hoc tantum Sacramentum. Secundo descri- *Hymni hu-* bitur prima institutio sacratissimi mysterij sanctæ Eucharistiæ, à *ius diuisio.* Christo factæ. Tertio fit nobis pia exhortatio ad honorandum hoc *& summa.* dignissimum Sacramentum. Prima pars patet. Secunda est ibi.

In supremæ noctc cęnæ, &c. Tertia pars est ibi. Tantum ergo sacramentum, &c. ¶ Verum ad veram horum sex versuum elucidationem,& intelligentiam notandum est primo, qnid sit mysterium; & discrimen inter mysterium, sacrificium, & sacramentum. Secundo videndum est, cur Christus Rex gentium hic sit dictus. Tertio quomodo idem Christus sit fructus ventris generosi. Quarto aduertendum est, qnomodo Rex iste gentium in mundi precium sanguinem effuderit. Quinto est sciendum, quot vicibus sanguinem suum pro nobis Christus fuderit. Sexto horum sex versuum facienda est constructio.

Mysterium quid.

Ad primum ergo propositum dicimus, quod mysterium dicitur sacrum secretum, vel sacrum absconditum, vt in c. multi 19. 1. & sumpta est ratio ex sua deriuatione, quia dicitur mystis, vel mystice græce. Vnde hic bene dicitur esse mysterium, quoniam sub diuersis speciebus signis tantum, & non rebus, latent res eximiæ, corpus videlicet,& sanguis Christi, hoc est, ipsa Christi caro, & sanguis.

Corpus Christi cur gloriosum esse dicitur.

Quod quidem Christi corpus dicitur hic esse gloriosum: quoniam gloria, secundum psal. 8. & honore coronatum, & clarificatum sedet nunc ad dexteram Dei patris omnipotentis in cælis; ac quia ex purissimis sanguinibus sanctissimæ Virginis sumptum, & supernaturaliter, & instantaneæ ab omnipotentia Spiritus sancti formatum est, quod, & secretissime, & verissime tamen sub speciebus sacramentalibus continetur.

Sacrificiũ quid sit.

Sacrificium vero generaliter (quanquam non proprie) est victima; ac quæcumq; in ara cremantur, & ponuntur; sumiturq; pro oblationibus, quas antiquitus faciebant, scilicet, vitulorum, & hircorum, quibus non delectatur hodie Deus. Vnde propter hoc ait: Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? sacrificio namq; spiritus contribulati, & cordis, ac humilitatis delectatur Deus.

Psal. 49. *Psal. 50.*

Sacramẽtum quid.

Verum sacramentum idem est, quod sacræ rei signum, quantum ad etymologiam vocabuli. Vel sacramentum est rem secretam continens.

Christus cur Rex gẽtium hic sit dictus.

¶ Ad secundum dicimus, quod Christus hic dicitur Rex gentium, quoniam eas ad veritatis agnitionem per Apostolorum prædicationem adduxit, illasq; rectissimis suorum præceptorum institutis, euangelicæq; legis doctrina moderatissime reduxit. Vnde per psaltem pater ad filium ait. Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea. Item alio loco. Regnabit Deus, inquit, super gentes. Et Hieremias: Quis, ait, non timebit te, ò Rex gentium? & hic nota, quod licet gentes communiter sumantur pro populo gentili, idolis quondam dedito, tamen proprie gentes dicuntur om-

Psal. 2. *Psal. 45.* *Hier. 10.*

Quæ dicũtur gentes.

omnes, qui viuunt ſecundum carnem; ponentes ſpem ſuam in rebus temporalibus, & carnalibus, non viuentes ſecundum ſpiritum. Et ſic omnes generationes, & conditiones hominum, tam Iudæi, quam Saraceni, & infideles, dicuntur gentes, quia viuunt ſecundum generationem carnalem. Chriſtiani autem, quia præter generationem carnalem ſunt regenerati: ideo non proprie dicuntur gentes, ſed populus Dei, in Chriſto regeneratus.

Christiani non dicuntur gētes, & cur.

¶ Amplius iſte idem Rex gentium ſupradictus dicitur fructus ventris generoſi Mariæ Virginis, in quantum fuit nobis datus, ſiue erat dandus in ſupplementum fructus ligni vitæ, quem perdidit Adam. Secundo dicitur fructus, in quantum erat dandus in antidodum, & medelam, & contra morbum, & venenum fructus prohibiti, quem comedit Adam: cuius veneno totum genus humanum fuit infectum, & vulneratum, & fauciatum. Attulit enim fructus iſte prohibitus mundo ſeptem maledictiones, & damna. Primo enim attulit mortem corporalem. Secundo labores, & miſerias, & infirmitates corporales. Tertio mortem animæ, & peccatum. Quarto iram, & indignationem Dei. Quinto exilium, & ſeparationem à Deo. Sexto ignorantiam. Septimo pœnam æternam. Sed fructus ventris generoſi, benedictus fructus, ſcilicet, vteri virginalis datus eſt nobis in medelam, & antidodum, contra venenum ſupradicti illius cibi prohibiti. Ideo totam maledictionem Euæ in benedictionem mutauit Mariæ. Ideo ſicut ille cibus læthifer nos infecit: ita per oppoſitum iſte benedictus, & ſalutaris fructus nos refecit: & ſicut ille nos interfecit, & mortificauit, ita iſte nos viuificauit. Et ſicut ille in omnes miſerias, & infirmitates nos deiecit, ita iſte ab omni miſeria releuauit, & ſanauit.

Chriſtus dupliciter dicitur fructus.

Fructus prohibitus, quē comedit Adam mundo attulit ſeptē mala, & damna.

Fructus Mariæ Chriſti eſt antidodū, &c.

¶ Sicut ille iram Dei, & indignationem contra nos concitauit: ita iſte iram Dei erga nos mitigauit. Item ſicut ille nos à Deo ſeparauit: ita iſte nos Deo pacificauit, & reconciliauit. Item ſicut ille in totum genus humanum tenebras ignorantię induxit: ita iſte lumen veritatis adduxit. Item ſicut ille nos ſcelere infecit, & à via deuiauit: ita iſte nos per legem euangelicam iuſtificauit. Item ſicut ille nos in perpetuam pœnam, & in infernum deſtinauerat, & damnauerat: ita iſte in æternum nos in cæleſti patria, & gloria beatificauit. ¶ Ad quartum dicimus, eundem Regem gentium, & fructum generoſi ventris Mariæ Virginis ſanguinem ſuum in mundi precium fudiſſe, ac vt perſonam communem crucifixum fuiſſe: quoniam paſſio eius fuit quoddam pelagus infinitum meritorum, & numiſma immenſi precij: quo cælum eſt emptum, & genus humanum

Chriſtus fudit ſanguinē ſuū in mundi precium, ac vt perſona communis crucifixus fuit

manum redemptum, quo iniusta in cospectu Dei fiunt iusta, & diuina iustitia eius adæquatur misericordiæ, mitigans diuinam iram, satisfaciens diuinæ vindictæ, precium maius omni debito. Bene ergo dicitur hic, Christum fudisse in mundi precium, idest, in generis humani redemptionem, ac satisfactionem, sanguinem suum. Fudit autem Iesus sanguinem suum sex vicibus, secundum Albertum Magnum, Luc. 22. c. 2. quinquies viuus, & semel mortuus, scilicet, in circuncisione, in oratione, in coronatione, in crucifixione, & in laceratione. Per primum docemur peccata abijcere. Per secundum mentis angustiam pro salute nostra tenere. Per tertium animam nostram virtutibus ornare. Per quartum carnem nostram domare. Per quintum membra mandatis Dei ligare. Per sextum vulneratum cor Dei amore habere. ¶ Dicit ergo hymni, & versuum sex primorum littera sic. O lingua Ecclesiæ militaris, & Christianæ pange, idest, canta, ac cane; & tanquam tuba exalta vocem tuam; diuinum istud laudans mysterium, ac secretum, ex eo enim aliud cernitur & aliud creditur, & intelligitur, nempe, mysterium gloriosi corporis Iesu Christi, gloriosi, & immortalis, & impassibilis; & pange mysterium etiam eius sanguinis, quem Rex gentium (Iudęi enim abdicauerunt, & negauerunt esse Regem, dicentes: Non habemus Regem, nisi Cæsarem, sed Pilatus gentilis in persona omnium gentium cognouit esse Regem Iudæorum dicens: Regem vestrum crucifigam?) effudit, ac sparsit in precium hominum peccatorum mundi huius. Qui Rex gentium est fructus ventris generosi, idest, filius intemeratæ Virginis. Vnde Elisabeth cecinit, dicens. O Maria benedictus fructus ventris tui, scilicet, Iesus. Protulit namq; nobis Beata Virgo fructum, qui fuit seminatus in conceptione, germinauit in natiuitate, collectus in pannorum inuolutione, ad domum allatus in purificatione, comeditur in quotidiana Eucharistiæ sumptione, & in cælesti fruitione. *Nobis datus, nobis natus Ex intacta Virgine: Et in mundo conuersatus Sparso verbi semine: Sui moras incolatus Miro clausit ordine.* ¶ Ad aliorum istorum sex versuum intelligentiam, hic primo notandum est, quando natus est iste Rex gentium ex intacta Virgine. Secundo notandum est, cur iste Christus voluerit nasci ex intacta Virgine, idest, ex homine, qui esset sine peccato. Tertio notandum est, quomodo Virgo Dei genitrix hic intacta esse dicatur. Quarto notandum est, cur nobis datus sit iste vnigenitus Dei, & Mariæ Virginis filius. Quinto notandum est, quid hic per semen sit accipiendum.

Mundus quid. Sex vicib' Christus effudit sanguinē suū.

Ordo litteræ hymni seu cōstructio qua. Esai. 58.

Ioan. 19.

Luc. 1.

Fructus Beatæ Mariæ quando fuit seminatus, collectus, ad altus, & quando comeditur.

Sexto.

Sexto, quid per incolatum. Septimo, quid per mirum ordinem. Ad primum dicimus prout etiam alias retulimus, quod Christus Rex gentium, ac Dominus noster in anno quadragesimo secundo Octauiani Imperatoris natus est: Dum idem Imperator totius Orbis longa pace frueretur: in quo tempore bella in tantum fuerunt obliuioni tradita, quod quasi omnia arma erant in vomeres, & cætera rusticalia instrumenta conflata. Ad secundum dicimus, quod idem Christus ex intacta, & ex illibata Virgine, nasci voluit, & hominem assumere, & incarnati in eo: quoniam modus huiusmodi incarnationis fuit magis congruus, & iustus; licet aliter poterat Deus liberare genus humanum à potestate Diaboli, quam per incarnationem. Nam Diabolus non erat superandus potentia, sed iustitia: & ideo voluit assumere hominem passibilem, vt in illo peccatum Adæ, & omnium delicta puniret. Et voluit illum hominem assumere liberum sine peccato, idest, nasci ex intacta Virgine: vt per ipsum peccatores liberaret. Verum hic Virgo Maria intacta esse dicitur, & bene: quoniam quemadmodum inquit Origines in Homil. Vigil. Nat. Domini; quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat, & sicut tres pueri in camino inclusi habebantur, & tamen eos non habebat, seu lædebat incendium: nec odor fumi erat in eis: & quemadmodum fuit in Daniele, cui intra lacum Leonum incluso; claustris non apertis; allatum est prandium ab Abacuch: ita hæc Sancta Virgo genuit Iesum Christum; sed intacta remansit: qui postquam fuit editus, conuersatus est etiam in Mundo: vt adimpleretur, quod dictum est de eo in libro Baruch; vbi dicitur: Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Immo & nobis à patre datus est: Pater enim omnipotens dedit nobis vnigenitum suum in redemptorem, & in caput, & in sponsum Ecclesiæ, in Legislatorem, & Principem iuxta id, quod fatur Ioannes dicens: sic Deus dilexit mundum; vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam, mediante semine, quod exijt seminare. Semen enim verbi hic prædicatio legis Euangelicæ dicitur: quam Christus, cum in mundo diuersaretur in Hierusalem maxime, & per totam Iudæam ante Passionem suam fecit. Illam enim, vt semen quoddam spirituale, sparsit in animos humanos, tanquam agros intellectuales ad proferendum fructum iustitiæ, & bonorum operum, & fructuum saluationis per veram obseruantiam, & custodiam illius verbi: beati enim sunt, qui audiunt, & custodiunt verbum illud, idest, Dei. Christus siquidem est ille seminator, qui exijt seminare semen suum: cuius vna pars secus viam cecidit: alia supra petram:

Christus quo tempore natus sit.

Christus cur nasci voluit ex intacta Virgine.

Virgo Maria dicitur intacta, & quomodo.

Orig. exod. 3. Daniel. 3. Daniel. 14.

Baruch. 3.

Christus cur à patre nobis datus sit: Ioan. 3.

Semē quid hic signet.

Luc. 8.

Ioan. 12.

Incolatus quid significat. alia inter spinas: & alia demum in terram bonam. Nam ipse dignatus est exponere parabolam illam dicens, semen est verbum Dei. Incolatus ergo sui moras, idest, habitationem, mansionemue, seu tarditates, & dilationes sui incolatus, sui quasi exilij à sua patria, vnde exiuit, & peregrinationes per triginta annos in hoc mundo; conclusit, idest, compleuit, atq; quidem perfecit miro, & nouo ordine. Ipse namq; tempus suæ in mundo conuersatiouis finiuit, atq; terminauit mirabili ordine rerum arduarum, ac prouidentia: Institutione, nempe, noui sacramenti, nouiq; testamenti, & passione mortis pro totius mundi redemptione. Nam & voluit prius ministrare, quam ministrari. Voluit prius facere, quam docere, deinde operari, & voluit miracula facere, vt ostenderet se esse verum Deum. Voluit pati, vt nos patiamur propter ipsum: vtpotè voluit omnes derisiones prius pati: vt nos quascumq; illatas contumelias sine murmuratione pateremur. Voluit pro nobis mori: vt nos propter ipsum parati simus mori. Summatim antequam immanissimam mortem susceperit, disposuit medicamen sufficientissimum, ad surgendum ab infirmitate ad sanitatem, & à morte peccati ad vitam animæ: vt non oporteat item crucifigi ad hoc, vt à peccato liberarentur homines rursum. Quibus omnibus supradictis sic ab eo pie dispositis, & misericorditer ordinatis, finiuit, miroq; modo, & ordine eius conclusit peregrinationem suam ad patrem, à quo exiuit, iterum reuertendo, cum quo quidem semper idem est, quantum ad diuinitatem. *In suprema nocte cœna: Recumbens cum fratribus: Obseruata lege plene Cibis in legalibus: Cibum turbæ duodenæ Se dat suis manibus.* ¶ Ad horum similiter versuum intelligentiam vberiorem multa sunt præmittenda, & primo: quando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum fuerit à Christo institutum. Secundo præmittendum, quinam adfuerint præsentes ad hanc sacratissimam cœnam. Tertio præaduertendum, quot Christus cœnas fecerit. Quarto præmittendum est, quomodo Christus fuerit obseruator, immo, & verificator legis, qui venit non soluere, sed illam adimplere. Quinto notandum est, quid appellatione duodenæ turbæ sit intelligendum. Sexto præmittendum etiam est, quam fuerit erga nos copiosa Christi munificentia. Ad primum præmissum dicimus, quod ex omnibus præmissis sex versibus colligimus, tunc Eucharistiæ sacramentum fuisse à Christo institutũ: quando in vltima eius cœna dedit suam carnem ad manducandum suis discipulis: vt & Concilium etiam Tridentinum tenet, & affirmat in sess. 13. cap. 1. & ab eodem vocatur vltima extremaue, ac postrema Christi cœna: quoniam nulla alia eius cęna subsecuta erat: Fa-

Mirabilis finis vitæ Christi, & conuersationis eius in mundo, ordo, & modus qui fit.

Nota.

Eucharistia sacramentum quando institutum fuerit.

cta

ſta quippe fuit in vltimo, ac extremo eius vitæ. Cui quidem cęnæ eiuſdem Chriſti fratres interfuerunt,ideſt,diſcipuli eius,quos ipſe fratres vocat: vt oſtendat eo nomine eos ſincero quidem amore pro ſequi. Nam & alias ipſemet Chriſtus dixit per Pſaltem: Narrabo nomen tuum fratribus meis.& alibi ad ſanctas mulieres dixit: Ite, & renunciate fratribus meis. Item ad Mariam Magdalenam dixit: Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Conſideremus tamen hic de fratribus,quid dicat Euſebius Emiſſenus in homel.fer.3.in Dom. Iudaica;cum inquit. Sciendum eſt,quod in ſacro eloquio fratres tribus modis dici ſolent: Natura, Gente,& cognitione. Natura ſicut Iacob,& Eſau. Gente ſicut omnes Iudęi,de quacunq; tribu fuiſſent, fratres appellabantur. Vnde dicitur in lege. Si attenuatus frater tuus Hebræus vendiderit ſe tibi. Cognatione,ſicut Abraã,& Loth. Scriptum eſt enim: Dixit Abraam Loth. Ne, quæſo, ſit iurgium inter me,& te,& paſtores meos,& paſtores tuos.Fratres enim ſumus. Quartus quoq; modus addi poteſt religionis,ſcilicet;ſecundum quã omnes Chriſtiani fratres dicimur:qui vnum Deum patrem nos habere gaudemus. Illo ergo tertio modo;quo iuxta cognationem fratres vocari diximus hic, & vbiq; fratres domini legimus hoc vocabulum recipere debemus. Sed Albertus Magnus Ioan.21. ait,quod Apoſtoli vocantur fratres Chriſti:quia iam eis beatitudinis demonſtrat hæreditatem:Et quia eos ſuo ſpiritu adoptauit in hæreditatẽ. Vnde Paulus ad Romanos. Miſſit,inquit,Deus, ſpiritum filij in corda,&c. Fratribus ergo ſuis Chriſtus gratiæ, ſeu Euchariſtiæ cęnam fecit. Facit & alias cęnas idem Chriſtus ſecundum quod ſcribit Albertus Magnus.Luc.14. Nam fecit cœnam in refectione doctrinæ; cęnam in refectione virtutis,& gratiæ: cęnam in refectione Euchariſtiæ: & cœnam in refectione gloriæ. Refectionem doctrinæ facit Chriſtus in contemplationis intellectu.Refectionem virtutis,& gratiæ facit in voluntatis affectu. Refectionem Euchariſtiæ in corde, alias cordis deuotione,& fidei guſtu. Refectionem gloriæ facit in patria,in ſuæ dulcedinis aſpectu. De prima dicitur Apoc. 3. Ecce ego ſto ad hoſtium,& pulſo:ſi quis aperuerit mihi, introibo,& cœnabo cum eo,& ipſe mecum. Pulſat enim verbum Dei, & ſapientia patris, per veritatem ad intellectum, vt aperiatur ei per fidei conſenſum. De ſecunda cœna,ſcilicet,virtutis,& bonitatis in charitate dicitur Iudith. 6. Ozias completo conſilio ſuſcepit Achior in domum ſuam,& fecit cœnam magnam.Ozias fortitudo Dei interpretatur,& ſignificat Chriſtum Dei virtutem,ſiue fortitudinem.Tertia cœna, ſcilicet, in gratiæ virtute facta, ex qua Euchariſtiæ nomen accepit, quæ bona gratiæ interpretatur, ideſt, cęnæ Paſchæ, quam

Qui nam interfuerint vltimæ Chriſti cænæ. *Pſal. 21.* *Math. 28* *Ioan. 20.* *Fratres quot modis in Sacra Scriptura dici ſoleãt* *Gen. 13.* *Leuit. 25.* *Albertus Magnus.* *Rom. 8.* *Cænæ quot ſiant per Chriſtum Albertus Magnus.* *Iudith. 6.* *Euchariſtia quid.*

Christus habuit cum discipulis suis;& de ista sacra cęna hic hymni littera fatur. Quarta cęna,scilicet,in gloria,& in omni beatitudinis

Esdra. 3. perfectione,est cœna,de qua dicitur 2.Esdræ 3. Rex Darius fecit cęnam magnam omnibus vernaculis,& omnibus Magistratibus Mediæ, ac Persidis,& omnibus purpuratis, & Prætoribus, & Consuli-

Apoc. 19. bus, & Præfectis sub illo. Rex iste significat illum,qui in vestimēto, & fæmore habet scriptum: Rex regum,& Dominus dominantium. Quare hęc cęna,in qua Christus discipulis suis se dat suis manibus, perficitur sacramento . In quo incorporatio fit Christi, alias Christo,ad salutarem omnium bonorum communionem,per sumptionē sui corporis,& per sumptionem sui sanguinis. Perfecta fit reconciliatio ad Deum patrem,per precium redemptionis suæ sanctissimę animæ . Item fit viuificatio ad restaurationem omnis perditionis spiritualis vitæ,ex influxu sui sanctissimi spiritus:& grati perfecta gratificatione reddimur Deo ex gratitudine suæ diuinitatis : & ex vase omnis gratiæ (quod hoc Sacramentum Eucharistiæ est) gratiā pro gratia accipimus:vt Christo semper conformemur, & vniamur. Et hæc est etiam illa cęna; de qua prophetauit Isaias,dicens :

Isai. 25. In die illa faciet dominus omnibus populis in monte hoc conuiuiū pinguium,& conuiuium vindemiæ, conuiuium medullatorum pinguium,& vindemiæ defœcatæ . ¶ Ad quartum præmissum , videlicet,quod Christus legis fuerit obseruator,qui venit illam non solue-

Christ⁹ nō tantum legis obseruator fuit sed interpres, & declarator, & verificator. re;sed adimplere;vt hic hymni littera dicit,dicimus;quod Christus non solum legis fuit obseruator;sed etiam interpres, declaratorq; , & etiam eiusdem legis verificator . Nam Christus , qui erat in lege promissus:tanquam verus declarator,& interpres legis Moysi in declaratione legis erat tanquam bonus,& verus Magister,& Doctor. Nam Doctor in Scholis primo legit litteraliter Textum . Secundo

Christus magister, & doctor. declarat ipsum Textum litteræ per rationes, & alias auctoritates. Tertio verificat ipsum Textum per exempla sensibilia , & per effectum. Et istum modum seruant Magistri in legendo Mathematicas & Philosophiam in scientia naturali . Et iurisperiti in iure ciuili,& canonico:& vnusquisq; in sua facultate. Ita ergo Christus Magister noster,& interpres legis,tenuit hunc modum nobiscum,declarando

Christus obseruauit legem. legem Moysis. Nā primo ipse obseruauit legem Moysi, litteraliter, quoad omnia præcepta moralia,& ceremonialia. Secundo declarauit totam legem doctrinaliter,eius verum sensum exponendo. Tertio verificauit in se realiter,& exemplariter, totam legem , & Prophetas.Quod Christus primo obseruauerit litteraliter totam legem Moysis,non solum quoad pręcepta moralia;sed etiam,quoad cęremonialia; probatur.Nam Christus, vt homo, semper veneratus est

Deum

Deum patrem, tanquam patrem, & Dominum, faciendo eius voluntatem, & tribuendo ipsi omnem honorem, vt patet per totum discursum Euangelicum. Item non solum veneratus est Deum patrem naturalem, & Dominum, sed etiam veneratus est Virginem Mariam matrem suam carnalem, & naturalem, & Ioseph patrem nutritium, qui erat subditus illis, vt patet Lucæ. 2. Et sic iuste viuendo obseruauit omnia præcepta moralia, & cæremonialia vsque ad trigesimum annum, & vltra: Quia in omnibus festiuitatibus ascendebant in Hierusalem secundum consuetudinem diei festi, vt Lucæ. 2. Et sic est dicendum de cæteris cæremonialibus, quia comedit agrum Paschalem, &c. Quod autem Christus secundo tanquam magister, & interpres in lege promissus declarauerit doctrinaliter legem Moysis, & spiritualem sensum, & eius intelligentiam manifestando, similiter probatur. Nam illico post baptismum, & ieiunium congregauit Apostolos, & discipulos, & ascendit in montem, & sedendo tanquam magister declarauit eis legem Moysis, quo ad verum sensum confutando falsam doctrinam, & fermentum Scribarum, & Pharisæorum, vt patet Math. 5. 6. & 7. & exinde per totum discursum euangelicum, quia ostendit, quomodo sabbatum non soluebatur, nec violabatur sanando infirmos: immo colebatur, & magis sanctificabatur, quia sabbatum erat institutum ad sanctificandum Deum faciendo opera sancta, & non seruilia, cuiusmodi sunt opera misericordiæ. Item ostendit qualiter cibi prohibiti in lege non prohibebantur per se, sed prout figurabant opera mala, & prohibita, scilicet, homicidia, & adulteria, & furta, &c. coinquinabant animam, vt patet Math. 15. & sic de singulis. Item post resurrectionem incipiens à Moyse & Prophetis interpretatus est illis duobus discipulis, & postea omnibus Apostolis omnia, quæ erant scripta de se in lege, & Prophetis, & Psalmis, &c. Quod vero tertio Christus tanquam verus magister non solum declarauerit legem doctrinaliter quo ad verum sensum, sed etiam verificauit in se realiter, & exemplariter totam legem, & Prophetas; patet. Nam primo Christus voluit baptizari in persona totius corporis mystici, & suorum membrorum, instituendo baptismum, & sic verificauit omnes lotiones, & purgationes, & cætera sacramenta purgatiua, quæ fiebant in lege, & figura baptismi. Secundo fuit passus, & in cruce immolatus, & oblatus & sic verificauit occisionem agni paschalis, & omnia sacrificia, & holocausta, & oblationes, quæ fiebant in lege in figura suæ passionis, & sacramenti Eucharistiæ, de qua hic dicitur Christus obseruasse legem cibis in legalibus, vt ex omnibus supradictis clarius patet.

Nota de honore parentum.

Luc. 2.

Luc. 2.

Christus declarauit legẽ Moysis

Math. 5. 6. & 7.

Sabbatum ad quid institutum erat.

Christ9 in se legẽ verificauit.

¶ Ad

Turba duodena significatione quid. *Math. 5.* *Ioan. 11.* *Exod. 15.* *Apoc. 21.*

¶ Ad quintum dicimus, quod appellatione turbæ duodenæ numerum duodecim apostolorum intelligimus. Hæc autem turba est illa, ad quam dixit aliquando Dominus: Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi: Vobis datum est nosse mysterium Dei: cæteris autem in parabolis. Isti sunt illi duodecim, quorum affluentia omnis terra sanatur. Venit Moyses, ait: & populus in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum. Isti sunt duodecim horæ diei, & duodecim portæ cælestis Hierusalem, de quibus dicitur: Ab Oriente portæ tres: ab Occidente portæ tres: à Meridie portæ tres: ab Aquilone portæ tres. Isti sunt lapides viui, qui voluuntur super terram, qui positi in rationali summi Pontificis etiam sine voce docent, & prædicant, prædicant enim non clamando, sed significando. Hos semper in pectore habere debemus, quibus corda nostra & instruuntur, & muniuntur. Ad hos populus respiciat, & quid significent, diligenter inquirat. Isti sunt fundamenta, & turres, & columnæ Ecclesiæ. Isti cædri Libani. Isti sunt galli in nocte cantantes, & leones sæuientes, qui succintis renibus, & fortissimi bestiarum ad nullius timebunt occursum. Sed quid dico? Isti sunt cæli, qui enarrant gloriam Dei. Turba ergo hic accipitur in bonam partem, nempe, pro duodecim Apostolis. Alias autem turbam, vitiorum, & malignorum spirituum exercitum sæpe in sacro eloquio intelligimus, qui nos ad Deum clamantes, & misericordiam postulantes semper impedire conantur, vt cum dicitur. Turba increpabat cæcum clamantem: Iesu fili Dauid miserere mei, vt taceret. Parimodo cum dicitur: Zacheus quærebat videre Iesum, sed præ turba non poterat, idest, præ multitupine peccatorum, & propter vitia, quibus, qui circundatus sit, Christum videre nequit. Se ergo Christus cibum turbæ duodenæ, hoc est, duodecim Apostolis; secundum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. voluit dare, tanquam in spiritualem animarum cibum, ac tanquam pignus futuræ nostræ gloriæ, & perpetuę fælicitatis. ¶ Ad sextum, & vltimum præmissum, considerandum esse cuilibet animæ fideli dicimus, quam copiosa erga nos fuerit Christi munificentia: qui volens adhuc ipse nobis suam exuperantem charitatem pręcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis dedit, & dilargitus est nobis suam deitatem. Et transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum excedēs attribuit seipsum in cibum. Et se rationabili creaturæ, carni, & corpori, homini, videlicet, in edulium largitus est. Vnde accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & efficacissimi verbi sui prolatione effecit panem verum, & dedit illum nobis ad manducandum: quod est, quod subdit hic Ecclesia, dicens, *Verbum*

C. fundamenta de olec. in 6. Psal. 86.

Turba in malā partem quid.

Marc. 16. *Luc. 18.*

Christus cur in cibum Apostolis voluit se dare.

Munificentia Christi magna erga nos in Eucharistia institutione.

Clem. 1. de relig. & ven. sanc.

caro

caro panem verum Verbo carnem efficit: Fitq; sanguis Christi merum: Et si sensus deficit Ad firmandum cor sincerum Sola fides sufficit. ¶ Ad carminum horum intelligentiam præmittendum est, quid per verbum hic accipere debemus. Secundo notandum est, quot caro significationes habeat, & quid hic per carnem intelligendum sit. Ad primum dicimus, quod verbum hoc loco filium Dei intelligimus, qui dicitur verbum patris, inquantum ab æterno est dictum à patre: estq; conceptus diffinitus, quo pater diffinit, & comprehendit seipsum. Et dicitur etiam verbum patris, per quod pater ex tempore dixit, & creauit omnia creata ad extra, vnde Psaltes ait de eo, verbo Domini cæli firmati sunt. Ad secundum dicimus, quod caro in Sacris Scripturis vana significatione ponitur. Aliquando enim caro pro ipsius naturæ substantia ponitur, vt Genes. 2. Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Nunquam carnis appellatione, sinecdochios totus homo signatur: hoc de Christo per Ioannem dicitur, & verbum caro factum est, quod est aperte dicere: Deus homo factus est. Caro etiam, & sanguis pro corruptione poni solet: Apostolo dicente, caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt: plerumq; etiam carnis, & sanguinis nomine, & spiritualis intellectus subtilitate grossescere doctrina accipitur. Istis sic præpositis patet, quod caro hoc loco posita capitur pro Deo, facto homine. Dicit ergo hymni littera, ac textus: Verbum caro, idest, filius Dei, factus homo: ait enim Euangelium Ioannis 1. & verbum caro factum est. Verum panem ipsemet filius Dei efficit carnem, idest, conuertit panem in carnem, hoc est, in corpus suum. Nam id, quod ante benedictionem fuit verus panis, idipsum conuertit in suam carnem, idest, in sanctissimum suum corpus. Et id, dico, effecit verbo, idest, verborum prolatione, & virtute verborum, insinuantium subsequentia verba, videlicet. Hoc est corpus meum. Merum vero, hoc est, vinum vitis, fit sanguis Christi verbo, nempe, prolatione verborum talium, scilicet: Hic est calix sanguinis mei cum reliquis. Verbo ergo, hoc est, prolatione verborum ad signandum hanc transubstantiationem attinentium, vinum calicis in suum preciosum sanguinem conuertit, vt aperte asserunt Matheus, Mar. & Luc. in dominicę passionis narratione. *Tantum ergo sacramentum Veneremur cernui: Et antiquum documentum Nouo cedat ritui: Præstet fides supplementum Sensuum defectui.* ¶ Ad versuum horum intellectum videndum est primo, quomodo adorandum sit Eucharistiæ sacramentum. Secundo notandum est, quid sit antiquum documentum. Tertio quid sit ritus nouus. Ad primum dicimus, quod hoc sacrosanctum Eucharistiæ sacramen-

Verbum quid signet

Psal. 32.

Caro in sacra Scriptura multipliciter capitur.

Ioan. 1.

1. Cor. 15.

Litera hymni constructio.

Math. 16.
Mar. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Sacramentũ Eucharistiæ adoratione latriæ adorandũ est. Sess. 13. Can. 6.

cramentum latriæ adoratione, & humili reuerentia à nobis adorandum est, ac venerandum. Quæ quidem latriæ adoratio Deo vero exhiberi debet. Quod vero hoc sanctissimum sacramentum sit latrię adoratione adorandum ex sacro Conc. Tridentino euadit clarum: quod anathematizat etiam eos omnes, qui dixerint in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum vnigenitum, Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum. Ad secundum præsuppositum dicimus, antiquum documentum, doctrinam esse legalem, ac vetus testamentum à Deo per Moysem traditum, quod continet agni paschalis immolationem, & multiformium oblationes; Quæ erant tanquam figura, & imago ipsius veri agni Christi pro nobis immolandi. At vero nouus ritus est nouum testamentum, & euangelica sanctio, quę vnius veræ, & perfectissimæ hostiæ, & in locum multiplicium hostiarum, imperfectarum quidem, ac vmbratilium, continet, succeditq;. Quare sicut adueniente die, nox propellitur: nouitateq; induta, vetustas abijcitur: & sicut illucente veritate exemplari relinquenda est vmbra, figura, & imago: ita corruscante nouæ legis gratia non amplius locum habere debent veteres legis Mosaycæ cæremoniæ. Nam nox precessiit, dies autem appropinquauit. Vetustatem enim nouitas: vmbram fugat veritas, & noctem lux eliminat. Pro agno ergo illo figurali hodie celebranda est, ac frequentanda sacrosancta Eucharistia: & pro pane, & azimis antiquæ institutionis: nunc sumendus est panis vitæ nouo ritu à Deo institutus. legalia enim, secundum Augustinum, in Epist. 10. ad Hieronymum, fuerunt ante passionem viua: post passionem Domini mortua, sed postquam per mundum claruit euangelium sepulta sunt. Vltimo nota vbi dicitur, præstet fides supplementum sensuum defectui, quod recolendum nobis est, quod alibi cantat Ecclesia, scilicet: Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides. Nam si hic panis Christi, ac hoc sacramentum, est mysterium fidei, idest, occultum, quod quia sola cernitur fide: Quid prodest sine fide sumi: quod sine fide non cernitur? Quod ergo sensu, & intellectu non capimus fide capiamus. *Genitori genitoq; Laus, & iubilatio: Salus, bonor, virtus quoq; Sit, & benedictio: Procedenti ab vtroq; Compar sit laudatio.* ¶ Hoc est, patri, filioq; sit latriæ cultus cum iubilo laudis, salus etiam, honor atq; virtus. Nam operatus est salutem in medio terræ. Ideo illis omnis honor, & gloria propter eius famosa facta, quia ipse est virtus, influens vitam gratiæ, & gloriæ. Sit, & benedictio, quia ipse est ipsa benedictio, qua benedicimur omnes in nomine eius. Procedenti etiam ab vtroq;, hoc est, Spiritui sancto, quem ab vtroq;

Antiquũ documentum quid.

Nouus ritus quid.

Legalia quando viua, quando mortua, & quando sepulta fuerint.

Sacramentũ Eucharistia est mysterium fidei.

Psal. 73.

hoc

hoc est, à patre, & filio, procedere confitemur, sit compar, idest, æqualis laudatio. Amen.

In Eodem Festo ad Matutinum Hymnus Vigesimussextus.

SAcris solennijs iuncta sint gaudia:
Et ex præcordis sonent præconia:
Recedant vetera, noua sint omnia
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur cœna nouissima:
Qua Christus creditur agnũ, & azima
Dedisse fratribus iuxta legitima
Priscis indulta patribus.
Post agnũ typicũ expletis epulis
Corpus Dominicum dedit discipulis:
Sic totum omnibus, quod totum singulis
Eius fatemur manibus.
Dedit fragilibus corporis ferculum:
Dedit & tristibus sanguinis poculum:
Dicens accipite quod trado vasculum
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit:
Cuius officiũ committi voluit
Solis præsbiteris, quibus sic congruit
Vt sumant, & dent cæteris.
Panis angelicus sit panis hominum:
Dat panis cælitus figuris terminum
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, seruus, & humilis.
Te trina deitas, vnaq; poscimus
Sic nos tu visita, sicut te colimus
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.
Amen.

SAncta mater Ecclesia: quæ hodie præ gaudio mirum in modum exultat, ac lætatur; quod panem verum à Christo sponso eius accepit: panem, inquam, vitæ, ac ipsum Christi corpus; nos inuitat, vt conuentum faciamus: ac cum lætitia in his sacris solennijs gaudeamus omnes: vt si iam in tristitia fuimus; hodie exultemus, ac satiemur ab vberibus angelici panis, sic nos per sanctum Thomam huius hymni hymnetem, & auctorem, excitans, ac dicens. *Sacris solennijs iuncta sint gaudia: Et ex præcordijs sonent præconia: Recedant vetera; noua sint omnia, Corda voces, & opera, &c.* ¶ In quibus omnibus duo fiunt principaliter. Nam primo rememo- *Author hymni huius Beatus Thomas.*

Hymni huius diuisio, & summa. memoratur sanctissimi Eucharistiæ sacramenti institutio. Secundo illa eadem altissimi illius mysterij communionis sanctæ (quod omni laude superius est) institutio, & excellentia claris extollitur laudibus. Secunda pars est ibi. Panis angelius, &c. ¶ Ad præmissorum quatuor carminum intelligentiam præmittendum est primo, quæ sint sacra solennia. Secundo videndum est, cur sacra ista solennia habere sibi adiuncta gaudia cupimus. Tertio aduertendum est, cur ex præcordijs nostris præconia, aut laudes, in Deum emanare petimus. Quarto considerandum est, quæ sint illa vetera, quæ recedere, ac in desuetudinem abire hic exigimus. Quinto, & vltimo est etiam ponendum, quæ noua apud nos esse, ac exerceri hic quærimus in vltimo versu. Ad primum propositum dicimus, quod *Solennia hoc loco quæ dicantur.* sacra solennia hoc in loco dicuntur, & intelliguntur potissimum anniuersaria festa solennia Natiuitatis Domini: Epiphaniæ: Paschæ: Assensionis Domini: & Pentecostes: quæ, vt alias diximus, *Cur sacra solēnia habere sibi adiuncta, gaudia hic à Deo petimus.* solennes sunt dies, ac sacra solennia anniuersaria festa. Quæ gaudia sibi adiuncta habere, ac secum gaudia ferre ideo hic desideramus, vt per eadem sacra anniuersaria festa solennia nobis dentur à Deo, ac impertiantur gaudia beata, scilicet, dona Spiritus sancti primo, & dona gloriç, & gaudia vitæ æternæ, visio, scilicet, diuinæ essentiæ, & indiuiduæ Trinitatis. Hæc enim supradicta sacra anniuersaria festa solemnia ideo per nos celebrantur: quoniam alias apportarunt, ac nunc etiam apportant huiusmodi prædicta gaudia: ideo hic petimus secum habere ea gaudia in sua eorum anni versione, quam singulis annis celebramus, quam secum habuerunt: quoniam primo omnium esse contigerunt, ac cælitus cæperunt. Vnde de gaudijs Natiuitatis Domini, quæ attulit secum Natiuitas eius- *Luc. 2.* dem Domini nostri Iesu Christi dicitur: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator mundi. De gaudijs vero apparitionis Domini nostri dicitur: Innouantur naturæ, Deus homo factus est, & in substantia nostræ mortalitatis apparuit: & noua nos immortalitate suæ lucis reparauit. Et iterum eo die in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit, vt saluaret nos, & Christo baptizato, aperti sunt nobis cæli. De gaudijs diei resurrectionis, & paschatis dicitur Deus per vnigenitum suum æternitatis nobis aditum hodierna die deuicta morte reserasse. De gaudijs & Ascensionis Domini, & Pente- *Psal. 70.* costes dicitur per Psaltem: Ascendisti in altum: cæpisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus, & alibi: Repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c. Hæc ergo supradicta sunt gaudia, quæ singulis annis prædicta sacra solennia festa secum, ac sibi adiuncta semper ad-

ferunt

ferunt nobis. Et ideo merito dicimus: Sacris solennijs iuncta sint etiam gaudia nostra, vt scilicet, semper prædicta solennia festa, adferant nobis gaudia supradicta. Vt ex præcordijs nostris, idest, ex cordibus nostris, gaudijs, & Spiritu sancto refertis, sonent præconia, idest, emanent, ac exeant in Deum laudes: vt grates præcordia nostra de talibus gaudijs, nobis à Deo per sacra solennia datis, & concessis; rependant debitas. Vetera vero, quæ hic recedere, & in desuetudinem abire volumus, credo esse intelligenda vetera sacrificia, oblationesq;, ac vetera holocausta. Recedant ergo vetera, idest, hircorum, taurorum, ac agnorum, & vitulorum holocausta, ac sacrificia, ac omnes multiformes oblationes, & immolationes, quæ omnia sunt, nisi fugura, & imago veri agni Christi, verçq; hostiæ succedentis in locum multiplicium hostiarum imperfectarum, & vmbratilium. Vel per vetera recedant, scilicet, antiqua festa, & tempora; quæ solummodo remittebant temporalia debita, ac opera seruilia, contractusq; seruitiorum. Et noua sint nobis omnia prædicta sacra solennia, & per consequens per eadem sacra solennia noua sint corda nostra, quæ fuerunt perdita per peccatum, idest, remittant nobis ista nunc tempora, & festa solennia, debita nostra, idest, peccata, nobisq; concedant Spiritus sancti libertatem pristinam, reditumq; in antiquam possessionem cælestis paradisi, ac regni æterni. Noua ergo sint nobis festa, noua sint corda nostra, peccato emundata, & per spiritum illustrata, Voces quoq; nostræ nouę sint, nouam Spiritus sancti missionem, ac gratiam eiusdem decantent. Noua sint item & opera non amplius seruilia, ac temporalia tantum, sed sancta, & spiritualia in Deum & pauperes. Amen. Recedant, inquam, vetera, hoc est, expoliet se quisq; nostrum veterem hominem, & induat nouum hominem & noua sint omnia cum nouo sacramento. Ecce enim. *Noctis recolitur cæna nouissima: Qua Christus creditur agnum, & azima Dedisse fratribus iuxta legitima Priscis indulta patribus.* ¶ Ad intelligentiam istorum verborum præmittendum est primo, cur hic dicitur cæna noctis. Secundo, cur dicitur nouissima cęna. Tertio videndum est, quid sit azima. Quarto quid legitima. Ad primum dicimus, quod recolitur, ac rememoratur, solennizaturq; noctis nouissima cæna: (de qua supradiximus:) & quæ circa noctem Paschę fuit celebrata, vel in ipsa Paschæ nocte, ideo dicitur cęna noctis: de qua Beatus ait Paulus: Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, &c. Amplius nouissima item dicitur cęna: quoniam fuit facta in nouissima vitæ Christi tempore. At azima, hoc est, panes azimos, idest, sinceros, purosq;, atq; pa-

Cur de cordib' nostris emanare laudes in Deum hic petimus.

Vetera quæ recedere petimus, quæ sint.

Alia expositio. Leuit. 23.

Noua quæ esse nostra & in nobis desideramus.

Cur cæna noctis hic appellatur sacramentũ Eucharistiæ.

Cæna prædicta cur nouissima nũcupatur

nes

Azima qd nes sine fermento. Hoc est, summatim ipsam Christi purissimam carnem sanctam, ac sine fermento peccati. Sed legitima dicuntur traditiones ipsius legis Mosaycæ, potissimum in his, quæ ad cæremonias, & ritus sacrificiorum pertinebant, & quæ vulgo legalia dici consueuerunt, de quibus in Leuitico dicitur, legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus vestris. Illa autem legitima de manducando agno paschali cum panibus azimis à Deo instituta: de quibus hic sermo habetur. Dicit ergo iuxta legitima priscis indulta patribus, idest, secundum traditiones, traditas, datasq; antiquis patribus, puta Moysi, Aaron, Filijsq; Israel. Itaq; *Post agnum typicum expletis epulis: Corpus Dominicum datum discipulis: Sic totum omnibus quod totum singulis Eius fatemur manibus.* ¶Post agnum ergo veteris testamenti esum, confitemur, quod suis Christus manibus corpus suum tradidit fratribus, idest, discipulis, & ipsis Apostolis, licet qui Christiani hodie appellantur, olim discipuli, ac fratres vocabantur, vt ex sancti Leonis sermone in cathedra sancti Petri elicitur, & aduertit etiam Guilelmus Durandus in suo rationali lib. secundo cap. 5.

Legitima quid.

Leuit. 23.

Leo.

Guil.

¶ Verum ad præmissorum quatuor versuum vberiorem intellectũ, notandum primo est, quis fuerit agnus typicus dictus hic ab Ecclesia. Secundo videndum est, quot sacrificiorum genera fuerint in lege veteri. Tertio videndum est, quomodo totum Christi corpus idem fuerit datum omnibus, & idem totum singulis. Ad primum respondemus, quod hic Ecclesia vocat agnum typicum illum agnũ paschalem, quem secundum legis Mosaycæ ritum, cum discipulis manducauit Dominus, antequam sacramentum sui sanctissimi corporis institueret, & dictus est typicus, idest, figuralis, (typos enim, siue typus, figuram, & imaginem significat præstantioris formæ) aut figuratitius; quoniam Deus agnum per Moysem, & populum, comedi iussit in figuram Iesu Christi, veri agni: cuius sanguine omnia primogenita sibi de mundo redemit, & (angelo in nocte illa omnia primogenita in Aegypto percutiente) populum suum seruauit agni sanguine prænotatum. Quæ ergo tanquam in imagine circa agnum illum fieri iussa sunt, in Christo tanquã veritate perfecte consummata, & completa, conspiciuntur. Ad secundum propositum dicimus, quod triplex erat genus sacrificiorum legis veteris. Vnum quidem, quod vocabatur holocaustum. Secundum vocabatur hostia pro peccato. Tertium vocabatur hostia pacifica. Primum vocabatur holocaustum, quasi totum incensum, quia totum comburebatur. Huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo ad honorem maiestatis ipsius, & amorem bonitatis ipsius, & congruebat

Agnus typicus qui vocetur.

Exod. 12.

Sacrificiorum genera legis veteris, quæ, & quot.

bat

bat perfectionis statui in impletione consiliorum; & ideo totum comburebatur. Vnde sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat: ita vt significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. Secundum sacrificium vocabatur hostia pro peccato: quia pro peccato offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati. Et conueniebat statui pœnitentium in satisfactionem peccatorum. Quod sacrificium diuidebatur in duas partes: vna pars comburebatur: alia cedebat in vsum sacerdotum ad significandum, quod expiatio peccatorum fit à Deo per ministerium sacerdotum: nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis: tunc enim totum comburebatur. Tertium vero sacrificium vocabatur hostia pacifica: quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium ex debito beneficijs acceptis, vel accipiendis. Et conuenit hoc sacrificium statui proficientium etiam in impletione mandatorum. & ista hostia diuidebatur in tres partes. Vna pars incendebatur ad honorem Dei; alia pars in vsum sacerdotum. Tertia pars in vsum offerentium: ad significandum, quod status hominis procedit à Deo, dirigentibus ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus; qui saluantur. Verum enimuero potissimum, verissimumq; est hoc sacrificium nostrum hodiernum, & nouæ legis euangelicæ; quo ipse Christus se ipsum obtulit in odorem suauitatis tum ex parte largitoris; tum ex parte muneris, tum ex parte vigoris, & valoris. Ex parte largitoris, quia inter omnia dona; quæ Deus humano generi, iam per peccatum lapso dedit; præcipuum est, quod dedit suum filium. Vnde dicit Ioannes. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, &c. Secundo hoc ipsum patet ex parte muneris, quia ipse fuit sacrificium verum; & non figura, sicut antiqua fuerunt. Tertio hoc idem patet ex parte vigoris, vel finis, quia sacerdos legis veteris easdem sępe offerebat hostias; quæ nunquam possunt auferre peccatum: Christus autem vnam pro peccatis obtulit in sempiternum, & propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in lege veteri: vt hoc vnũ quod est singulare,& pręcipuum omnium, quo Christus se ipsum obtulit, figuraretur tanquam perfectum per imperfecta. Ad tertium præmissum dicimus, quod aduertendum nobis est, quod Math. 26. Marc. 14. Luc. 2. & Paulus 1. Cor. 11. vno ore fatentur hoc idem, videlicet, quod Deus panem accepit, bene-

Nota.

Sacrificiũ nouum, verũ, & perfectum.

Nota.

Ioan. 3.

Totũ Christi corpus quomodo idem totũ & omnibus, & singulis sit datum.

dixit, fregit, deditq; proprijs manibus suis discipulis sic totum omnibus, quod totum singulis. Singuli enim duodecim discipulorum acceperunt totum Christi, ac integrum corpus: omnes tamen idem omnino Christi corpus, quod ab omnibus discipulis totum perceptum est. Vnde sacrosanctum Tridentinum Concilium anathematizat, qui negauerint in venerabili Eucharistiæ sacramento sub vnaquaq; specie, & sub singulis cuiusq; speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; & bene quidem. Quandoquidem Christus sic totus est in tota specie, quod est in qualibet parte eius, siue sit integra illa species, siue diuisa. Hinc per hoc non est ibi, vt circumscriptus, vel occupans locum, vel habens situm, vel perceptibilis per aliquem sensum corporeum. Exemplum huius habemus in speculo, quod si diuidatur in multas partes, in qualibet apparet imago, quæ prius apparebat in integro. Itemq; exemplum est in sermone, vel voce, quem, quamue quis multis recitat, illum quilibet auditor recipit, illamue totam. Vide quamuis sermo sit vnicus in proferente, totus tamen est in quolibet auditore. Vox enim multis coram astantibus à singulis quidem eorum plene, & integre auditur: ab omnibus tamen eadem omnino percipitur.

Sess. 13. Can. 3.

Exemplū.

Sermo. Nota.

Dedit fragilibus corporis ferculum: Dedit & tristibus sanguinis poculum. Dicens: accipite, quod trado vasculum: Omnes ex eo bibite. ¶ Ad præmissorum carminum intellectum notandum primo, quid hic per fragiles. Secundo quid per triste hic intelligatur. Et quidem per fragiles hic intellige ipsos Christi discipulos, qui solum præsentes erant cum institueretur primo hoc sacramentum, & hoc sacrum misterium, quiq; fragiles, idest, infirmi, & omnino inualidi erant contra terrores, & pericula. paulo etenim post, relicto Domino, cum caperetur à Iudæis, fugerunt omnes, & sic tunc verificatum fuit illud Zachariæ, scilicet. Percute pastorem, & dispergentur oues. Item tristes erant Apostoli, & prædicti discipuli Christi ob imminens malum, & graue discrimen, quod superuenturum audierant domino suo. Tristes ergo erant Apostoli de nece sui Domini ventura. Vel tristes dicit, quia multi ob ieiunium facti erant tristes. Vnde Albertus Magnus Math. 6. lib. 3. ait. Aliud est esse tristes: aliud est fieri tristes. Necesse est enim per longum ieiunium esse tristem, quia hoc est consequens naturæ destitutionem. Fieri autem tristes est effectus eius, quod est nos facere tristes per imposturas, cum non simus, quia quod fit, non est. *Et sic sacrificium istud instituit:*

Fragiles discipuli Christi cur dicantur.

Math. 26.

Apostoli cur tristes aliquando fuerint. Albertus Magnus.

Cuius

Cuius officium committi voluit Solis præsbiteris: quibus sic cõgruit: Vt sumant, & dent cæteris: ¶ De hac sacrificij institutione habemus Concilium Tridentinum, quod concordat, imo & solidat idem, quod dicit Vates hic præsentis hymni: nec non etiam, & roborat istud sacrificij officium, solis præsbiteris esse committendum, prout Christus voluit primo committi. Et hoc quidem non sine mysterio cẽsendum esse factum à Deo Domino nostro Iesu Christo. Etenim præsbiter dicitur, quasi alijs viuendi præbens beatum iter populo de exilio, videlicet, mundi ad patriam paradisi, præbet enim viaticum hoc Christianis, vt cum eo, & in fortitudine cibi huius in patriam pristinam redeant. Voluit etiam idem Dominus noster Iesus Christus, vt ijdem sacerdotes dent & cæteris, sibi primo sumentes, cum celebrant. Vnde id ipsum Concilium Tridentinum dicit. Si quis, inquit, dixerit non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit. Bene ergo dicit, solis præsbiteris. Solus siquidem sacerdos potest hoc sacramentum populo distribuere, & non laicus, vel diaconus, quod tripliciter probo auctoritate, nempe, similitudine, & ratione. Primo probo auctoritate Ecclesiæ, dicitur enim in cap. peruenit de cons. dis. secunda. Peruenit ad notitiam nostram, quod quidam præsbiteri laico, vel fæminæ corpus Christi tradunt deferendum infirmis. Ergo interdicit ibi Ecclesia, ne talis præsumptio vlterius fiat, sed præsbiteri per semet ipsos infirmos communicent. Secundo hoc idem probo similitudine, quia sicut in corpore naturali sunt quædam principalia mẽbra, per quæ virtutes, & operationes à principio vitæ ad cætera mẽbra decurrunt: ita etiã in corpore mystico, idest, in Ecclesia sacerdotes, & alij ministri sunt quasi principalia membra, quibus mediantibus sacramenta vitæ debent dispensari. Tertio hoc idem probo triplici ratione, prima talis est. Sacerdos in persona Christi cõsecrat hoc sacramentum, ipse autem Christus sicut consecrauit corpus suũ in cæna, ita etiam alijs sumendum dedit. Et ideo sicut ad sacerdotẽ pertinet consecratio corporis Christi, ita etiam ad eum pertinet dispensatio. Secunda ratio talis est. Sacerdos constituitur mediator inter Deum, & populum, vnde sicut ad eum pertinet vota populi, & dona Deo offerre: ita ad eũ pertinet dona sanctificata populo tradere. Tertia ratio est huiusmodi. Istud sacramentum propter ipsius reuerentiam à nulla re tangi debet, nisi sit consecrata: vnde corporale, & calix consecratur: similiter & manus sacerdotis vnctione sanctificantur, ad tangendũ. Et quia laicus hanc sanctificationẽ non habet: ideo hoc sacramentum dispensare laicus non potest. ¶ Ad hæc

Sess. 13. cap. 8.

Præsbiter vnde dicitur.

Sess. 13. Can. 10. & can. 7.

Sacerdos & non laicus est sacrosanctæ Eucharistiæ dispensator.

Nota.

aduerte hic, quod apud antiquos patres non vtiq; officij nomen erat presbiter, aut ministerij Ecclesiastici, sed ætatis, vt refert Anacletus. dis. 48. cap. porro, tantundem in græco significans, atque senior, & grandior æuo. Hodie tamen ita in vsu receptum est id nomen: vt sacerdotes significet eos, qui sacri altaris gerunt mysterium, conficiendiq; Eucharistiæ sacramenti habent officium. In qua quidem significatione quandoq; etiam in sacra scriptura accipitur, vt cum Apostolus ad Titum ait; quod constituere debeat presbiteros per ciuitates; & recte eodem nomine presbiteri vtrumq; signatur, nempe, & senilis ætas, & sacerdotium; quia deceat sacerdotes iam maturos esse ætate, & grandæuos; vt sint virtute consummatiores ad digne exequendum (quantum homini fas est) id altissimum munus altaris, atq; mysterij. Hoc etiam hic obseruandum est, quod sacramentum Eucharistiæ sacrificium esse etiam dicitur, inquantum offertur, sacramentum, vero inquantum sumitur. Item inquantum in eo repræsentatur Christi passio, qua obtulit se hostiam Deo, habet rationem sacrificij. Ephe. 5. Inquantum vero per ipsum traditur inuisibilis gratia sub visibili forma, habet rationem sacramenti. Quod quatuor modis sumitur, spiritualiter tantum, vt qui accipiunt rem sacramenti, idest, gratiam, & non ipsum sacramentum. de hoc sumendi modo dicit Augustinus: Crede, & manducasti. sacramentaliter tantum, vt communicans in peccato mortali. Spiritualiter, & sacramentaliter, vt qui accipit rem & sacramentum, vt communicantes in gratia. Neutro modo, vt qui nec rem, nec sacramentum accipiunt, vt heretici. *Panis angelicus fit panis hominum: Dat panis cælicus figuris terminum. O res mirabilis, manducat dominum Pauper, seruus, & humilis.* ¶ Ad premissos hos versus intelligendos notandum primo est, quid sit panis angelicus; & cur sic vocetur. & quid significet. Secundo videndum est, quæ nam sint figuræ, quibus panis prædictus cælicus dat terminum. Tertio aliquid de sacramenti Eucharistiæ laude in mediũ hic est afferendum. Ad primum dicimus, quod hic dicitur panis angelicus, siue panis angelorum: quoniam illo non quidem tecto velamine specierum, sed mundo, & aperto, tãquam inuisibili cibo, & indeficienti reficiuntur in regno cælorum spiritus angelorũ, ac omnino satiantur. Et ideo de manna, quod erat huius panis supersubstantialis, & supercælestis, symbolum, & indicium, dictũ est in psalmo 77. Panẽ angelorum manducauit homo. Hic est ergo panis, qui de cælo descendit. Hunc item panẽ significauit manna, quod patres nostri mãducauerunt in deserto Exod. 16. Hũc panẽ significat altare Dei.

Corpus Christi quatuor modis sumitur.

Panis angelicus cur sic vocetur.

Psal. 77.

Exod. 16.

Panis

Panis ergo iste cælicus dat figuris finem, & terminum. Et iste panis cælicus, idest, à cælo descendens, est Christi corpus, qui de cælo descendit. Vnde Ioannes, vbi supra ait. Panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Et nota, secundum Albertum Magnum, Math. 6. quod panis iste cælicus, & Eucharistiæ, origine cælestis est, substantia deificus est, causa viuificus est, sacramento vnitiuus est, effectu viaticus est: de primo Ioan. Ego sū panis viuus, qui de cælo descendi. Et psal. Panem cæli dedit eis. De secundo Ioan. 6. Qui manducat me, viuet propter me. De tertio idem Ioan. Si quis, inquit, manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. De quarto 1. Cor. 10. Vnus panis, multi sumus in Christo, quot quot ex vno pane participamus. De quinto dicitur 3. Regum 16. Surge, comede; grandis enim tibi restat via. De sexto Math. Non bibam, inquit, a modo de hoc genimine vitis, vsq; dum bibam illud nouum in regno meo. ¶ Cæterum figuræ, quibus iste panis cælicus dat terminum, esse videntur istæ: (quæ huius excellentissimi sacramenti figuratiuæ sunt, & typicæ, ac ex veteri testamento desu nptæ:) nempe, prima immolatio ipsius Isaac destinata, & proposita ab Abrahā patre suo, quæ typum gessit immolationis Iesu Christi in cruce à Deo patre nobis exhibitæ. Secunda immolatio agni paschalis, facta à populo Israelitico, Aegiptum egressuro. Et hæc etiam figura fuit oblationis ipsius Christi in cruce, cuius memoria potissimum per hoc recolitur mysterium. Tertia figura fuit manna, de cælo datum populo Israel quadraginta annis, scilicet, quamdiu demorati sunt in deserto; vt nobis dicitur Exod. 16. Hic demum ò homo, cogita; vt beati Chrysostomi verbis vtar, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neq; libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc ipso nos pascimur. O res mirabilis. Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor: (o res mirabilis) oues proprias pascit cruore? O res mirabilis, manducat dominum pauper, seruus, & humilis. *Te trina deitas vnaq; poscimus: Sic nos tu visita; sicut te colimus: Per tuas semitas duc nos, quo tendimus: Ad lucem, quam inhabitas. Amen.* ¶ Quasi dicat in hoc loco sancta Dei Ecclesia per Beatum Thomā, o trina, & in tribus personis vna, & simplex deitas: Tu scis, quod te Deum super omnia diligimus, & colimus. Vnde propter hanc nostram erga te dilectionem sic nos tu visita: conferendo nobis indulgentiam, gratiam, claritatem, castitatem, & humilitatem, atq; omnia gratiarum dona, vt in dies magis possimus te perfectius diligere, sicut te colimus. Et non solum fac nos, ò trina deitas, tuam san-

Albertus Magnus. *Ioan. 6.* *Psal. 77.* *3. Reg. 16.* *Math. 26.* *Quæ figuræ sint, quibus panis cælestis dat terminum.* *Genes. 22* *Exod. 12* *Exod. 16.* *Panis cælestis, & Eucharistiæ magna laus.*

ctam legem obseruare, & adimplere, & in dilectione Dei, & tui, ac etiam proximi nostri, stare, ac perseuerare; sed etiam per tuas semitas, idest, per legis tuæ præcepta, & per obseruationem consiliorum ipsius tuæ legis, & euangelij duc nos, quo tendimus, nempè, ad lucem; quam inhabitas, hoc est, ad temetipsum, qui es lux indeficiens, vt posimus in te gloriari, & tuis gaudijs in patria per gloriā frui. Amen. Et bene quidem hic petimus adduci ad lucem, quam inhabitat Christus dominus noster. Nam regnum nostrum non est, inquit Apostolus, de hoc mundo, sed ciuitatem aliam inquirimus futuram. Vnde bene ait quidam pater venerabilis quidem, qui duobus versibus Pauli verba comprehendit dicens. *Non hæc perpetuis in terra ducitur annis: Verum quæ patria est nostri, super astra locatur*. Nouissimo loco nota, quod hæc vltimi versus nostri hymni sententia excerpta est à Paulo ad Thimoteum scribens, ac dicens. Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.

Semita quid designat. *Heb. 3.* *Versus.*

In eodem Festo ad Laudes Hymnus vigesimusseptimus.

Verbum supernum prodiēs:
Nec patris linquēs dexteram
Ad opus suum exiens:
Venit ad vitæ vesperam.
In mortem à discipulo
Suis tradendus æmulis:
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit, & sanguinem
Vt duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in precium
Se regnans dat in præmium.
O salutaris hostia,
Quæ cæli pandis ostium:
Bella præmunt hostilia
Da robur, fer auxilium.
Vni, trinoq; domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis dones in patria. Amen.

Author huius hymni Beatus Thomas.

Sancta Mater Ecclesia, desiderans in quantum potest, & valet, in hac sacra corporis Christi solēnitate laudare, ac magnis præconijs commendare excellentiam huius sanctissimi sacramēti corporis Christi; continuat, ac sic pergens ait. *Verbum supernum prodiens: Nec patris linquens dexteram: Ad opus suum exiens:* *Venit*

Venit ad vitã vesperã. & reliqua. ¶ In quibus, & sequentibus etiam prædicta sancta Dei Ecclesia quatuor per Beatum Thomam, huius hymni hymnetem, & auctorem, facit. Primo enim narrat, quo tempore à patre filius Dei exierit, & in mundum venerit. Secundo describit huius sanctissimi sacramenti Eucharistiæ institutionem à Christo factam. Tertio declarat nobis, quanta eius humanitas, atq; suauitas in illo existat. Quarto piam ad ipsum sacramentum facit inuocationem, auxilium per idipsum petens. Secunda pars est ibi: *In mortem à discipulo, &c.* Tertia pars est ibi. *Quibus sub bina specie, &c.* Quarta est ibi. *O salutaris hostia. &c.* ¶ Ad premissorum ergo verborum intellectum notandum est primo, quomodo Christus hic dicitur esse verbum supernum. Secundo notandum, quando idem Dei filius prodierit in mundum. Tertio notandum an reliquerit patris dexteram, cum venit in mundum. Quarto quonam tempore ad opus suum exierit. Quinto notandum est, quid hic per vitæ vesperam accipere debemus. Ad primum propositum dicimus, quod hic Dei filius, ac Iesus Christus dicitur verbum supernum, idest, verbum patris in quantum ab æterno est dictum à patre, & est conceptus diffinitiuus, quo pater diffinit, & comprehendit se ipsum. Dicitur etiam verbum, per quod pater ex tempore dixit, & creauit omnia creata ad extra. Et hoc verbum patris, & hoc verbum supernum Dei tunc prodijsse, processisseq; ac se palam conspiciendum exhibuisse dicitur: quando humana indutum forma in terris visum est. Non tamen patris tunc liquit dexteram, idest, æqualitatem in essentia (est enim filius patri æqualis in essentia, & potentia) non deseruit. Mansit enim semper hoc sanctum verbum, & manet, secundum diuinitatem, intimum patri. Vnde ipse Christus per Ioannem 14. Philippo petenti sibi patrem ostendi, respondit: Nescis, inquit, quod ego in patre, & pater in me est. Porro idem Dei verbum exiuit ad opus suum: quando, secundum patris voluntatem, mundo euangelicam legem nunciauit, & salutem humani generis operatus est in medio terræ, secundum psaltem 73. Hac de causa apud Ioannem legitur, ad patrẽ Christum dixisse; Ego te clarificaui super terrã; opus consummaui, quod dedisti mihi. Est aut hoc verbum supernum illud verbũ, quod erat in principio apud Deum. Deinde idem verbum caro factũ est. Est & illud, de quo propheta ait. Misit Deus verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Et illud quoq; de quo Isaias fatur dicens, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Verbum, inquam, hoc supernum, & verbum vitæ, Dei filius, nempè, ad vitæ vesperam venit,

Hymni huius diuisio, & summa.

Iesus Christus dicitur verbũ patris, & quomodo.

Christus quando venerit in mũdum, & an patris dexteram liquerit.

Dextera quid.

Christus quo tempore venerit nobis prædicare voluntatem Dei.

Ioan. 17.

Ioan. 1.

Psal. 32.

Isai. 2.

Vita vesperæ quid designat. idest, in fine vitæ suæ. Non enim intelligas hic per vitæ vesperam, quando, scilicet, iam imminebat vesper mundi, & finis sextæ ætatis: quæ ætas futura erat vesper, defectus, & finis vitæ *Diluuium quale fuit* multorum hominum, forte non secus ac diluuium in secunda ætatæ fuit vesper, & finis vitæ eorum omnium, qui non ingressi erant arcam Noæ, sed per vesperam hic finem vitæ Christi intellige: siue finem, ac extremitatem tunc, quando iam propinqua erit hora, ab ipso iam præordinata, qua se ipsum traderet in mortem pro nostra redemptione: ita vt quando in mundo diuersabatur ab vno discipulorum, Iuda nuncupato, fuit traditus suis inuidis Iudæis, quod est, quo sequitur Ecclesia dicens. *In mortem à discipulo Suis tradendus æmulis: Prius in vitæ ferculo Se tradidit discipulis*. ¶ Si quæras hic, quis discipulus fuerit ille, qui *Discipulus tradens Christum quis fuit* tradidit Christum Dominum nostrum in mortem, omnia scripturarum loca hoc clare referunt, nempe, dicunt: Iudam proditorem fuisse: qui, vt ait Psaltes, *Psal. 40.* erat iam discipulus Christi, & homo vnanimis, & dux, & notus, qui secum dulces capiebat cibos, & nihilominus tradidit eum æmulis idest, inuisis Iudæis, vt crucifigerent eum. *Marc. 16.* Vnde Marcus ait. Et ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim antecedebant eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum: & hoc egit, vt signum daret de illo. Discipulus ergo ille fuit Iudas proditor. A quo moderni Iudæi dicuntur, cuius sunt imitatores, & successores in maledictione, & moribus, & non amplius dicuntur à Iuda, filio Iacob, & Patriarcha. *Iudæi nostri temporis à Iuda proditore dicuntur, & non à Iuda filio Iacob.* ¶ Antequam autem Dominus noster traderetur in mortem ab iam dicto discipulo, voluit se discipulis eius, idest, Apostolis in vitæ ferculo, idest, cibo, & alimonia spirituali, sub speciebus panis, & vini consecrati, tradere, & impartiri, & hominibus se communicare: *Vitæ ferculum quid signat* vt ostenderet, se non ita à sponsa sua Ecclesia, scilicet, abscedere, atq; ita per præsentiam corporalem, & temporalem excedere, vt saltem non remaneret per sacramentalem præsentiam, & ideo subdit hic beatus Thomas: *Quibus sub bina specie Carnem dedit, & sanguinem: Vt duplicis substantiæ Totum cibaret hominem*. ¶ Apparet ergo hic, Christum Dominum nostrum *Eucharistiæ sacramentum cur sub bina specie institutum sit.* communionis, & Eucharistiæ sacramentum sub bina specie, scilicet, panis, & vini, instituisse, vt totum hominem reficeret ac sanguinaret Sicut enim homo duplici componitur substantia, vt pote corpore, & anima, & ideo duobus pascitur pabulis, pane, nimirum, ad corpus substentandum, vino autem ad alendam animam. Anima siquidem (sicut legitur in leuit.) *Leuit. 17.* carnis in sanguine est, dicunt enim phisici, quod sedes animæ in sanguine existit. Et non solum hoc sanctissi-

mum

mum communionis sacramentum institutum est sub bina specie, vt insinuaretur esse integrum, & consummatum alimentum animæ: quia panis, & vinum, quæ pro cibo, & potu primum locum tenent; sunt perfecta corporis alimonia: verum etiam, vt memoria passionis Dominicæ expressius nobis in hoc mysterio repræsentetur: in qua eius sacrum corpus oblatum, & sanguis pro nobis effusus est. Memoriam enim, inquit Psaltes, fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: Escam dedit timentibus eum. *Psal. 110.* Nec non etiam, vt corporis mystici illa materialia signa nobis apertius indicent similitudinem: in corpore enim mystico multa membra, idest, multi Christi fideles ad vnum caput Christum, videlicet, inter se charitate coalescunt. Et sic quemadmodum ex multis granis tritici conficitur panis, & ex multis acinis, racemisq; vitis, confluit vinum: quæ duo, nempe, panis, & vinum requiruntur ad alendum totum hominem: ita caro, & sanguis Christi, vnum quidem corpus eius totam reficit animam: Vnde idem Christus. *Se nascens dedit socium: Conuescens in edulium: Se moriens in precium: Se regnans dat in præmium.* ¶ Ad intelligentiam præmissorum carminum notandum est primo, quomodo Christus se in socium fidelium dederit. Secundo, quomodo in edulium. Tertio, quomodo in precium. Quarto, quomodo, se dat in præmium iustorum. Ad primum suppositum dicimus, quod Christus Dominus noster conuersatus est cum hominibus post sumptam carnem, ac quasi socius quo ad humanitatem fuit in hoc mundo nobiscum. Vnde Baruch de eodem Domino nostro loquens. Post hæc, inquit, visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Christus quomodo se in sociũ hominum dederit. Baruch.* Præterea ad secundum respondemus, quod idem in extrema, ac maxima eius cæna, conuescens cum discipulis, seipsum in edulium, idest, in cibum, & potum, dedit, dicens: accipite, & manducate, hoc est corpus meum, ac in sanguinis sui traditione similiter dixit: Accipite, & bibite, hic enim est sanguis meus. *Quomodo se in edulium Christus nobis dederit. Math 26. Marc. 14. Luc. 22. 1.Cor. 11.* Hic namq; Christus noster, est fructus ille, qui in vtero virginali aliquando fuit: hocq; edulium est illud vitæ lignum, quod plantatum fuit in vtero virginali, & in medio Ecclesiæ, faciens fructus sacramentorum. O singularis, & admiranda liberalitas: vbi donator venit in donum, & datum idem est penitus cum datore: Quam larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis se ipsum. *Clem. 1. de reliqui, & ven. sanc.* Dedit igitur nobis se in pabulum, vt quia per cibum in mortem homo corruerat, vt per cibum ipse releuaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis: in isto pependit vitæ alimentum: illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanita-

tem:

tem: gustus sauciauit, & vnde mors subijt. Exinde vita euenit.

Christus quomodo se pro nobis in preciū dedit. ¶ In precium vero se Christus dedit, quando pro nobis passus est, & sanguinem suum pro nobis fudit. Etenim Christi passio, & sanguis eius nil aliud est, nisi quoddam precium infinitum, quo soluitur omne debitum. Vnde Augustinus super Psal. 21. dicit. Ecce Christus passus est, ecce mercator ostendit merces suas: ecce precium, *Passionis Christi diffinitio.* quod dedit: ecce sanguis eius fusus est, in sacco sui corporis ferebat precium, *August.* percussus est lancea, scissus est saccus, & manauit precium orbis terrarum: apertus est infernus, & emptum est cælum. *Nota.* Cum ergo passio Christi sit quoddam pelagus infinitum meritorum, & numisma immensi precij, quo cælum est emptum, & genus humanum redemptum, quo iniusta in cospectu Dei fiunt iusta, & diuina iustitia eius adæquatur misericordię, mitigans diuinam iram, satisfaciens diuinæ vindictæ, preciumq; maius omni debito: merito, inquam, dicit sancta mater Ecclesia hic in littera hymni: quod moriens in precium se dedit. *Christus quomodo se in premiū pro nobis dat.* Amplius se regnans dat etiam in præmium Christus, quoniam ipsemet Christus est cibus iustorum in hac Ecclesia per gratiam, & in alia per gloriam, & fruitionem. *Luc. 22.* Vnde ipse aliquando dixit nobis. Vado vobis parare regnum, &c. vt edatis, & bibatis mecum in mensa mea in regno patris mei. Se ergo regnans Christus dat in præmium, hoc est, in visionem, fruitionem, & tentionem vnius summi boni. Vel se dat in præmium, idest, in abundantiam bonorum gratiæ in præsenti Ecclesia, & in abundantiam ciborum fruitionis, & gloriæ in futuro. *O salutaris hostia, Quæ cæli pandis hostium: Bella premunt hostilia: Da robur, fer auxilium.* ¶ Aduertendum hic, quod hoc Eucharistiæ sacramentum, prædictumq; edulium dicitur hostia, in quantum continet Christum, qui Deo patri immolatus est in cruce: hostesq; deuicit, ac nos Deo patri reconciliauit: quia soluit obligationem contractam per peccatum originale, & actuale. *Eucharistia sacramentū hostia hic appellatur. & cur.* Dicitur etiam Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia nos fecit dignos gratia Dei patris, qui est vita ęterna. Aliquando autem dicitur viaticum, in quantum præbet nobis viam gradiendi ad beatitudinem, ac quia eo in huius vitæ peregrinatione substentamus. *Varia sacramenti Eucharistiæ nomina.* Aliquando vero dicitur communio, quia per ipsum communicamus, & vnimur Christo, ac etiam ad inuicem. Aliquando etiam dicitur sacrificium, inquantum est commemoratiuum passionis Christi, quæ fuit verum sacrificium.

Quando hæc hostia calū aperuit. ¶ Insuper hæc prædicta hostia dicitur hic cælum aperire, ac eius hostium pandere, quoniam Christus olim hostia in die suę ascensionis, quando ascendit ad cælos, hostium aperuit cæli. Vnde dixit ipsemet discipulis suis aliquando. *Math. 18. Marc. 16.* Data est mihi omnis potestas in

cælo,

cælo, & in terra. ¶ Cæterum per bella hostilia hic potissimum bella spiritualia intelligere possumus, quæ animæ nostræ sunt veluti hostes, qui nos quotidie molestant. Hinc est, quod canit alibi Ecclesia; Mundus, caro, & dæmonia, diuersa mouent prælia. Et contra hæc bella cum sacrosancta Eucharistia, in qua veraciter Dominus continetur fortis, & potens Dominus, Dominus potens in prælio, & Dominus virtutum, & Rex gloriæ, præcipuum munimentum, & præsidium sit, eo factum est, vt inuocemus hanc salutarem, ac sanctissimam hostiam, vt præstet nobis robur, ac auxilium contra omnia prælia, ac hostium tela. Possumus etiam hic intelligere bella corporalia, & hostiles acies aduersus nos surgentes: contra quas pium admodum, & religiosum est ad huius sanctissimi sacramenti auxilium, & adiutorium petendum per hanc orationem suppliciter confugere: quandoquidem ad improbos hostium conatus reprimendos laudabiliter in aliquibus locis institutum est, vt in eleuatione sanctissimi corporis, & sanguinis Christi in ipso altaris sacrificio decantetur à choro fidelium hic præsens versus, quod maxime conferre credimus ad placidam pacem, & tranquillitatem consequendam, & obtinendam. *Vni, trinoq; Domino sit sempiterna gloria: Qui vitam sine termino Nobis donet in patria.* Amen. ¶ Hoc est vni Deo: qui est vnus, & simplex substantia, & essentia: & trino, scilicet, in personis, sempiterna, & æterna sit gloria: Qui in patria cælesti, scilicet, ac in paradiso, vitam donet interminabilem, vitam, inquam, non animalem, sed spiritualem, non humanam, sed diuinam, non sicut somnum, sed sicut vigiliam. Animalis enim indiget, humana errat, & ea, quæ est somnus, est ligata, sed intellectualis diuina non dormitans, neque dormiens est. Vitam ergo donet nobis interminam, idest, illam diuinam, æternamque, & in somnis non existentem, sed liberam ab omni impedimento: illam, inquam, concedat nobis vitam, quæ est pura, firma, vera, alta, & dulcis: pura, vt non sit velata, firma, vt fluctuatione nulla sit mota vltra, alta vt in toto sit quieta, dulcis autem, vt sit placida. Amen.

Psal. 23.

Cur inuocamus in auxilium nostrũ hic hãc hostiã

Vita est multiplex.

In Transfiguratione Domini ad Vesperas Hymnus Vigesimusoctauus.

Qvicunq; Christũ quæritis:
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati:
Sublime, celsum, interminũ,
Antiquius cælo, & Chao.
Hic ille est Rex gentium,
Populiq; rex Iudaici:
Promissus Abrahæ patri,
Eiusq; in æuum semini.
Hunc & Prophetis testibus,
Iisdemq; signatoribus,
Testatur, & pater iubet
Ipsum audire, & credere.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuisti hodie
Cum patre, & sancto Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Mater omnium Ecclesia, vere Christi sponsa, sui sponsi conside-rans omnia mysteria, cum Mattheo Euangelista cognoscens, quod quemadmodum Christus Iesus assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, fratrem eius, eosq; in montem excelsum seorsum duxit, ac ibi ante eos transfiguratus est, atq; illis tanquam electis testibus claritatem suæ gloriæ demonstrauit: ita etiam quicumque Christum querentes inuenire, ac videre voluerint, necesse habebunt mentis suæ oculos in altum, idest, ad cælum tollere: in monte enim transfiguratus est Iesus, ad significandum nobis, quod suæ deitatis, & claritatis gloriam in cælis postmodum manifestaturus erat. Vnde vt hæc nobis omnibus constarent apertius, hymnum iam auditum canendum proposuit, sic (vt dictum est) incipiens: *Quicunq; Christum quæritis; Oculos in altum tollite: Illic licebit visere Signum perennis gloriæ.* &c. ¶ In quibus omnibus per Prudentium huius hymni authorem, præscribitur primo nobis modus, à sancta nostra Ecclesia quærendi Christum. Secundo describitur cuius nam populi Christus noster sit Rex. Tertio ponitur, quod pater omnipotens præcipit per prophetas, præfatum Christum nostrum, omnes gentes, illum prædicantem, ac docentem, audire debere. Secunda pars est ibi. Hic ille Rex, &c. Tertia est ibi. Hunc & Prophetis, &c. ¶ Ad intelligentiam ergo præmissorum quatuor versuum primo videndum est, quomodo quærendus est Christus. Secun-

Nota.

Hymni huius author sanct. Bernardus.

Hymni huius diuisio, & summa.

Secundo videndum quotuplex est altum. Ad primum dicimus, quod quicunq; vult Christum quærere, eiq; adhærere, & eum tenere; tria facienda sibi proponere debet. Primo non debet quis cupidus quærendi Christum inter consanguineos conuersari, sed potius ab eis discedere. Nam,& puer Iesus dimisit à se dilectissimam eius matrem, cum operibus patris intendere voluit. Ac etiam inter cognatos, & notos postea quæsitus inuentus non est, quia caro, & sanguis eum non reuelauit, nec inuenitur in carnali societate. Sed si vis, inquit, Eusebius in Homel. 2. fer. in don. passio. inuenire Iesum, vade ad templum, vade ad Ecclesiam: ibi sedet in medio doctorum; in conuentu Episcoporum, & præsbiterorum. Vnde & Bernardus: Puer Iesus, inquit, inter cognatos, & notos quæritur, nec inuenitur. Fuge fratres tuos & tu, si tuam vis inuenire salutem,& obliuiscere populum tuum,& domum patris tui, vt concupiscat Rex decorem tuum. Et iterum,ò Bone Iesu: si non inuentus es inter cognatos tuos: quomodo te inueniam inter meos. qualiter te inueniam in gaudio: quem vix mater tua dolens inuenit? Nec quæri, aut inueniri potest in comitatu multorum, quia non inuenitur in multiplicitate mundanorum: sed in intimo corde mentis: vbi Dei est templum. Beatus item Gregorius sic scriptum reliquit. Extra cognatos ergo quisq;, ac proximos debet fieri, si velit parenti omnium verius iungi: quatenus eosdem, quos propter Deum vtiliter negligit: tanto solidius diligat, quanto in eis affectum solubile copulæ carnalis ignorat. Scriptura itidem Deuteronomij ait. Qui dixerit patri suo, & matri suę: Nescio vos, & fratribus: Ignoro illos: & nescierunt filios suos: hei custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt: iudicia tua ò Iacob, & legem tuam, ò Israel. Secundo non miretur,qui spiritualiter viuit, si aliquando mente arida remanere videtur sibi,quod à Deo derelictus sit, cum hoc & matri Dei contigerit. Non ergo mente tabescat, sed per continuum exercitium in sacris meditationibus, & orationibus, ac bonis operibus persistendo diligenter,eum quærat, & eum, si sollicitus sit,reinueniet. Nam oportet eum, qui quærit Iesum, non negligenter, & solute transire, sicut multi quęrunt, & non inueniunt, sed cum labore, & dolore. Tertio non debet quis esse proprij sensus, vel propriæ voluntatis,sed videat sollicitus qualiter eum viuere velit, quid eum facere iusserit, qui illum fecit. Quęramus ergo, pręamandi fratres, omnes, Dominum, & confirmemur, quæramus semper faciem eius. Et vt hunc inuenire, & videre mereamur in cælis, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, quoniam non, nisi corpore casto in die resurrectionis

Christum quærere volenti tria sunt necessaria.
Luc. 2.
Math. 12.
Eusebius
Psal. 44.
Bernar.
Gregor. in lib. 1. moral. c. 12.
Deut. 33.
Nota.

nis

nis ad cælos subleuari, non nisi mundo corde gloriam valemus diuinæ maiestatis intueri. Itaq; tollamus nostros oculos in altum, non in valle, quoniam non in profundo huius sæculi, sed in regno supernæ beatitudinis quærenda est Dei gloria, vbi inueniemus, & videbimus in decore suo Christum: merebimurq; etiam (si iam terrena deserentes, & sublimia, cælestiaq; desiderantes mente in cælestibus habitemus) visere, & intueri, contemplariq; atq; speculari signum perennis gloriæ, idest, illam deitatis ineffabilem visionem, & gloriam Dei: sicut meriti sunt videre Archiapostolus Petrus, & Ioannes, & Iacobus, qui à Deo fuerunt assumpti, & ad felix illud sacrum signum, ac spectaculum Dominicæ transfigurationis admissi. ¶ Sed aduerte hic, quod altum secundum Albertum Magnum, est quadruplex, scilicet; Altum maris; Altum intelligentiæ spiritualis; Altum conuersationis, & Altum contemplationis. Altum maris, est altitudo sæcularis dignitatis, in qua sunt Reges, Duces, & Principes, qui se reti Petri debent inclinare. Isaias. 4. Gens, & Regnum, quod non seruient tibi, peribit. Altum intelligentiæ spiritualis, est altum sapientiæ, vbi in abditis habitant sapientes, qui philosophi vocantur, qui aliquando capti multa bona Ecclesiæ attulerunt, sicut Augustinus, Ambrosius, & alij. Tertium altum est conuersationis, in quo trahens rete Piscator, capit viros magnos virtutis honore. Est & altum contemplationis, quia quidam sunt, qui non desiderant, nisi contemplationis statum, & illum inuenientes in verbo Dei capiuntur. In hoc ergo quartum, & vltimum altum, præamandi fratres, debemus & nos oculos mentis nostræ tollere, & piscari in profundo, & alto diuinæ sapientiæ. In hoc enim alto, scilicet, Thabor; vbi transfiguratus cernitur Dominus, bonum est nos esse. Si ergo sæpe, fratres, in hoc altum oculos tollemus, tum quidem *Illustre quiddam cernimus: Quod nesciat finem pati. Sublime, celsum, interminum: Antiquius cœlo, & Chao.* ¶ Idest, præexcellentem illam Dei maiestatem, & gloriæ suæ claritatem, & diuinum illud cælestis gloriæ lumen: Creatum quidem lumen illud, quod Petrum, & Ioannem, & Iacobum clarissimo iubare circumfulsit, ac irradiauit, cernimus, ac videmus. Quod quidem illustre lumen nescit finem pati, est enim æternum huiusmodi illustre lumen, ac interminum, & immensum. Quod vtiq; est omni cœlo, ac etiam omni Chao, hoc est, omni illa materiali, & primordiali confusione; in quibus mundus continebatur, antiquius, ac senius. Dicit enim scriptura: In principio creauit Deus cælum, & terram. Si creauit hęc, ergo profecto antiquius, est illis creatis. Item Dauid sanctus ait: Priusquam montes fierent, aut formare-

Signum perennis gloriæ quid.

Albertus Magnus. Luc. cap. 5. Altum capitur quadrifariam.

Illustre qd' signat.

Chaos quid.

Ioan. 1.

formaretur terra, & orbis à sæculo, & vsq. in sęculum tu es Deus. *Psal. 89.*
Hic ille Rex est gentiū: Populiq; Rex Iudaici: Promissus Abrahæ patri: Eiusq; in æuum semini. ¶ Ad præsentium horum versuum intellectum videndum est primo: cur Christus hic primus Rex gentium appelletur, quam Iudæorum. secundo videndum est, vbi nā Abrahæ, ac semini eius fuerit Christus promissus à Domino Deo patre. Ad primum dicimus, quod Christus & gentium, populiq; Iudaici Rex hic ideo appellatur, ac esse dicitur: quoniam per Dauidem sanctum dixit pater olim ad eum, scilicet, Christum filium suum sic: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Apoc. etiam dicit; Dabo illi potestatem super gentes, & reges eas in virga ferrea. Et alibi. Et habet in vestimento, & in fæmore scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Est tamen aduertendum, quod Christus, quo ad carnem fuit ex Iudæorum cognatione, & ideo in propria venit, vt doceret cognatos, sed sui cognati eum non receperunt, immo sæpe contra ipsum ira repleti, eiecerunt eum multoties extra ciuitatem, ducentes eum ad mortem, vt præcipitarent eum. Iure ergo gentium nationes, vt suas vendicauit sibi. prius enim monuit eum pater, vt illas peteret, & pollicitus fuit petenti sibi eas traditurum. Fuit etiam iste Rex gentium, ac Iudęorum Abrahę promissus, ac semini eius, idest, posteris Abrahæ. Nam Deus primo ipsi Abrahæ in tertia ætate promisit suum filium saluatorem mūdi, cum dixit: suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum. Et tunc quia credidit Abraham saluatorem mundi futurum de suo semine secundum carnem, ideo reputatum est ei ad iustitiā, Genes. 15. Item promisit Deus filium suum Abrahę, quando dixit. Per memet ipsum iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me: multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, & in semine tuo benedicentur omnes gentes. In quibus verbis præuidit Abraham in spiritu, & credidit ipsum futurum ex sua generatione secundum carnem, in quo omnes gentes erant benedicendæ, & regenerandæ per fidem baptismalem, & fieri semen Abrahæ secundum repromissionem. Et præuidit etiam totum mysterium passionis Christi, scilicet, qualiter Christus erat crucifigendus in illo loco, & monte, vbi ipse immolauerat arietem. Et ideo apellauit nomen loci illius Dominus videbit. In Hæbreo autem habetur in loco Dominus videbitur: quasi dicat, quod Dominus Iesus Christus Deus, & homo videbitur crucifigi in loco, sicut in veritate completum est: quia in eodem loco crucifixus est Christus, vbi Abraham immolauit illum arietem.

Christus Rex gētiū, ac Iudæorū, & quomodo.

Psal. 2.

Apoc. 2. & 19.

Ioan. 1.

Vbi, & quādo fuit Christus Abrahæ promissus.

Genes. 15.

Genes. 22.

Nota

Deus posteris Abrahæ Christum promisit. Deinde Deus semini Abrahæ, idest, vt dictum est, posteris eius, & primo Isaac promisit Christum, deinde per singula sæcula, & singulas ætates alijs subsequentibus posteris, vt videbimus. In eadem ergo tertia ætate Deus ipsi Isaac promisit Christum. Genes. 27. Vnde quando Iacob venit ad Isaac coopertis manibus pellibus hædi simulans suum fratrem Esau, & petijt benedictionem, & osculatus est eum *Isaac.* Isaac, sentiens fragrantiam, & odorem vestimentorũ, benedicens eum dixit: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui dixit, cui benedixit Dominus &c. Tunc Isaac præuidit in spiritu qualiter filius Dei debebat fieri homo, & sumere carnem de genere Iacob, quia tunc sensit odorem, & fragrantiam vestimentorum humanitatis Christi, quę fuerunt merita passionis Christi, quibus genus humanum fuit recreatum. Item in eodem tertio sæculo *Iacob.* mundi Deus promisit ipsi Iacob Genes. 28. quando vidit scalam *Genes. 28.* stantem super terram, cuius summitas tangebat cælum, & angelos ascendentes per eam, & Dominum innixum scalę dicentem: Ego sum Deus Abrahã, & Isaac, vbi facta est ipsi repromissio de Christo futuro. Item iam clarius præuidit Iacob Christum incarnandum. *Genes. 32.* Genes. 32. quando luctatus est cum angelo in forma viri. Item clarius præuidit in spiritu, & prædixit Iacob mysterium incarnatio- *Genes. 49.* nis Christi, & per conuersionem gentium. Genes. 49. quando dixit, non auferetur sceptrum de Iuda: nec Dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Item *Moysi.* in quarta ætate promisit Deus Moysi Christum, quando Exod. 23. *Exod. 23.* dixit. Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo te nomine tuo. Et miserebor, cui voluero &c. Et ponã te in foramine petræ, & protegam te dextera mea, donec transeam, tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea, &c. Item clarius promisit Deum filium *Deut. 19.* suum in carnem, quando dixit. Deut. 19. Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tui, ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos quæcumq; dixero illi, &c. Item in quinta ætate, *Dauid.* & sæculo mundi Deus promisit ipsi Dauid ipsum Christum in car- *2. Reg. 7.* nem, quando dixit ipsi. 2. Reg. 7. Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsq; in sempiternum. Ego ero illi in pa- *Psal. 88. & 131.* trem, & ipse erit mihi in filium. Item hoc idem patet Psal. 88. & 131. Item in eadem ætate promisit Deus ipsi Esaiæ Christum di- *Esaia.* cens. Esaię. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabi- *Esai. 9.* tur nomen eius Emanuel &c. Item cap. 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super hume-

rum

rum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis Deus fortis princeps pacis, & pater futuri sæculi, &c. & hoc idem patet per totum discursum Esaiæ. Item Hierem. 31. Nouum creauit Deus super terram: Fœmina circundabit virum, &c. Item 32. Germinare faciam Dauid germen iustum, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, & saluabitur Iuda, & Hierusalem, & hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster, &c. Item Ezechiæ 36, cum sanctificatus fuero in vobis, effundam super super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, &c. In sexta autē ætate Dominus promisit Christum Danieli; dicens: septuaginta, Dan. 9 hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuā, vt consummetur præuaricatio, & finē accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & inducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Item in eadem sexta ætate promisit Deus ipsi Aggæo mittere filium suum in illud secundum templum, dicens. Aggæi 2. Adhuc modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria dicit Dominus: magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quam primæ. Item Zach. 2. lauda, & lætare filia Syon: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, & appellabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Item c. 9. Ecce Rex tuus venit iustus, & Saluator ipse pauper sedens super asinam, & super pullum filius asinæ. Item vltimo in eadem sexta ætate promisit Dominus Malachiæ Christum dicens. Malac. 3. Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Quæ quidem prophetia simul cum prophetia Aggæi fuit impleta, quando virgo Maria præsentauit Christum filium suum Simeoni in templo. Quia tunc suscepit Israel puerum suum; sicut Deus locutus fuerat ad patres nostros & promiserat ipsi Abraham, & semini eius successiue per sæcula, & ætates, vt dictum est, & sic patet quomodo, & quando promisit Deus Abrahe, & semini eius Christum Regem gentium, ac Iudæorum.

Hieremias. *Ezechias.* *Daniel.* *Aggæo.* *Zacharia.* *Zach. 9.* *Malachia.* *Luc. 2.*

Hunc & prophetis testibus: Iisdem.q; signatoribus Testatur, & iubet pater Ipsum audire, & credere. ¶ Iubet ergo pater per prophetas, testes multos, nec non per multos signatores, nos debere hunc Iudæorum, gentiumq; Regem audire, & credere; & hoc cum dixit. Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus noster de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis iuxta omnia, quæ locutus fuerit vobis, & iterum. Hic est filius meus dilectus, idest, mihi consubstantialis, in quo mihi benē cōplacui, ipsum audite. ¶ Ad cuius

Deut. 2. *Math. 17.*

indeficiens, quiq; Rex est gentium, Iudæorumq; immo Rex Regum, & Dominus Dominantium; quemq; & audire, & credere à patre eius præcipimur, & quem, si non audiemus, à libro delebimur vitæ, diluculo maxima cum humilitate ad ipsum iterum tãquam ad dulcissimum omnium amorem, nos accedere, atq; conuertere monet; vt sic illum vocemus, nempe: *Amor Iesu dulcissime: Quando cor nostrum visitas: Pellis mentis caliginem: Et nos reples dulcedine.* & infra. ¶ In quibus sancta Dei Ecclesia per Beatum Bernardum, hymni huius authorem ad Deum filium, qui est incomprehensa bonitas, qui est splendor paternæ gloriæ, quiq; dexteræ Dei est cõsors; orationem dirigit, vt amoris sui copiam, abundantiamq; præstet. ¶ Verum ad præmissorum quatuor carminum veriorem intellectũ videndum hic primo est, quomodo amor hic esse dicitur. Secundo quando cor nostrum visitare hic amor dicatur. Tertio videndum est, quando repleat nos dulcedine. Ad primum dicimus, quod hic amor Iesus dicitur, quoniam ipsemet Iesus est amor desiderabilis, qui semper desiderari debet, & amari. Vnde Ecclesiast. 7. In tota anima tua dilige eum, qui te fecit, quia hoc amore, & hoc ipso Iesu, temporalia spernimus, & spiritualia affectamus. Insuper Iesus dulcissimus hic esse dicitur: quoniam in aduentu Iesus Christus venit, dulcis, & rectus, & mansuetus. Vnde psal. 24. Dulcis, & rectus Dominus. Verum visitat cor nostrum dulcissimus Iesus Christus: cum secundum Beatum Ambrosium super Luc. 7. vnicuiq; electorum per administrationem Spiritus sancti, vel terrorem æterni supplicij, vel dulcedinem cælestis patriæ intrinsecus demonstrat, & quemadmodũ à morte animæ resurgere valeat, occulta inspiratione edocet. Visitat etiam cor nostrum Dominus noster, cum per internam verbi sui inspirationem ad amorem inuisibilium illud excitat, cunq; mentibus nostris ingerit, quanta sint, quæ nobis in cælo promissa sunt gaudia, quæ sunt incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, fœlicitas sine impedimento, securitas sine fastidio; vbi electorum omnium societas sancta, solennitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. ¶ Amplius Iesus dulcedine tunc nos quidẽ replet: cum manifesta resurrectionis, charitatisq; suæ, ac obedientiæ, & suæ excellentiæ dignitate, ac gloria, atq; visionis suæ gaudio, nos perfundit, ac replet, sicuti repletus fuit Petrus, qui præauditis incitatus reuelationibus mundana spernens, & terrena fastidiens in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis perfusus, ac repletus, ibi cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta gloria lætabatur: vnde dixit: Domine bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum:

Apoc. 21.
Hymni huius author Bernardus
Hymni huius diuisio, & summa.
Iesus quomodo hic amor esse dicitur.
Dulcis est Iesus.
Iesus quando dicatur visitare cor nostrũ.
Math. 17.
Math. 17.

MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS V. I. D.

IN OMNES FERME ECCLESIASTICOS HYMNOS BREVIS ELVCIDATIO.

Liber Quartus.

In Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ ad Vesperas Hymnus Primus.

VT queant laxis resonare fibris
Mira gestorũ famuli tuorũ,
Solue polluti labij reatum
Sancte Ioannes.
Nũcius celso veniẽs olympo (rũ
Te patri magnũ fore nascitu-
Nomẽ, & vitæ seriẽ gerendæ,
Ordine promit.
Ille promissi dubius superni (la
Perdidit prõpta modulosloque
Sed reformasti genitus perẽ-
Organa vocis, (ptæ
Ventris obstruso recubãs cubili
Sẽseras Regem thalamo ma-
nentem: (terq;
Hinc parcens nati meritis v-
Abdita pandit.
Gloria patri genitæq; proli
Et tibi cõpar vtriusq; semper
Spiritus almæ Deus vnus oĩ
Tempore sæcli. Amen.

Angeli; & ob hoc vsq; ad diem partus obmutuit, post hoc Elisabeth concepit, videlicet, in vigesimo quarto die mẽsis Septembris in sexta feria. ¶ Ad secundum dicimus. Cum Maria in Hierusalem in Ciuitate Iudæ, idest, in regnũ Iudæ, iret, oppidum, ac ipsam Zachariæ domum penetrauit, vt salutaret Elisabeth; & tunc, idest, in illis diebus Ioannes Baptista natus est in eo oppido, in quo dicitur tunc habitasse Zacharias. Oppidum vero Zachariæ quarto milliario, est vltra Hierusalem, sunt enim à Nazareth vsq; ad Hyerusalẽ triginta quatuor milliaria; & ad oppidum Zachariȩ quatuor, vel circa. Itaq; natiuitas eius fuit octauo calendas Iulij, idest, vigesimo quarto die mensis Iunij, & feria simili modo sexta. ¶ Tertium præterea aggredientes de eius vitæ austeritate dicimus; Math. 3. dicere, quod Ioannes Baptista habebat vestimentum de camelorum, zonam pelliceã circa lumbos suos, idest, asperam corrigiam de siccis, & crudis animalium pellibus factam. ¶ At domus eius antrũ fuit, & desertum, & sic se ipsum ad omnium patientiam durabat laborum: fluxa deliciarum cum diuitijs despiciens, atq; ad omnem sæuitiæ rigorẽ coarctans. Fuit etiam propheta omnium maximus, vt hic in littera hymni sequentis dicitur, qui in trigesimo anno cœpit prædicare. Exiuit enim de deserto, vbi pœnitentiam prædicare iam auspicatus fuerat, & venit in regionem circa Iordanem; vbi copia aquarum, & loca periculosa erant, baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ. ¶ Incarceratus vero, ac decollatus fuit per Herodem Antypam in tẽpore paschali anno 32. à natiuitate Domini, scilicet, anno præcedenti passionẽ Domini, propterea quod dicebat Herodi: Non licet tibi habere Herodiadem vxorem fratris tui. Decollatus autem fuit in castello quodam, quod Macheronta nominatur. Vltimo loco sepelierunt corpus eius discipuli eius in Ciuitate Samaria, quæ nunc Sebasta nuncupatur. Caput autem eius in Hierusalem est iuxta Herodis habitaculum: & vbi corpus sepultũ iacebat, multa Deus miracula operabatur, vbi multitudo Christianorum circũfluebat. Aduerte tamen, quod prædictpm caput sancti Ioannis Baptistæ reperitur, & est hodie Romæ in Ecclesia sancti Siluestri ad caput, monasterium conuertitarum, & dicitur Ecclesia sancti Siluestri ad caput ad differentiam aliarum Ecclesiarum; quæ Romæ sub hoc sunt nomine, vel quia in ea est prædictum caput. Quod à Grato Episcopo ab Hierusalem delatum Romã donatum fuit Beato Siluestro. Quod quidẽ sanctissimũ caput singulis annis bis, ac ter, quaterq; etiã monstratur, fidelibusq; ostenditur, ac exhibetur. De hoc vide legendã in iam dicta Ecclesia; quæ est prope altare maius dextrorsum, & in tabula lignea scripta. Positis iã supradictis, nunc textum hymni discu-

Ioãnis Baptistæ Natiuitas quo tẽpore contigerit.

Ioan. is Baptistæ vitæ austeritas.

Ioannes Baptista vbi fuerit decollatus.

Math. 14.

Caput Ioãnis Baptistæ vbi est hodie.

Caput prædictum Ioannis Baptistæ vbi hodie reperitur.

Legẽda de capite Ioãnis Baptistæ vbi sit.

Eccl. 15. tiamus. ¶ Aduertens ergo sancta Dei Ecclesia id, quod in Ecclesiastico legitur, nempe: Non esse speciosam in ore peccatoris laudem; Hinc factum est, vt quaterno primo versiculo peccata nostra, & præsertim, quæ in loquendo commisimus; dissolui relaxariq; & procul pelli, petat, vt sancti Ioannis laudes à nobis liberalioribus animi viribus, & organis personentur. *Fibriarum nomine qd.* Fibriarum nomine siquidem veniunt hic extremitas illa linguæ, & vincula eius, quibus ipsa gutturi alligatur: & ista duo si constricta fuerint, obstant quidem, & impediunt vocem libere formari, si vero fuerint enodata, solutaq; ac laxata; profecto emittendi vocem largius, & liberius facilitatē, & facultatem præstant. *Vires animæ quæ.* Simili modo si in anima nostra vires eius mens, videlicet, & voluntas peccatis, quasi habenis, & retinaculis quibusdam fuerint irretitæ, & illaqueatæ, tunc vtiq; ad recte Dei, ac sanctorum laudem depromendam, proferendamq; ac canendam, sunt indispositæ. Vlterius nota circa prædictum versiculum, quod Ecclesia sancta latenter videtur inferre velle, quod apud Isaiam 6. legimus: *Isai. 6.* Vt enim lamentabatur apud se Isaias; quod pollutus labijs esset; & in medio populi polluta labia habentis, inhabitaret, & ad eum volauit vnus de Seraphin; qui calculo de altari sublato, tetigit os eius, dicens: Ecce tetigi hoc labia tua, vt auferretur iniquitas tua; & peccatum tuum mundabitur, & fuit mundatus. Vnde bene canit Ecclesia, quando inter missarum solemnia dicit: Munda cor meum omnipotens Deus, qui labia Isaiæ prophetæ calculo mundasti ignito: ita nos videmur hic conqueri, quod labia nostra polluta sint. *Comparatio.* Iccirco sicut Angelus missus fuit ad purgandum Isaiam: ita per sanctissimum Ioannem Baptistam petimus quoq; nos mundari à vitijs, & peccatis commissis. Et bene per intercessionem Beati Ioannis petimus solui, ac purgari à reatu, culpaq; ac crimine, & ab omnibus deniq; peccatis, ore, vel labijs commissis, quoniam sanctus Ioannes Christum manifestauit, per quem gratia, & veritas facta est, & ideo gratia est. *Ioannes Baptista interpretatur Domini gratia.* Ioannes enim secundū Bedam in homel. Natiuitatis sancti eiusdem Ioannis, interpretatur Domini gratia. Bene ergo oramus eum, vt auxilio eius consequamur gratiam, & veniā de peccatis per labia commissis. *Hymni structura.* Dicit ergo hymni littera. O sancte Ioannes relaxa reatum oris nostri inquinati: Vbi reboare venis resolutis, ac apertis vocibus, mira, vel miracula gestorum, idest, factorū tuorum, valeant famuli tui. *Nuncius celso veniens olympo: Te patri magnum fore nasciturum: Nomen, & vitæ seriem gerendæ. Ordine promit.* ¶ Supra orationem fecimus ad sanctissimum Ioannem Baptistam, vt per suam intercessionem solueretur os nostrum ad eū laudandum. Nunc ad eius conceptionē enarrandam conscendimus.

Ad cuius intelligentiam si primum caput Lucæ adhibeamus: totam haud dubie litteram hymnicam recte cognoscemus: ait enim san- *Luc. 1.* ctus Lucas; quod Zachariæ patri, scilicet, Ioannis Baptistæ apparuit Angelus Gabriel, veniens è cælo empyreo, & igneo (olympus *Olympus* enim hoc loco non pro monte Macedoniæ multum sublimi sumitur: *quid.* sed pro cælo empyreo capitur hic) & stans à dextris altaris ait ad eum: O Zacharia, vxor tua Elisabeth pariet tibi filium; & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio magna. Et multi in natiuitate eius gaudebunt, erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet, idest, poculum, quod inebriare potest, bibiturus non est, quia non decet vas cælesti mancipatum gratiæ sæculi illecebris deseruire, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: reliqua tibi obseruanda relinquo apud præmemoratum sanctum Lucam. Dixit etiam Angelus Zachariæ, quod filio suo erit nomen Ioannes Baptista. Præterea series, idest, ordo, ac modus vitæ eius gerendæ erit, vt ciuium turnas fugiat, ac deuitet, & in terra deserta habitet, vt induatur pilis camelorum: vt cingatur corrigea pellicea, vt sit Propheta ma- *Vita quã* gnus: (de quo ait Dominus, nullus, inquit, inter natos mulierum *vixit Ioannes Baptista.* maior surrexit Ioanne Baptista:) vt Christum baptizet, vt demum decolletur, ac martyrio coronetur, multisq; refertus sit bonis, de quibus in sequentibus ijsdem hymnis dicitur diffuse. Sed hæc supradicta minime pater eius Zacharias credens, nec dictis Angeli idem fidem adhibens, ideo quid propter hanc eius incredulitatem accidat, audiamus. *Ille promissi dubius superni Perdidit promptæ modulos loquelæ: Sed reformasti genitus peremptæ Organa vocis.*

¶ Ad istorum item aliorum quatuor versuum intelligentiam primo videndum est, cur Zacharias amiserit affatum, secundo quid denotet; Zachariam factum esse mutum. Tertio notandum est, quid innuat os Zachariæ apertum fuisse. Ad primum dicimus, quod ideo Zacharias perdidit modum locutionis, idest, affatum, & articulatam prolationem promptæ loquelæ (amisit enim affatum, & ob *Zacharias quã ob causam affatũ amiserit.* mutuit vsq; ad diem partus eius filij Ioannis Baptistæ ob id, quod non adhibuit fidem dictis Angeli, dicentis: Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem) quoniam considerans suæ vxoris sterilitatem, & vtriusq; etiam senectutem, non credidit verbis Angeli. Vnde Angelus dixit ei: Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsq; in diem, quo hæc fiant, & pro eo, quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo: significans quidem, quod iam adueniente Christo lex, & Prophetæ tacerent. Hinc, & Crisostomus sanctus ait: Ideo, inquit, Zacharias sacer- *Crisost.*

dos Iudæorum obmutuit, quoniam cessare, & obmutescere oportebat sacrificia eorum, quæ pro peccatis populi offerebantur. Per hoc quoque, quod Zacharias dubitans factus est mutus, significatur, quod lingua dubitantis in fide facta est muta: quoniam eius oratio non est Deo placita, idest, accepta. Per hoc etiam, quod post reuelationem sibi factam obmutuit, innuitur, quod post reuelationem aliquam, vel visionem, debet homo reticere, quasi mutus. Itaq; natus Ioannes reformauit organa vocis, idest, reddidit patri suo Ioannes instrumenta, ac pristinos vocis peremptæ, ac perditæ vocis sermones. Vnde dicit Lucas: Cum in die octaua circumcideretur puer, vocabant eum nomine patris sui Zachariam, sed dicebat mater eius: nequaquam sed vocabitur Ioannes. Et Zacharias nomen filij indicaturus scripsit: Ioannes est nomen eius, & illico apertum est os eius. Et sic os, quod Angelus clauserat, promissus ab Angelo filius reserauit. Quod vero apertum est os Zachariæ & resoluta est eius lingua, significatur, quod linguam, quam vinxit incredulitas, soluit fides, quo facto etiam gratia noui testamenti reserata, & manifestata esse ostenditur. Vnde Beatus ait Ambrosius: Vide quam bonus Deus est, facilis indulgere, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille, scilicet, Zacharias dudum mutus prophetat: hæc est gratia Dei maxima, quod eum, quem negauerat, confitetur. Nemo ergo diffidat: nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. *Ventris obstruso recubans cubili Senseras Regem thalamo, manentem: Hinc parens nati meritis vterq; Abdita pandit.* ¶ Non solum Ioannes patri nascens restituit organa vocis: verum antequam in lucem ederetur, & dum in ventre matris suæ erat, sensit Christum, manentem in purissimo aluo matris suæ Mariæ Virginis. ¶ Ad cuius rei veriorem intellectum videndum est primo, quid per obstrusum cubile intelligamus. Secundo notandum est, quis fuerit ille Rex, quem Ioannes sensit in thalamo: & quid hic per thalamum sit accipiendum. Tertio differendum quid dictio; Hinc, hic sibi velit. Quarto aduertendum, quæ nam abdita patefecerint. Ad primum dicimus, quod per cubile obstrusum hic ventrem sanctæ Elisabeth matris Ioannis intelligere debemus, in quo erat, quando sensit regem Christum: qui est Rex Regum, Dominus Dominantium, qui Christus Rex noster tunc erat in thalamo, hoc est, in ventre Beatæ Mariæ Virginis, quando sanctam Elisabeth visitauit, quæ Ioannem Baptistam iam conceperat. Hinc ergo, idest, per hoc, & ex hoc sensu, & auditu, quo Ioannes meruit Regem Christum manentem in ven-

Zacharias cur factus sit mutus, quid significet.

Luc. 1.

Os Zachariæ mutum & postea meritis filij apertũ quid signet.
Ambrosius

Cubile obstrusũ quid signet.

Rex hic Christus intelligatur.

Thalamus quid designet.

Hinc, dictio. quid signet.

in ventre Beatæ Mariæ Virginis, matris suæ, sentire, & audire. Vterq; quoq, parens, scilicet, Elisabeth, & Zacharias, per merita istius filij sui nati abdita, & abscondita, & Dei arcana prophetico spiritu prophetauit,& prophetauerũt. In circuncisione si quidẽ eius filij totus Zacharias Spiritu sancto repletus prophetauit,dicẽs: Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit,& fecit redemptionem plebis suæ. Elisabeth autem cum à sacratissima Dei matre visitata, ac salutata esset, exultans, ac tota exhilarata, ac Spiritu sancto afflata,refertaq; amplexatur Virginem Mariam,ac præ gaudio, & lætitia, exclamat magna voce, dicens ad Mariam: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Itaq; intus latens filius docet, quod mater exterius agere debeat: spiritus enim infantis, non valentis clamare, nec loqui voce propria, fecit clamare matrem voce magna. Clamauit enim voce magna tum in signum magnæ affectionis, tum quia magna Dei dona cognouit, tum demum, quia illum in vtero tenebat, qui vox verbi erat. Dicit ergo hymni textus, & litera. Tu sancte Ioannes Baptista recubans,idest, intus in ventre matris tuæ latens, hoc est, existens in occulto,occlusoq;, ac tenebroso cubili, idest, tabernaculo, & in carcere ventris tui, senseras ex vtero, ac salutasti in vtero, Regem Christum in thalamo, idest, in vtero manentem. Et meritis, idest, propter merita nati filij vterque & Elisabeth, scilicet, & Zacharias, pandit, profertque Dei arcana.

Abdita quæ hic significentur. *Ioannes Baptista, est vox verbi Dei.* *Litera hymni constructio.*

In eadem Natiuitate ad Matutinum Hymnus Secundus.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuiũ turmas fugiens,petisti:
Ne leui saltem maculare vitã
Famine posses.
Præbuit hirtũ tegumen camelus
Artubus sacris strophium bidentes:
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.
Cæteri tantum cecinere vatum
Corde præsago iubar affuturum:
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.
Non fuit vasti spatiũ per orbis
Sanctior quisquam genitus Ioanne

Qui

Qui nefas ſæcli meruit lauan- / *(tem*
Tingere lymphis,
Gloria patri genitæq; proli.

Et tibi compar vtriuſq; ſem- / *per*
Spiritus alme Deus vnus om- / *(ni*
Tempore ſæcli. Amen.

IN præcedenti hymno tria per Dei Eccleſiam fuerunt enarrata, videlicet: Ioannis Baptiſtæ in primis è cælo conceptus nunciatus: exultatio deinde eius in vtero matris, vltimo linguæ paternæ reſeratio. Hic vero, hoc eſt, in præſenti hymno quatuor ſimiliter ab eadem Dei Eccleſia per eundem Petrum Diaconum, & præſentis etiam hymni factorem, dicuntur in laudem eiuſdem Ioannis, & primo deſcribitur locus: quem à teneris annis incoluit: abdidit enim ſe (cum cæpit quinquennium agere) in deſertum, & ait. *Antra deſerti teneris ſub annis: Ciuium turmas fugiens petiſti: Ne leui ſaltem maculare vitam Famine poſſes.* Secundo deſcribitur abſtinentia eius, & victus parſimonia, cum inquit pergens: *Cui latex, &c.* Tertio enarrat, quod fuit plus quam Propheta, dicens. *Cæteri tamen cecinere,* & infra. Quarto ponit, quod meruit Deum tingere aqua, cum finit. *Non fuit, & reliqua.* ¶ Ad primorum præmiſſorum quatuor carminum intelligentiam primo notandum eſt, vbi nam probatur Ioannem incoluiſſe terrā deſertam. Secundo videndum eſt, quanta fuerit ſcientia, & animi iudicium eius. Tertio reddenda eſt ratio, cur ille ſeceſſerit in deſertum. Quod autem Ioannes Baptiſta antra à teneris annis petierit, hoc dicit Lucas, & atteſtatur dicens: Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſq; ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael, & id profecto faciebat: vt hic hymni littera, & verſus eius tertius innuit: ne leui famine, ideſt, verbo otioſo, aut ſermone, aut locutione aliqua, vitam ſuam macularet, ſeu vitiaret, aut labefactaret ex conuictu, & quotidiana conuerſatione inter ſe, & populum: proinde ciuium turmas fugiebat. Legitur enim in Eccleſiaſtico: qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. & in Pſalmo: cum peruerſo peruerteris. O ſancte Ioannes: mirabilis quidem erat ſcientia tua. Tu enim ſciebas, quod Dominus præcepit Iſraelitis, ne cum gentibus inirent amicitias, ne eſſent ipſis in ruinam. Dicebat enim Dominus ad Moyſem. Caue tibi, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ tibi ſint in ruinam, ſed & aras eorum deſtrue, & confringe ſtatuas, lucoſq; ſuccide. Item tu ſciebas præceptum Domini extare, ne cum gentibus nuberent: nec vxorem (dicebat Dominus ad Moy- ſem)

Hymni huius author Petr' Diaconus.

Hymni huius diuiſio, & ſumma.

Ioannes Baptiſta à teneris annis cœpit incolere deſertum. *Luc. 1.*

Eccleſ. 13. *Pſal. 17.*

Scientia Ioānis mirabilis. *Exod. 34.*

sem) de filiabus eorum accipies filijs tuis, nec postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant Iudæos filios tuos. Bene item constabat tibi, ò sancte Ioannes, ob id virum Dei à leone occisum fuisse, quia cum falso Propheta ambulauit, & comedit. Nec te etiam præteribat dixisse Dominum populo Hæbræorum. Vinum tuum mixtum est aqua. Vnde sicut vinum aqua mixtum virtutem amittit: ita homo quamuis bonus sit, si cum malis ambulauerit, amittit sæpe virtutem, & sensim deficit deuotionis eius feruor. Vltimo ne Loth periret cum nefandis peccatoribus, egressus est eius ciuitatem, & positus est extra mœnia. Sciens ergo tu sancte Ioannes hæc omnia, te in cryptas abdidisti, vt animam tuam saluam faceres. Et non solum te recepisti in obscuram speluncam, vt non maculares vitam tuam, vt exurgentem intrinsecus forte strepitum terrenorum desideriorum premeres, & quoddam tibi cum Domino intra te secretum quæreres, ac deinde alijs prædicares, *Præbuit hirtum tegumen Camelus: Artubus sacris strophium bidentes: Cui latex haustum sociata pastum Mella locustis.* ¶ Ad istorum aliorum quatuor carminum intellectum videndum est primo, quid hirtum sit. Secundo quid strophium. Tertio quod bidens. Quarto quonam cibo vesceretur Ioannes, dum viuebat in deserto. Ad primum propositum dicimus, quod hirtum idem est, hirsutum, horridumq;, ac pilosum, & villosum. Dicit enim Matthęus de Ioanne. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Marcus vero ait; Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius. Habebat ergo hic sanctus circa artus, idest, membra corporis sui tegumen, idest, asperum vestimentum siue, cilicium, & tunicam de duris camelorum pilis contextam. Seruis enim Dei (vt c. clericus. dis. 41.) non conuenit habere vestimentum ad speciem, & ad decorem visionis, nec ad mollitiem, seu delectationem carnis, sed tantum ad nuditatis tegumentum. Vnde ille diues. Luc. 16. de quo in euangelico legitur, nullis alijs ex causis damnatus est, nisi, quia quotidie epulabatur splendide, & induebatur purpura, & bisso. Itaq; sicut Ioannes Baptista corrigiam circa lumbos suos, in quibus est sedes luxuriæ, habebat ad carnem, & luxuriam domandam, mortificandamq;, & sicut idem Ioannes eam crucifixit cum vitijs, & concupiscentijs, quod eorum esse proprium debet, qui sunt Iesu Christi, sic nos, qui & dij aliquando appellamur, Deo viuo, & vero capiti nostro membra nostra, pura, & munda, nec non & corda etiam sincerissima exhibere, ac præbere debemus: cum præsertim ad altaris sacrificium, & libamen accedimus. ¶ Ad secun-

Marginalia: 3. Reg. 13. — Nota. — Genes. 19. — Ratio cur Ioānes antra petierit. — Hirtum quid sit. — Matt. 3. — Marc. 1. — Seruis Dei non conuenit habere vestimentum ad speciē vel ad delectationem, & decorem, sed ad nuditatis tegumentum. — Psal. 81. — Gal. 5.

Strophium quid. secundum dicimus, quod strophium (omissis alijs eius significationibus) hic pro cingulo ac zona sumitur, quod corpus stringat, ac coerceat. ¶ Bidens vero hoc loco (quamquam alias instrumentum quoddam sit rusticorum bifurcatum propter duos dentes) est ouis, Bidens quid. à duobus dentibus, qui prominent, dicta, & cum quibus fertur nasci. ¶ At latex, idest, aqua intra terræ venas latens, præbuit eidem Ioanni haustum, idest, potum. Dicit enim Lucas, quod Ioannes Baptista, neq; vinum, neq; siceram bibit vnquam. ¶ Mella vero sociata, & admista locustis, præbuerunt ei pastum, idest, pabulum, alimentum, & cibum. Huic ergo sanctissimo viro fuit potus aqua, cibus autem fuit mel ex apibus in truncis arborum emissum, ac editum. Reperiebatur etiam mel, idest, succus quidam dulcissimus in cannamellis quibusdam, idest, in calamis, qui hic sæpe in vrbe venditantur: quod nomen ex canna, & melle componitur, quo sanctus Ioannes vescebatur. Vel vt, inquit Rabanus, mel istud, quo se cibabat Ioannes, sunt folia arborum alba, & tenera, quæ si manibus sunt contrita; habent saporem quasi mellis. Vescebatur idem Ioannes, locustis, idest, herbis, vel radicibus herbarum: Et quamuis locustæ sint etiam parua quædam animalia, per saltus volitantia, quæ reperiuntur in deserto Iudææ, immo & in nostris etiam partibus, & fricta cum oleo, sunt cibus pauperum in terra illa, vel potius communis cibus Iudæorum. Non tamen videtur, quod Ioannes locustarum carnes comederet, qui pane etiam vesci renuit, ne quod frixuris vsus sit, qui nihil coctum accepit: & ideo magis videtur probabile de radicibus, & herbis intelligi debere. Nolo tamen hoc loco omittere, quod dicit de hoc melle & locustis, venerabilis Beda, ait enim ipse sic: Locustas, & mel edebat Ioannes: quia dulce quidem sapiebat turbis prædicatio eius: æstimante populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de eo, ne forte ipse esset Christus: sed ocyus finem sortita intelligentibus eius auditoribus, quia non ipse Christus, sed præcursor, & Propheta esset Christi. In melle etenim dulcedo: in locustis alacer volatus, sed cito deciduus. *Cæteri tantum cecinere vates: Corde præsago, iubar affuturum: Tu quidem mundi scelus auferentem Indice prodis.* ¶ Quasi dicat: Quem cęteri vatum, idest, Prophetæ à longe prophetando solum prædixerant: Tu ex primo venturum prophetando significasti; & mox venientem ostendendo indice, monstrasti. Vnde etiam propter hoc merito plus quam propheta dictus es, ò sancte Ioannes. Deum enim præsentem digito demonstrasti, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hinc est, quod de illo dixit Deus: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista:

Margin notes: Latex quid. — Ioannis Baptistæ pastus qualis. — Mel quid. — Locustæ quid. — Beda in hom. Dom. ante Natalem Christi diem. — Ioannes Baptista digito Deū monstrauit. — Ioan. 1. — Matth. 11.

Baptistæ; quinimo putari potuit Christus, & noluit existimari: dicebant enim homines. Num forte hic est Christus? Ille autem respondit putantibus, & ait. Non sum Christus. si quidem quando *Ioan. 1.* homo (cui nomen erat Ioannes) missus fuit à Deo in mundum, venit tantum, vt testimonium perhiberet de lumine, & non erat ille lux vera. ¶ Verum ad clariorem præmissorum versuum intelligentiam videndum hic est primo, vnde vates dicatur, & quid significet. Secundo videndum est quid per iubar hic sit illigendum. Tertio notandum est quid per indicem hic signare voluit Vates. Quarto loco aliquid dicendum est de reliquijs sancti Ioannis Baptistæ. Ad primum dicimus, quod vates dicitur à vi mentis, & modo sacerdotem: modo poetam, & modo Prophetam significat, vt hic in litera huius hymni nunc videmus Propheta vatem accipi. Ad secundum dicimus, quod iubar hoc in loco Christus dicitur, quoniam ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, & quia est lumen de lumine: de quo iubare, & luce Dauid etiam ait: exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors, & miserator, & iustus. Ad tertium præsuppositum dicimus, quod per indicem hic digitum secundum manus sancti Ioannis Baptistæ intelligimus, cum enim Christum monstrasset, extendebat illum indicem, & dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et nota, quod Iulianus apostata post mortem Ioannis præcepit eiusdem Ioannis ossa per agros spargi, & comburi. Digitus tamen ille, quo Dominum monstrauit, non potuit vnquam comburi. Vnde factum est, vt voluntate Dei digitus incideret in manus eorũ fidelium hospitum, qui olim Rhodi, sed hodie Melitæ equites vocantur, qui diu ipsum in ea insula asseruauerunt, venerantes eum mirum in modum, postmodum asportauerunt ipsum in Melitem insulam: vbi hodie hi illustres equites degunt, & à qua dicti sunt Melitenses equites. Digitus autem prædictus sancti Ioannis Baptistæ est in Ecclesia sub eius nomine nuncupata. Et non solum digitus est ibi, verum & mentum eiusdem sancti Ioannis. Et nota, prout retulit mihi hic Romæ Magni Magistri Religionis illius Illustrissimæ Apochripharius, seu manus secretarius, & multi alij Domini equites, quod ibi fabricantur multi annuli, qui si missi fuerint in illum præmemoratum benedictum digitum sancti Ioannis, extracti postmodum ab illo, operantur multa bona: præsertim vt citius mulieres (si quæ illum in digitis manuum suarum habuerint) pariant filios. Præterea ibi etiam in prædicta Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ Melitæ est vnum brachium eiusdem sancti Ioannis. Sed alterum brachium Senis reperitur in Ecclesia cathedrali, quod ab

Alexan-

Vates vnde dicitur, & quid significet.

Iubar qd.

Ioan. 1.

Psal. 111.

Index quid.

Ioannes Baptista mõstrauit digito Christum.

Reliquia Ioannis Baptistæ vbi sint.

Alexandro Magno, alias Scander bego, Turcarum acerrimo hoste fuit à Bizantio, ideſt, à Conſtantinopoli, delatum, ab eo donatum Pio Papæ ſecundo de Piccolominęis: qui ipſe Senenſibus ſacerdotibus & dono dedit, & ſic hodie in prædicta reperitur Eccleſia. Ac reliqua corporis iſtius ſanctiſſimi viri Ioannis Baptiſtæ pars hodie reperitur in Genua, celeberrima profectò Ciuitate, nempe in cathedrali, & metropolitana Eccleſia, ſed in puluerem, & cinerem redacta eſt. Et dicitur illam à mercatoribus Genuenſibus illuc fuiſſe delatam. Et quoniam ex ſupradictis colligitur, ſanctum Ioannem Baptiſtam nunquam peccaſſe, & in bonitate eum perfectum fuiſſe: ideo ſubdit de eo ſancta Eccleſia ſic: *Non fuit vaſti ſpatium per orbis Sanctior quiſquam genitus Ioanne: Qui nefas ſacli meruit lauantem Tingere limphis.* ¶ Ad horum tandem huiuſmodi nouiſſimorum carminum intelligentiam præmittendum eſt, cur nemo ſanctior fuit ſic, vt Ioannes Baptiſta. Secundo videndum eſt, cur Chriſtus voluit baptizari. Tertio notandum, cur potius in flumine Iordane, quam in alio loco tingi à Ioanne voluit. Ad primum dicimus, quod ſanctus Ioannes eſt ſanctior omnibus hominibus vaſti orbis, ideſt, magni, ac totius orbis, quia fuit ſanctus in bonitate, & eo quod ſanctus nunquam peccauit, vnde perfectus erat homo. Nam & gratia eius tantum commendata eſt, vt Dominus de illo diceret: Inter natos mulierum non ſurrexit maior, ideſt, ſanctior Ioanne Baptiſta, loquens tamen Dominus de hominibus, ex complexu maritali genitis, ſeu natis. Per quod Chriſtus ex Virgine natus, & ipſa ſacratiſſima Virgo eius mater excipiuntur. Fuit autem tantæ ſanctitatis idem dictus Ioannes, vt præmitteretur, vt Dominum humilem baptizaret. Ad ſecundum; cur Chriſtus voluit à Ioanne baptizari, dicimus, quod Chriſtus, ſecundum Auguſtinum in ſerm. Natiuit. ſancti Ioannis Baptiſtæ, propter humilitatem, non propter iniquitatem voluit baptizari. Et inuento, inquit idem Auguſtinus, quare eſt natus, inuenies, quare ſit baptizatus. Ibi quippe inuenies humilitatis viam, quam pede ſuperbo non capis, quam niſi humili pede calcaueris, ad celſitudinem, quo ducit, peruenire non poteris. Studeamus ergo, præamandi fratres, humiliari, ſi volumus exaltari. Baptizatus eſt, inquam, Chriſtus propter te, qui deſcendit propter te. Vide quantus factus ſit tantillus: baptizauit enim creatura creatorem, lucerna ſolem, & non ſe exaltauit baptizator; ſed ſubdidit baptizando. Ad tertiam propoſitionem dicimus, quod Chriſtum Ioannes in Iordane ideo baptizauit, & non in alio loco, quoniam, vt ſcribit Albertus Magnus in Matth. 3. in Iordane figura baptiſmi præceſſerat in tranſitu filiorum Iſrael per

Ioannes Baptiſta quomodo ſanctior cæteris probatur.

Auguſt.

Chriſtus cur baptizari voluit

Cur in Iordane & nõ alibi baptizari voluit Chriſtus.

Ioſue. 3. & 4. Reg. 2

per vada Iordanis, & in diuisione, quando Elisæus diuisit aquas percutiendo eas pallio Eliæ,& quando Naam ad præceptum Elisæi lotus septies in Iordane, recepit sanitatem. Dicit ergo litera hymni,quod non fuit vllus sanctior Ioanne Baptista per spatium longi,& largi,ac ampli mundi, qui meruit tingere, hoc est, baptizare Christum,lauantem, idest,purgantem nefas,idest,peccatum sæcli huius, Idest, hominum mundi huius. *Nota.*

In eadem Natiuitate ad Laudes Hymnus Tertius.

O nimis fœlix,meritiq; celsi;
Nesciens labem niuei pudoris:
Prepotēs martyr,eremiq; cultor,
Maxime vatum.
Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis: duplicata quosdam:
Trina centena cumulata fructu
Te sacer ornant.
Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle;
Asperum planans iter, & reflexos
Dirige calles.
Vt pius mundi sator, & redemptor
Mentibus pulsa luuione puris
Rite dignetur venīēs sacratos
Ponere gressus.
Laudibus Ciues celebrāt superni
Te Deum simplex pariterq; trine:
Supplices,& nos veniam precamur
Parce redēptis.Amen.

ET quoniam (retenta superiori materia) ò sancte Ioannes meruisti linphis,idest,aquis fluuij Iordanis,tingere ac baptizare Christum: ideo te sanctiorē omnibus,te beatum,& te merito dignū celso vocare debemus,dicentes omnes cum nostra matre Ecclesia. *O nimis fœlix meritiq; celsi: Nesciens labem niuei pudoris: Prapotens martyr, eremiq; cultor, Maxime vatum.* & quę sequuntur. ¶ In quibus, & in sequentibus etiam, à sancta Dei Ecclesia per eundem Diaconum huius etiam hymni hymnetē sancti Ioannis Baptistæ celebratur virginitas,seu eiusdem virginitatis candor. Secundo enarratur tolerantia martyrij, seu decapitationis eius. Tertio vulgatur per cumulatum præmium centesimi fructus. Quarto deuotissima supplicatio demum ad eundem Ioannem Baptistam habetur vt à Deo nobis impetret gratiam in præsente vita, & gloriam in futura.

Author huius hymni Paul' Diaconus.

Hymni huius diuisio & summa.

futura. Amen. Secunda pars est ibi: præpotens martyr, & infra. Tertia est ibi. Serta ter denis, & infra. Quarta est ibi: Nunc potens nostri, &c. ¶ Ad primorū ergo huius præsentis hymni quatuor carminum veriorem elucidationem videndum est primo, quibus laudibus dignus sit sanctus Ioannes. Secundo videndum est, quid sibi velit dictio; nimis, posita in initio hymni. Tertio cognoscendum est, cur Ioannes Baptista præpotens martyr dicitur. Quarto videndum est, quid hic per vates intelligamus. Ad primum igitur dicimus hic cum vate de sancto Ioanne sic. O eremi cultor, ò maxime vatū, idest, ò maxime omnium prophetarum, ò præpotens martyr, nesciens quidem, ac omnino ignorans labem, hoc est, sordem peccati, omnium exors semper fuisti peccatorum. Vnde proinde es niuei quidem pudoris, & singularis castitatis, itemq; merti es celsi compos, ac particeps. O nimis fœlix: Iam enim te dignatus est æterna Deus fœlicitate in regno suo. Iam es, inquam, adeptus vitam æternā. O fœlix, dico: quia gloria, & honore coronatus es à Domino. Iam obtines præmium prædicationis tuæ. Iam in capite coronā geris martyrij. O fœlix, qui contempsisti vitam, ac delicias mundi. O fœlix, inquam, qui te elongasti, fugiens, & in solitudine manens inuenisti pennas, sicut columbæ, & modo requiescis: iam enim te in cęlum euexerunt.

Ioānis Baptistæ magna laus.

Psal. 54.

Quod vero ad secundū propositum dicimus, quod dictio, Nimis, hoc in loco sumitur pro valde, sicut in psalmo quadragesimo septimo: Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Et in psalmo centesimo trigesimo octauo. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Ad tertium vero propositū, nempe, cur Ioannes Baptista præpotens dicatur martyr: quoniam non secundum eum modum, quo cæteri martyres, ille subijt martyrium. Cæteri si quidem martyres passi sunt tormenta, atq; martyrium subiere post Christi passionem, quia mortem, quam Saluator eorum, ac etiam noster dignatus erat pro illis pati; hanc illi reddebant. Etenim (vt dicitur in c. in nonnullis, de Iudæis, & Sarac.) opprobrium illius dissimulare non debebant, qui probra sua, & nostra etiam deleuit. Atqui Ioannes Baptista non solum antequam Christus pro se moreretur, iniurias Dei dissimulare nequiuit, ac noluit; sed etiam prius voluit tolerare martyrium. Passus enim est martyrium anno præcedēte passionem Domini, idest, anno 32. à Natiuitate Domini. Fuit igitur decollatus (secundum Math. 14. & Mar. 6.) ab Herode, cum vno anno, & tribus mensibus prædicasset, & plurimos conuertisset. Et quia vno die prædicabat, & dicebat Herodi, qui fratri suo vxorem abstulerat, sibiq; copulauerat illicite: (cum secundū legem, quam acceperat non liceret sibi habere vxorem fratris sui, eo

Dictio Nimis. quid.

Psal. 47.

Ioannes Baptista cur potēs martyr dicatur.

Cap. in nōnullis de Iuda. & Sarac.

Ioannes Baptista quo anno passus sit martyrium.

viuente,

viuente, circuncisionem acceperat, vt magis Iudæis acceptus esset, & regnare super eos posset; ideo ad legem Moysis tenebatur in hoc sicut, & cæteri:) Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Tunc Herodes fecit eum sibi adduci, ligari, ac in carcerē detrudi, atq; etiam martyrij coronam (faciendo eum decollari) assequi. Hinc est, quod dicitur, Ioannes natus est decrescentibus diebus: Christus autem crescentibus: quia Ioannes minuitur capite: Christus vero in cruce exaltatur, ac extenditur. Vel secundum Bedam decreuit, ac minoratus est Ioannes, quia qui Christus existimabatur, quod nō Christus ipse, sed Christi præco esset; apparuit. Creuit quippe Dominus, quoniam per totum orbem fidelibus; quod Christus esset, qui propheta credebatur, innotuit. Vel (vt sentit August.) Ioannes natus est in tempore, quo incipiunt decrescere dies, vt humilietur homo. Eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies, vt exaltetur Deus. At nunc ad quartum accedentes propositum, nempe, quid hic per vates intelligimus, dicimus, quod per vates hic prophetam accipimus. Aliquando etiam vates non solum per prophetam, vt hic, & distinct. 26. cap: si quid veri, sed etiam pro quocumq; diuinatore sumitur: Vnde vaticinator, & vaticinium. Vates enim dicitur quasi vas theu, idest, Dei. Aliquando etiam capitur pro poeta, vt supra dictum est.

Beda in ho. s. Ioan. B.

August. in serm. H. s. I. B.

Vates qd.

Dist. 26. c. si quid veri.

Serta ter denis alios coronant: Aucta crementis dupplicata quosdam. Trina centeno cumulata fructu. Te sacer ornant. ¶ Ad quatuor horum versuum veriorem intelligentiam notandum primo est, qui nam sint illi homines, qui corona dignantur. Secundo videndum est, quid coronæ, seu mauis serta mystice hic designent. Tertio cognoscendum est, cui nam illi, qui dignantur corona, assimilentur. Ad primum ergo præmissum dicimus; quosdam homines in hoc mundo coniugatos esse; quosdam vero viduos, quosdam deniq; virgines. Hominibus coniugatis à sacris authoribus serta, ter denis aucta crementis, sunt assignata, quæ serta, seu coronæ, eos coronant. Viduis vero serta, duplicata ter denis crementis, sunt accommodata, seu data. Virginibus demum serta, trina cumulata cēteno fructu, sunt tradita; indultaq;, ac data; vt hic videmus dari, ac assignari virgini Ioanni Baptistæ. Itaq; serta ter denis aucta crementis, idest, triginta vicibus, aut triginta additamentis exaggerata, & ampliata, hæc sunt præmia illis præparata, qui fructum trigesimum bonorū operum hoc in mundo viuentes sunt assecuti, & illos quidem coronant, qui vitā coniugalem legitime, illabefacteq; egerunt. Duplicata vero serta; idest, bis ter denis incrementis, hoc est, sexaginta vicibus, aut additamētis, ac exaggerationibus; sunt cælestis præmij munera, ijs elargita, & concessa, qui vidualem integre, & incorrupte continentiā seruauerunt, serta

Hominum alij virgines, alij vidui, alij coniugati sunt.

Serta, sertaq; aucta, & triplicata, quid mistice intelligant.

deniq; trina, & centeno cumulata fructu, idest, simul centum vicibus, centumue adittamentis ampliata, conglobata, aut coaceruata; sunt illa cæli præmia; quę centesimum bonorum operum fructum (adeptis iam primis duobus, trigesimo videlicet, ac sexagesimo fructibus) sunt assecuta, & ista præmia hoc tertio loco posita, coronant, & ornant, qui cum mundanam vitam traducerent, virginalem amauerūt amare pudorem. Inter quos Beatissimus Ioannes Baptista coruscat splendore; qui quidem & virgo, & prędicator, & magister fuit. Pauci enim, inquit Gregorius, in cap. quia sanctitas. dis. 50. habent hoc priuilegium, vt triplicem habeant laureolam, sicut Ioannes Baptista. Vnde versus. Laureolā Virgo, Martyr, fideiq; magister, præter communem dicuntur habere coronā. De virginitate enim dicit Ambrosius. 32. q. 1. c. Nuptiæ) Nuptiæ replent terram, virginitas paradisum. Quæ autē, & quot priuilegia virginitas habeat docet Abbas in c. caussam. extra de probationibus. Etenim virginitas sola est potens Deo animas pręsentare: vt in Authen. de lenon. §. sancimus. col. 3. Vltimo loco ex præmissis collige tertium præsuppositum, nempè, quod primi homines, videlicet, coniugati sunt similes semini illi (de quo Luc. 8.) quod fructum trigesimum protulit. Secundi, vidui, nempe, sunt similes semini illi, quod sexagesimum fructum produxit. Tertij, idest, virgines sunt similes illi semini, quod centesimum fructificauit, & fecit fructum. Quare sic ordina modo literam. Serta, idest, coronæ triginta coronant alios, scilicet, coniunctos, seu coniuges, qui habent secum fidem Trinitatis sanctissimæ, & decem legis præcepta obseruant: At alia serta aucta, augumentata, & dupplicata crementis, idest, ad duplum crescētia, hoc est, in sexagesimum fructum quosdam coronant, videlicet, continentes. Trina vero serta cumulata, idest, aggregata ex ter triginta, aucta etiā per additionē denarij, scilicet, per decē, coronant te, ò sacer, & sancte Ioannes, qui es vere virgo, prædicator, fideiq; magister, ac martyr. Quoniā vero magna sunt apud Deū tua merita, & copiosa quidem, & eximia; ò sancte Ioānes; proinde: *Nunc potens nostri meritis opimis Pectoris duros lapides repelle: Asperum planans iter, & reflexos Dirige calles.* ¶ Ad istorū carminum intelligentiam notandū est primo, quæ & quanta fuerint merita Ioannis Baptistæ. Secūdo præmittēdū, quid hic per duros lapides accipere debeamus. Tertio dicendū est; quomodo verba Isaiæ, nempe: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, intelligantur. Ad primū breuiter dicimus, quod in Ioanne Baptista omnia meritorum genera inesse videntur, & meritū congrui, digni & cōdigni, vt ex ipsa hymnorū superiorū, & præsentis etiā litera, colligi potest. Triplex enim distinguitur meritū, scilicet, congrui, digni, & cōdigni.

Greg. dist. 50 c quia. *Ambr. 32. q. 1. c. nuptiæ.* *Abbas in cap. caussā de probat.* *Prædicta hominum generatria (?) em assimilentur.* *Litera cōstructio.* *Ioānis Baptistæ merita quæ & quot genera meritorum.*

Meritum

Meritum congrui est, per quod disponitur subiectum, vt possit recipere gratiam secundum rationem diuinæ iustitiæ: Vnde, & secundum hoc meritum possumus dicere, quod se disposuit ad gratiam recipiendam Maria Magdalena: de cuius merito infra dicemus: Per peccatricis meritum, peccati solue debitum. Ergo quanto magis sanctus Ioannes Baptista, qui dicitur ipsa met gratia? Meritum vero digni dicit idoneitatem operantis ad assequendum id, quod meretur. At meritum condigni dicit æqualitatem meriti ad remunerationem; dico autem æqualitatem non arithmeticam; sed geometricam, idest, non quantitatis, sed proportionis. Ad secundum dicimus, quod per duros lapides, hic cor lapideum, & durum, & ad intellectum Dei quasi insensibile; intelligere possumus, vel intelligamus incredulitates per duros lapides; vt non similes illis gentibus simus, quæ idola de lapidibus facta colebant. Vel per duros lapides; quos Ioannes Baptista digito demonstrauit, & ostendit filijs Iacob; qui duodecim erant, quos Iosue per duodecim duces tribuum Israel de medio, & fundo Iordanis in aridam transportari præcepit, qui etiam totidem in eodem alueo è terra reponi fecit; intelligere possumus. Per primos si quidem lapides ariditatem, & excæcationem Iudæorum significauit, ac figurauit Iosue. Per secundos vero fidem gentium per baptismum significauit. Vel per primos emersionem, & exitum gentium in luce fidei. Per secundos summersionem Iudæorum in infidelitate demonstrauit. Nos igitur hic petimus auferri à nobis illos duros lapides, ariditatem, videlicet, vel submersionem Iudæorum in infidelitate, & de duris, & peccatoribus, fieri deuotos, quod vtinam in me digneiur Deus ostendere, & in omnibus, qui volunt pie viuere in Christo. Amen. Quo vero ad tertium propositum dicimus, quod vbi ait Dei Ecclesia per Vatem: *Asperum planans iter; & reflexos Dirige calles*; idem Vates videtur hic alludere ad illud Isaiæ 40. & latenter inferre velle, quod etiam Lucas euangelizauit, nempe. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas, quę quidē verba exponens Beatus Gregorius dicit sic. Aspera in vias planas immutantur; cum immites, atq; iracundæ mentes per infusionem gratiæ, ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Et praua in directa fiunt; cum malorum corda, per iniustitiam detorta ad iustitiæ regulam diriguntur. Dicit ergo hymni historia: O sancte Ioannes Baptista; tuis opimis, & abundantibus, & magnificis, ac epulentissimis meritis nostri peccatoris, & cordis repelle duros lapides, & aufer à nobis cor lapideum, & durum, & ad intellectum Dei quasi insensibile; sed da nobis tu Deus cor carneum, & molle; sicut populo Israel per Ezechielem daturus

Lapides duri quid denotent.

Iosue 4.

Nota.

Isai. 40. Luc. 3.

Verba, & erunt praua in directa & aspera in vias planas quomodo intelligantur.

Ezech. 11.

In Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ad Vesperas Hymnus Quartus.

AVrea luce, & decore roseo:
Lux lucis omne perfudisti
saeculum (tyrio
Decorans caelos inclyto mar-
Hac sacra die, qua dat reis
veniam.
Ianitor caeli, doctor orbis pariter
Iudices saecli, vera mundi lu-
mina, (triumphans
Per crucem alter, alter ense
Vita senatũ laureati possidẽt.
O faelix Roma, quae tantorum
principum, (guine:
Es purpurata precioso san-
Non laude tua, sed ipsorum
meritis (tudinem.
Excellis omnem mũdi pulcri-
Sit trinitati sempiterna gloria
Honor, potestas, atq; iubilatio,
In vnitate cui manet imperiũ
Et nunc, & modo per aeterna
saecula. Amen.

SAncta mater Ecclesia, cum non nullas in honorem, ac memoriã Sancti Ioannis Baptistę persoluerit hucusq; laudes, ac pręconia; vertit se modo ad sanctorum Petri, & Pauli victorias cõcinnandas, qui mundum eorum sapientia, & doctrina, ac praedicatione, perfuderunt, atq; impleuerunt, & inquit: *Aurea luce, & decore roseo: Lux lucis omne perfudisti saeculum: Decorans caelos inclyto martyrio: Hac sacra die, qua reis dat veniam.* & infra. ¶ In quibus, ac in sequentibus per praedictam nostram matrem Ecclesiam, primo diuina laudatur bonitas; quod beatorum Apostolorum Petri, & Pauli gloria, ac splendore, totum terrarum orbem illustrauerit. Secundo ipsorum praeconia nunc simul, & coniunctim enarrantur. Tertio ob tantorum virorum splendorem, ac merita, faelicitas almae Vrbis, & excellentia, ac pulcritudo magnificatur, celebraturq; ac pręlicatur. Secunda pars est ibi. *Ianitor cali doctor orbis pariter.* &c. Tertia est ibi. *O faelix Roma, qua tantorum principum.* &c. ¶ Ad intelligentiam ergo praemissorum quatuor carminum notandum primo est; Christi Domini Apostolos (prout nullum fidelem praeterire hoc credo) legis, & euangeliorum maximos fuisse praedicatores; Paulum potissimum, nec non eorum etiam multos corona martyrij fuisse coronatos, Petrum maxime, & Paulum, qui vno tempore, vna eademq; die, & vno percussore in Vrbe Romana decimo Neronis imperij anno fuerunt occisi, Crucifixus Petrus, & Paulus decollatus, ac gloriosissima morte coronati, Pelagio dis. 21. c. quam-

Hymni huius author Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Apostoli fuerũt maximi pradicatores legis, & euãgeliorum.

Pelagius.

ctores, & sancti viri, & ex terra, qui sunt populi fideles. Vnde sicut sol influit, & immittit virtutem suam in cælos, & stellas, & cæli influunt in terram, & elementa; ita Christus influxit euangelicam doctrinam, & sacramenta in Apostolos, & Apostoli in populum, & hoc est, quod dicit hic Ecclesia, scilicet, quod lux lucis, idest, filius Dei, aurea luce, idest, doctrina euangelica, & Apostolica, immo ipsimet Apostoli, qui, vt supradictum est, dicuntur lux, perfudit sæculum, idest, mundi huius homines instruxit, ac erudijt, & eadem lux lucis decorauit cælos, idest, Apostolos coronauit, inclyto, ac glorioso martyrio. *Ianitor cæli doctor orbis pariter: Iudices sæcli, vera mundi lumina. Per crucem alter, alter ense triumphans: Vita senatum laureati possident.* ¶ Hoc loco per cæli ianitorem, seu ostiarum, Beatum Petrum Apostolum principem intelligimus. Nam Petrus, vt per Matth. 16. à Deo accepit claues regni cælorum, idest, iudicis potestatem. Sane Beatus Petrus accepit à Domino claues Regni cælorum, in vna si quidem Deus dedit ei scientiam discernendi inter peccatum, & peccatum: in altera vero dedit ei potestatem eijciendi aliquos ab Ecclesia, vel recipiendi, vt legitur apud doctores, & præsertim in dis. 20. c. decretales, & 34. q. 1. c. quodcunq;: quod cognosci potest, cum vadis ad sancti Petri templum: vbi, & in quo vides super altare suum eius simulacrum, duas habens claues: alteram quidem argenteam, auream vero alteram. Potest autem argentea clauis significare iurisditionem temporalem, quam Petrus exercebat in ouium, idest, fidelium sibi iam commissorum corpora. Aurea vero spiritualem dignitatem, ac iurisditionem, quod eam exerceat pro animabus fidelium. Hinc est, quod aurea clauis est altior, quam argentea. Vel dicamus, quod aurea clauis charitatem, & dilectionem significat: argentea vero scientiam, sapientiamq;, ac doctrinam, quas quidem virtutes debet habere quilibet prælatus, Papa, & Christi vicarius præsertim, qui ter Domino respondit interrogatus, an eum amet: Tu, inquit Petrus, scis: quia amo te, quo designatur charitas, & dilectio, atq; amor: Dixitque ei Christus ter: Pasce oues meas: quo sapientia, doctrina, eruditio, atq; institutio erga subditos suos signatur. Quod autem per aurum charitas designetur, & per argentum, scientia, patet expresse per sacrorum Ecclesiæ doctorum doctrinas, & in tali sensu accipitur in cap. legimus. dis. 36. & lib. moral. 34. cap. 7. Porrò quod Petrus, & Paulus, ac cæteri subsequenter Apostoli sint huius sæculi iudices, ipsemet Deus per Matth. 19. testatur dicens: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maie- statis

Nota.

Ianitor cæli quis.

Claues quid significet.

Clauis argentea clauis aurea.

Ioann. 21.

Aurū charitatem designat.

Argentum signat doctrinam.

Gregorius.

Apostoli iudices sunt mundi.

ſtatis ſuæ : ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et Paulus (cum ad Cor. 1. 6. ſcribit) ait : neſcitis, quoniam angelos iudicabimus. Quod item Apoſtoli vera mundi ſint lumina ex verbis Domini ſimiliter conſtat, quibus per
Math. 5. Matth. 5. dicit ad illos : Vos eſtis lux mundi,&c. Hinc eſt, quod vitæ ſenatum laureati poſſident, ideſt lauro coronati poſſident vitæ
Apoſtoli facti ſunt ſenatores regni cæleſtis. ſenatum, principatumq; vitæ æternæ. Adſcripti ſunt enim illi ſenatoribus regni cæleſtis, & facti ſunt aſſeſſores regni cæleſtis, vt ad inſtar ſenatorum temporalium, ac mundanorum, qui ſoli in ſenatu ſententiam dicere poſſunt (vt l. fin. ff. de ſenat.) ſententiam in die iudicij ipſi quoq; ferrent. Et ſicut à ſententia ſenatus, & à
Senatus quid. ſententia hodie non appellatur .l. 1. ff. à quibus appel. non licet, &
.L. fin. c. de pet. hered. cap. 1. de his, quæ à maior : ita nec à ſententia ſacri ſenatus cæli datur appellatio. Eſt autem ſenatus ipſorum ſenatorum cætus, conſenſuſq;. ſenatores vero ſunt illi centum viri, qui olim à Romu-
Senatores qui. lo ſunt inſtituti, quos ob honorem patres : ob ætatem ſenatores à ſenio appellauit. Ab his vero geniti dicti ſunt patritij. Deinde
Patritij qui ſint. Tarquinius Priſcus alios centum equeſtris ordinis adſcribi in ſena-
Patres conſcripti qui tores operam dedit ; patreſq; conſcripti tunc primum cœpti nominari, veluti in nouum ſenatum electi, atq; conſcripti. Et nota,
Senatum habet Eccleſia. quod Eccleſia habet ipſa quoq; ſenatum. 16. q. 1. c. Eccleſia. Cuius ſenatores ſunt Cardinales, qui Eccleſiæ ſunt (vt cap. myſterium
Senatores Eccleſiæ qui ſint. de officio Archiapoſtol.) cardines, atq; columnæ. Sed conſiſtorium proprie eſt locus, vbi ſedet Iudex ordinarius, in audiendo, vel iudicando, vt notatur in §. Ad hæc de appell. & infra in Authen.

Conſiſtorium quid ſit. ¶ Ceterum iſtorum duorum Apoſtolorum alter triumphat per crucem in cælis, ſcilicet Archiapoſtolus Petrus. Qui appoſite dicitur
Tribunal quid. crucifixus, capite in terram verſo, vt tanquam, qui à terra in cælum iter faceret cum Chriſto, qui omnes aſcendit cælos, vbi nunc ſedet ad dexteram patris triumphans, & regnans per omnia ſæcula ſæculorum, ipſe quoq; triumpharet, qui certe cum Chriſto triumphat. Nam Dominus petenti Petro, quo vadis Domine ? Reſpondit Romam iterum crucifigi : Petrus autem dixit ei: Domine reuertar, & ſequar te. Vnde & cum martyrio ſecutus ſit Dominum, & triumpho etiam ſecum dignum feciſſe cum Dominus creditur. Petrus namq; cum à Nerone in vincula coniectus, ſuadentibus Chriſtianis fratribus clanculum diſceſſiſſet liber à Cæſare, iam portam Vrbis (vbi hodie ſacellum quoddam paruum, ac rotundum cernitur, quod ibi ob huiuſmodi apparitionem, miraculum, ac viſionem, conſtructum eſt) egreſſurus, Chriſtum vidit ſibi occurrentem, & adorans eum, ait: Domine quo vadis ? cui reſpondit Dominus, vt

iam

sam dictum esse: Tum Petrus ad illum: Domine iterum crucifigeris? ait illi Dominus: Et iterum crucifigar. Petrus autem dixit ei: Domine reuertar, & sequar te, & iterum crucifigar, & his dictis Christus ascendit in cælum: quem Petrus sublatis in æthera luminibus dulcissimis lachrimis prosecutus est, ac in se ipsum reuersus intellexit hoc Domini verbum de sua dictum esse passione, & continuo versus cum gaudio in Vrbem, & carcerem, narrauit hæc fratribus: agonemq; suum gloriose compleuit, & Romæ (vt insinuauerat ei Dominus) crucifixus est, ibi, nempe, vbi hodie constructa est Ecclesia sancti Petri in Montorio: in qua adhuc etiam est de ligno crucis, in qua ipse crucifixus fuit. In ea etiam Ecclesia est de corporibus istorum duorum luminum, idest, Apostolorum Petri, & Pauli. Alter vero triumphat per ensem: quia Paulo gladio, & ense caput amputatum fuit. Vt sicut propter Christum patiebatur, etiam propter Christum triumpharet in cælis. Locus autem, vbi fuit decollatus sanctus Paulus multum distat à loco, vbi crucifixus est Beatus Petrus. Nam beatus Paulus extra Vrbem passus est, videlicet, prope Ecclesiam sanctorum Vincentij, & Anastasij, qui locus hodie appellatur vulgari sermone, le tre fontane: eo quod sanctissimum eius caput, postquam abscissum est, & ab eius corpore fuit seiunctum, tres fecit saltus super terram, per quos saltus statim generati sunt (miraculum magnum dico) tres exvberantissimi aquarum fontes: qui adhuc hodie cernuntur, suntq; ad huc hodie aquarum fontes refertissimi: quotidieq; ab hominibus fidelibus deuote visitantur: immo pauci sunt dies, quibus illos ego Michael Timotheus miser peccator, fidelis tamen, ac particeps omnium timentium Deum, cum illa humilitate, ac reuerentia, qua fieri à me potuit, reuisi. In Ecclesia vero prædictorum sanctorum Vincentij, & Anastasij circa altare maius ad cornu sinistrum est columna: super qua fuit decollatus beatus Paulus. Quoniam vero isti duo sancti Apostoli, & mundi lumina, vitæ senatum hodie possident: ideo: *O fælix Roma, quæ tantorum principum Es purpurata precioso sanguine: Excellis omnem mundi pulcritudinem: Non laude tua, sed sanctorum meritis.* ¶ Roma fælix primo est, quia purpurata, decorata, adornataq; est precioso sanguine sanctorum principum, videlicet, Petri, & Pauli. Color enim purpureus sanguineo colori propemodum vicinus est, & propinquus, & purpura martyrum est. Et sic fælix Roma facta est cruore istorum principum, scilicet, Apostolorum, qui principes populorum (secundum Psaltem) sunt super omnem terram, & rursum. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Nam Roma cum obtineret prius principa-

Petrus Archiapostol⁹ vbi fuerit crucifixus.

Reliquiæ quæ sint in Ecclesia sancti Petri in Montorio.

Paulus Apostol⁹ vbi decollatus fuit.

Caput beati Pauli postquam amputatũ fuit, fecit tres saltus.

Columna in qua decollat⁹ fuit beatus Paulus vbi sit.

Roma propter quid fælix appellatur.

Psal. 44 & 46.

cipa-

cipatum, & caput nationum, & superstitionis caput in ea prius esset. Nunc facta est caput sanctitatis, & pietatis, & vbi gentilium princeps, illic Ecclesiarum Principes morantur. Est, & fælix Roma ob id, quod lumen illud fidei nostræ, & oculus catholicæ Ecclesiæ, & tuba Spiritus sancti Paulus erga illam, dum ipse viueret, adeo fuit beneuolus, adeoq; illam adamauit, & coram disseruit, quod postremo apud eam finiuit vitam. Fælix, inquam, est Roma, quia tantorum virorum sanctissima corpora ipsa possidet, quibus illa modo honestata, insignita, illustrata esse facta apparet. Nam (vt iam præmisimus) duobus oculis, Petro nimirum, & Paulo, ornata. Medietas enim Apostolorum Petri, & Pauli est in Ecclesia sancti Petri in Vrbe. Altera vero medietas est in Ecclesia sancti Pauli extra Vrbem. At eorum capita Romæ sunt in Aula sancti Ioannis Lateranensis. De Romæ iterum fælicitate perpulcra scribit Angelus Pientinus à Corsiniano, qui inquit: Roma vsq; adeo digna est, atq; præclara, vt ciuitatum omnium Regina (vnde, & Vrbis nomine antonomasia quadam appellatur) orbis caput, & mundi domina: quippe quæ totius mundi diu potita fuerit imperio, immo perpulcra totius mundi Epithome censeatur. Omitto, inquit, quæ de diuitiarum omnium copia, de regionis amœnitate, de agrorum fertilitate, de Tiberis nauigatione, de maris propinquitate, deq; mira eius pulchritudine, dici possent, quæ non ab vltimis Hispaniarum, Galliarumq; finibus modo, sed etiam ab extremis mundi partibus homines ad sui contemplationem trahit. Præterea nulla potest in mundo ciuitas inueniri, in qua magis viguerit, florueritq; religio, quam Romæ, &c. Et paulo post inquit: Porro huius præstantioris religionis euidens signum est, maxima illa religiosorum, clericorumq; multitudo. Ibi enim tot, & tales inuenias sacerdotes, vt nullibi plures pios, & doctos sacerdotes inueniri non dubitanter affirmet: qui non magis verbo, quam exemplo doceant, & fulgentes, quasi splendor firmamenti ad iustitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Ad hæc pergit, dicens: Cum enim ex Hierosolimis, & ex quauis alia mundi regione pęne sacra omnia, quæ ad Christianam religionem attinent, Romam allata sint, nimirum Christi præsepium, in quo natus est, panni, inquibus inuolus; cunæ, in quibus iacuit, inconsutilis vestis, qua tegebatur, purpura, qua passionis tempore fuit indutus, columna, cui alligatus, flagris vapulauit, spinarum diadema, quo fuit coronatus; claui, quibus fuit confossus, lanceæ cuspis, qua sacrum eius pectus fuit vulneratum, pars crucis, qua fuit suspensus, nec non & titulus, quo cuiq; transeunti fuit proditus.

Apostolorũ medietas corporũ est in Ecclesia sãcti Petri. Altera est in Ecclesia sancti Pauli.

Nota.

Rursus

Rursus cum Romæ plura quiescant Apostolorum, martyrum, ac sanctarum virginum corpora; plures sanctorum reliquiæ, atq; basilicæ sint, quam alibi; nemo dubitare poterit, quin Roma sanctissima sit, & per consequens fælicissima. Hæc Angelus, & multo plura, & pulchriora dicit in tractatu suo omnium pulcherrimo de sacro Iubilæo. Itaq; cum Innocentio Papa Quarto cantemus, dicentes: Niteris incassum nauem submergere Petri: Fluctuat, & nunquam desinit esse ratis. Demum aduerte hic, quod Roma fælix appellatur ab Authore, & non fælicissima, vt appellari ab hominibus alijs authoribus solet, quoniam huiusmodi superlatiuum carmini eius aptum non fuisset. Quod autem Roma sæpius nuncupetur fælicissima, quam fælix, patet in Authen. de lenon. in principio, & de Tabell. in principio. §. nos autem credimus, & de Eccl. re. Immo. al. §. fin. Aliquando vero Roma florentissima, maxima: sacratissima: aliquando splendidissima, aliquando inclyta: aliquando æterna appellatur. De Roma vide multa notatu digna, in Authen. vt Eccles. Rom. cent. ann. ibi in principio. *Sit trinitati sempiterna gloria: Honor potestas, atq; iubilatio In vnitate, cui manet imperium Et nunc, & modo per æterna sæcula.* Amen.

Fœlicissimam cur nō appellauit hic Romam author.

¶ Ad intelligentiam istorum nouissimorum versuum videndum est primo, quod sit sancta Trinitas, & vnde dicatur. Secundo cur trinitati gloria sempiterna tribuatur. Tertio cur honor potestas, iubilatio, & imperium dentur. Ad primum dicimus, quod quoniam de sanctissima Trinitate supradictum est in hymno sextæ feriæ ad Matutinum, & etiam quotuplex sit: ideo require ibi. Et nihil aliud est Trinitas, nisi Deus, & vt credamus Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam deitatem, sub pari maiestate, idest, potentia, & sub pia Trinitate. Et dicitur Trinitas, quasi trium vnitas. Ideo etiam, scilicet, Trinitati gloria conuenit sempiterna; quia sicut Trinitas sempiterna est: ita etiam ab æterno illam in seipsa habet. In quantum infinite seipsa fruitur, & summe beatificatur. Præterea honor, potestas, atq; iubilatio, nec non & imperium vere ipsam sanctissimam decet Trinitatem: quia tria habuit, quæ illam reddebant dignam honore, potestate, & imperio. Primo enim fuit speciosa, idest, habuit sanctitatem vitæ; quia non fuit reprehensibilis in vita. Secundo fuit grata in loquendo, & docta, & sapiens, & alios non solum per vitam, sed etiam per doctrinam potuit trahere. Tertio fuit fortis, & potens in factis, & omnes fere venerati sunt eam, & timuerunt, & non solum in hoc sæculo, verum etiam per æterna sæcula imperium sibi debetur. idest, sine termino, sine fine, & sine susceptione, & per singula sæcula, status, ac ætates, & dies. Amen.

Trinitas quid & vnde dicatur

Trinitati cur gloria sempiterna tribuatur.

Trinitati honor, potestas, iubilatio, & imperium cur debeantur.

In

In Festo Sanctorum Petri & Pauli ad Laudes Hymnus Quintus.

Iam bone pastor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Resolue, tibi potestate tradita;
Qua cunctis cælũ verbo claudis, aperis.

Doctor egregie Paule mores instrue:
Et mente polum nos transferre satage:
Donec perfectum largiatur plenius.
Euacuato, quod ex parte gerimus.

Math. 16. & cor. 12. SAncta mater Ecclesia sciens cum Beato Matheo, quod Dominus noster Iesus Christus tradidit Petro claues regni cælorum, dicens ei: Et quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quocumq; solueris super terram, erit solutum & in cælis: & simul sciens cum Apostolo, quod ille idem in spiritu in tertium cælum, atq; in paradisum, raptus fuit: ideo in laudem eorundem Petri, & Pauli, ac honorem etiam ipsa hunc cantat hymnum, nempe: *Iam bone pastor Petre clemens accipe Vota precantum; & peccati vincula Resolue, tibi potestate tradita, Qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.* ¶ In quibus, ac in sequentibus primo precamur Petrum clauigerum, vt nostri peccati vincula soluat. Secundo Paulum (vt correctis erroribus, per eum, & eius salutarem doctrinam, nos sic bene instructos ad paradisum subuehere dignetur. Prima pars huius cantici patet in primis recitatis hic supra versibus. Secunda incipit in sequentibus alijs quatuor, nempe cum subdimus: Doctor egregie, &c. ¶ Ad intelligentiam igitur præmissorum versuum primo consideranda sunt singula verba primi versus, nempe, cur author posuerit in principio versus primi verbum, Iam: secundo Bone, tertio, Pastor, quarto Petre, quinto, clemens: quæ quidẽ verba non sunt hic posita absq; magna emphasi. Secundo videndum est, cur Christus tradiderit Petro claues Regni cælorum. Ad primum igitur dicimus, quod habentes respectum ad opera, per ipsum Archiapostolum facta, ac ad hunc diem, in quo canitur iste hymnus, prima vox, ac dictio: Iam, in principio

Hymni huius author Ecclesia. *Hymni huius diuisio, & summa.* *Author huius hymni cur in principio dixerit: Iam bone pastor &c.*

pio versus primi posita respicit tempus. Q. d. sancta mater Ecclesia ad suum pastorem Perrum: Non amplius pseudo Propheta, aut pseudo Apostolus: non amplius sathan: & filius Ioannis vocaris, aut reputaris: non amplius rusticus: non amplius obscurus in plebe dicens, sed hodie verus Propheta: verusq; Apostolus hodie manifeste appares, & videris: verum item Christi confessor hodie es: non amplius rusticus, & ignobilis, sed nobilis, & praeclarus Christi Vicarius hodie vere omnibus,& manifeste videris à Christo Domino constitutus, atq; re vera es: cui peculialiter cura Ecclesię Catholicae à Christo commissa est. Dedit enim tibi Dominus claues regni caelorum, & dixit tibi. Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in caelis, & quodcumq; solueris super terram, erit solutum, & in caelis. ¶ Bonus item es, ac diceris, ò Petre sancte, & hodie vere, vti es, cognosceris, qui nobis te communicasti, ac tua sancta doctrina nobis frugi vere fuisti: qui curam omnium nostrorum in humeris tuis à Christo suscepisti, qui docuisti nos in Christi Dei filium fideli confessione signari. Quam bonus fuisti, ò Petre: qui ea die, qua credentium numerum promissi sancti Spiritus repleuit aduentus, trium millium populum comunicatione tuae doctrinae, ac praedicatione concursum ad Deum lauacro baptismatis consecrasti, quiq; & Iudaeam ad fidem Christi conuertisti,& post te traxisti: quiq;, inquam, virum ex vtero matris suae claudum tua bonitate sanasti: & fecisti surgere & ambulare, tua demum humanitate, ac bonitate Aenaeam fecisti surgere, & stare, & Thabitham discipulam nomine, orans, à morte reuocasti. O vere igitur bonus es ò Petre. Vere, inquam, & pastor bonus diceris: qui post Christi ad caelos ascensionem remansisti suae sanctae Ecclesię institutor, sacramentorum administrator, pontificum ordinator: curatorum gubernator, fidei collapsae institutor, ac deniq; regni Christi incaepti restitutor. Nam & illud ipsum pollicitus es ter Domino. Caeterum bonusq; est pastor, qui, vt testatur Dominus, ponit animam suam pro ouibus suis, & ouium semper saluti inuigilat. vt fecit Christus, qui pro ouibus suis animam suam posuit, qui in sacramento nostro corpus suum, & sanguinem vertit, & oues idest, fideles, quos redemit, carnis suae alimento satiat. Vbi exhortantur praelati, vt oues suas ipsi quoq, alant, & pro illis animam suam ponant. Pascere enim illas debent instructionis verbo. 43. dis. c. Ephes. & 8. q. 1. audacter. Conuersationis exemplo. 11. q. 3: pręcipue. Eucharistiae sacramento. Temporali subsidio. 16. q. 1. Nulli Episcoporum. Etenim ordinatum Dominium, & recta praelatio, non ad proprium commodum, seu honorem, sed ad subditorum vtili-

Marginalia: Math. 16. — Math. 16. — Bonus est Petrus. — Act. 2. — Act. 3. — Act. 11. — C. Petrus. 23. q. 8. — Petrus bonus pastor. — Ioann. 21. — Ioan. 10. — Dis. 43. c. Ephes. c. audacter. 8. q. 1.

vtilitatem refertur: Idcirco prelationes, & dignitates, Ecclesiasticæ seruitutes vocantur: & ipsi, qui præsunt, seruos se veraciter reputant eorum, qui suæ gubernationi cõmissi sunt. Vnde, & Pontifex summus appellat se seruorum seruũ. Quare igitur exemplo Christi, ac Archiepostoli Petri tempore opportuno animam suam pro ouibus suis (Ioann. 12. teste) ponere debent. Quo circa qui Episcopatum 8. q. 1. bonum opus desiderat, hoc est, qui Episcopari, idest, præesse cupit, vt prosit, non vt præsit tantum, bonum opus desiderat: vt quod abiectum erat, reducat, quod perierat, requirat, quod confractum, alliget: quod infirmum, consolidet, & quod ægrotum, sanet, & sic ad instar Beati Petri, & Dei bonorum pastorum pascat oues suas. Si enim, inquit Deus, non annunciaueris eis, vt impius auertatur à via sua mala, & si in sua iniquitate moriatur; sanguinem, idest, animam eius, de manu tua requiram, quemadmodum enim fidelium, diligentium, ac exemplarium præsidentium copiosissima erit fælicitas, & præmium inæstimabiliter gloriosum: sic grauissima est negligentium, carnaliumq; pastorum damnatio. Pascat, inquam, & subsidio temporali. Quisquis enim (inquit Ambrosius dis. 86. c. secundo.) pascendo hominem seruare poteras, fame occidisti. Promptius similiter adiuuanda corporis debilitas. Melius est deniq;, vt ipse subuenias tuis, quibus est pudor ab alijs sumptum deposcere: non tamen, vt illi ditiores fieri velint ex eis, siquidem tanquam pauperibus dare debes secundum Abbatem: statutumq; est in Concil. Trident. Nota deniq;, quod melius subuenire pauperibus, quam Ecclesijs sumptuosis, vestibus & ornamentis, ornatis, & ideo dicimus, quod pauperum bona furantur, qui vltra sibi necessaria retinent: sola enim paupertas non facit quem ignobilem l. humilem c. de iniustis nupt. Deus enim permittit quandoq; aliquem esse pauperem, vt per patientiam coronetur: Et adde quod magis est credendum pauperi vni, quam vsurario diuiti, vel ei, qui male bona acquisiuit. Cynus in l. bonæ fidei c. de iureiuran. Petrus item sanctus vocatur ideo quia, vt fatur Ludolphus lib. 1. de confessione Petri, fuit firmus in fide sicut petra. Vel quia (& melius) petra à Christo dictus est, idest, confessor veræ petræ, qui est Christus, ac in fide fortis, & in doctrina stabilis, & merito propter fidei fortitudinem, ac fidelem fidei confessionem, hoc nomen Petri, ac sanctitatis accepit, quia in petram Christum, videlicet, credidit. Porro hic etiã Petrus clemens hic appellatur, & quidem suæ clementiæ sanctus Clemens testis est in suis (quos iussu eiusdem sancti Petri scripsit) recognitionum libris, quanta fuerit clementia erga Simonis sequaces. Amplius à Christo

Nota.

Ambros dis. 86. c.

De elec. in 6. c. fundamenta sess. 5. c. 1. Abbas in c. significasti de offic. ordin. C. aurum. c. gloria & c. mult. 12 q. 2. dis. 47. c. hospitaliũ & c. esurient hi. dis. 47.

Petr⁹ fuit in mundo sanctus.

Christ⁹ est petra vera

Petrus clemẽs esse dicitur.

C. Clem. is.

eisdem

eidem Petro claues regni cælorum traditas esse dicimus Deo, idest, principatum vicariç potestatis, vt quicunq; ab vnitate, & societate fidei secesserint; tales intelligant vinculis peccatorum nec absolui; nec ianuam regni cælestis posse ingredi. At cum nos, ò Petre, clemens; tales nonnunquam fuimus; ideo peccati vincula, idest, carnis concupiscentias, & oculorum, ac vitæ superbiam, ludos, risus, dissolutiones, oscula, amplexus, commessationes, potationes, lasciuosq; contactus, ac actus omnes; cupiditates, auaritias, & curiositates; quæ omnia ad oculos pertinent: item ambitionem sæcularem, desideria prælationis, appetitus excellentiæ, ac famæ, laudis, honoris, inordinatamq; reputationis affectionem ad superbiam vitæ nostræ pertinentem, quibus omnibus iã supradictis tanquam vinculis vincimur: resolue, inquam, & absolue, ò clemens Petre, potestate, authoritateq; tibi per Christum indulta, tradita, ac in te per eundem translata; quia tu verbo diuino, scilicet Christo Domino, te, ò Petre, quomodo debeas sententiam ferre, instruente, & tibi sententiã dictante; cunctis animantibus cælum aut claudis, aut aperis. Vel verbo, scilicet, tuo ò Petre ferente vel condemnatoriam, vel absolutoriam sententiam, cælum claudis, aut aperis: *Doctor egregie Paule mores instrue, Et mente polum nos transferre satage: Donec perfectum largiatur plenius: Euacuato quod ex parte gerimus.* ¶ Plane si quæritur hic, cur in alijs sanctorum, scilicet, martyrum, confessorumue, aut prophetarum, vel virginum, hymnis obticeantur prædictorum sanctorum nomina: nec quando cantatatur alicuius sancti prædicti hymnus; dicimus: O sancte Stephane; aut ò sancte Line; aut ò sancte Siluester; vel ò Sancte Martine, hic vero dicimus; O sancte Petre, & ò sancte Paule, & eorum nomina proferimus: respondemus, quod non sine causa sic nomine appellamus hos sanctissimos Apostolos: ò sancte Petre, & ò sancte Paule, & ratio potest esse, quoniam hoc à Christo Domino nostro didicimus, cum dixit: dicite discipulis eius, & Petro, &c. Cũ enim Petrus præexcellat ceteros: ideo fuit dignus speciali nomenclatura. Similiter cum ad Ananiam dixit: Vade quoniam vas electionis est mihi; vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Vnde de Christo intelligens ait Abachuc: Qui descẽdit super equos tuos, idest, Apostolos, per quos delatus, portatusq; ac prædicatus fuit vbiq; Christus. quoniam ergo omnis Christi actio, c. Euaristus 2.q. 1. &c. Deus est nostra instructio: iccirco eos proprio nomine nominauimus in hoc præsenti hymno: diximus enim supra O bone pastor Petre: hic itidem dicimus: O doctor egregie Paule. Delectus enim, vt diximus, à Christo ex aliorum numero ad prædicandum

Petro claues regni calorũ cur tradita sint à Christo.

Peccati vincula qua.

Verbũ hic quid importet.

Petri, & Pauli nomina cur in hymno exprimantur, aliorũ vero sanctorum nomina obticeantur.

Marc. 17.

Act. 6.

Abachuc. 3

Christi euangelium. Nam dum vixit ita nobiscum, plus alijs Apostolis laborauit in prędicando, ac fategit sua nos doctrina, ac omnes alios ad fidē, veritatemq; & ad Christi iustitiam conuertere; vt neq; tyrannorum timor, neq; sanna gentilium, aut scandalū Iudæorum ab huiusmodi sancto, salubriq; prædicationis officio subtrahere, vel parum deterrere potuerint. Quare, ò sancte Paulè, prædicator veritatis, & doctor gentium, quemadmodum tu raptus es spiritu in tertium cælum, atq; etiam in paradisum, & audisti ibi arcana Dei, quæ non licet homini loqui; & sicut fuisti diligens circa nostrā (in hoc mundo) salutem, sic satage, elabora, atq; effice cum effectu, vt nos famulos tuos animo in cælum extollas, atq; euehas; facq; nos mente cælestia desiderare, donec plenius perfectum tribuatur nobis in futuro, euacuato penitus, & dimisso, quod ex parte gerimus, idest, eliminata mortalitate, quam in hoc mortali corpore gerimus, vt in futuro gloriemur plenius, & perfectius, vtq; incorrupti summo perfruamur bono. Amen. Ex supradictis colligimus supradicta verba respondere illi Beati Pauli sententiæ, qua dicit idem Paulus, ex parte inquit, cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum au-
1. Cor. 13. tem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Nunc cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscam, sicut cognitus sum. *Sit trinitati salus indiuidua, Honor, potestas, atq; iubilatio, In unitate cui manet imperium: Ex nunc, & modo per æterna sæcula. Amen.* ¶ Ex sanctissima ergo Trinitate sit nobis miseris peccatoribibus salus indiuidua, & inseparabilis; quia ab indiuidua, & sancta Trinitate (quæ est vnus Deus) & gentium salus, prouenit, & emanatur indiuidua salus. Sed honor, atq; iubilatio sit trinitati, idest, tribus personis in vnitate, idest, in vno Deo existentibus: cui,
Trinitati cur sit imperium. inquam, sancte Trinitati ab exordio mundi etiam in præsenti per omnia sequentia sæcula manet, & est imperium; quia cælo, terræq;
Imperium Babil. Persa. Med. & Rom. quando cessauit. & mari imperat. Nam aduenientę Christo cessauit imperium Babilonis: cessauit imperium Persarum, & Mædorum: cessauit Græcorum: cessauit imperium Romanorum, & omne imperium cæpit esse Christi. Ipse enim est lapis, abscissus de monte sine manibus
Nota. complectentium, qui tantum creuit, vt mons fieret magnus, & im-
Daniel. 2. pleret vniuersam faciem terræ, cuiusq; regnum, & imperium non dissipabitur.

In

In Festo Cathedræ Sancti Petri ad Vesperas Hymnus Sextus.

Quodcunq; vinclis super terram strinxeris: (ter.
Erit in astris religatũ fortiter
Et quod resoluis in terris arbitrio: (dium
Erit solutum super cæli radium
In fine mundi iudex eris sæculi.

Gloria Deo per immensa sæcula
Sit tibi nate decus, & imperium
Honor, potestas, sanctoq; Spiritui.
Sit trinitati salus indiuidua
Per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CHristus Dominus noster, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur; qui non venit soluere legem; sed adimplere: volens in remedium schismatis, & ad tollenda omnia schismata, summum constituere in mundo Pontificem; sicut & Aaron primum in lege veteri vnxit in pontificem; ad se Petrum archiapostolum vocauit: cui primo omnium Pontificum sedem Apostolicã tradidit, vt eam ipse moderaretur post eius ad cęlos ascensionem: & bene quidem fecit Christus, tradens illam Petro; cognouit enim Deus, quod ipse iam populos, qui ex circuncisione crediderant, erudierat, quod etiam Antiochenam Ecclesiam; vbi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundauerat; quodq; iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, ac Bithiniam, legibus euangelicæ prædicationis impleuerat, cognouitq; demum, illum ab omni macula esse omnino purgatum. Nam respondens Christo ter: Tu scis, quia amo te, hac trina eius confessione vinculis, quę illum ter negando ligauerant, tunc absolutus est: in hoc enim, quod ter negauit, & ter confessus est, se amare, significat, quod secundum quantitatem delicti satisfecerat ipse Petrus. Cum itaq; eius solertiam circa erudiendas plebes, ac erga propriam salutem bene agnouerit Christus; merito dixit ei Iesus: Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus, qui in cælis est, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cęlorum. *Quodcunq; vinclis super terram strinxeris, Erit in astris religatum fortiter. Et quod resoluis in ter-*

Math. 5.
Exod. 28. & 32.
Ioan. 21.
Petrũ negare ter, & ter confiteri quid sit.

Hymni huius author Ecclesia. ris arbitrio: *Erit solutum super cæli radium.* & infra. ¶ In quibus videmus, Christum illum posuisse Pontificem in cathedra: in qua sedit vigintiquinq; annos, pascens semper, prout ei dixerat
Hymni huius summa quæ. Christus; oues eius, ac credentes Christo, ne à fide deficerent, confirmans; semperq; verbo, doctrina, & exemplo, ac sacramentorum administratione necessaria suis plebibus ministrauit; terrenaq; etiã subsidia subditis suis prouidit, & si quos aut spiritualibus, aut etiã communibus eorum commodis aduersantes deprehendebat, horum violentiæ, quantum valebat, obsistebat, aduersantesq; in misericordia corripiebat, & increpabat; nec oleo noxiæ contentionis eorum corda demulcebat, & eos, quibus præerat nõ quasi suos proprios, sed vt Domini sui gregem tractare semper meminit. Nunc literam discurramus præmissorum quatuor versuum, dicentes, quod apposite quidem hic breuis hymnus ponitur cantandus in festo cathedræ sancti Petri, si quidem hanc sententiam, scilicet, quodcumq;
Math. 16. ligaueris super terrã, erit ligatum, & in cęlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutũ & in cælis: nulli alteri, nisi habendi authoritatem sedendi in cathedra pro tribunali, licet pronunciare (Nam
Confessores pro tribunali sedēt, dum alios ligant, vel soluunt. C. fin. de sententia, & indic. in 6. non ne hodie etiam videmus, quod sacerdotes, qui habēt auctoritatem ligandi, atq; soluendi, ac audiendi confessiones; semper pro tribunali sedent in solijs suis, seu mauis cathedris ad imitationē Petri, dum aliquē absoluere, vel ligare eis contingit?) Vnde cũ Petrus sedeat in cathedra; merito subsequēter dicitur ei soli à Christo, Quodcunq; ò, Petre, ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terrã, erit solutum & in cęlis, meritoq; etiã assequitur facultatē ligandi, atq; soluendi, pro eo, quod sic sedet pro tribunali; & pro eo, quod dictũ est ei: Quodcumq; ligaueris, &c. meritoq; etiã in cathedra sancti Petri canitur hymnus iste. Cũ Christo
Hymnus: Quodcunq; ligaueris cur in cathedra sancti Petri cantetur. ergo dicamus: O Petre quodcunq; vinclis, idest, sententijs condēnatorijs tuis strinxeris, idest, cõdemnaueris, vel anathematis mucrone anathematizaueris super terrã, hoc est, dum vixerit super terrã: erit ligatũ in astris, idest, in cælis, hoc est, ipsa cælestis curia etiã hoc approbabit, & fortiter cõfirmabit: & similiter quodcunq; in terris, hoc est, in mundo, tuo arbitrio, & iudicio solueris, erit solutũ super cæli radiũ: hoc est, quemcunq; indignũ remissione iudicaueris, dũ viuit; indignus apud Deum etiã iudicabitur: & quemcunq; soluendũ iudicaueris, dũ viuit remissionē etiam super cæli radiũ, hoc est à Deo profecto talis cõsequetur: immo, inquit Christus ad Petrũ, non solũ in terris te esse volo iudicē meũ delegatum; verum, & in fine mundi eris & iudex totius mũdi, idest, totius humani generis: tunc, nēpe, cũ sederit filius hominis, idest, matris Mariæ Virg. in sede maiestatis

suæ,

suæ, sedebitis & vos, mei discipuli, super sedes duodecim; iudicantes duodecim tribus Israel; quia sicut secuti estis me in tribulationibus, & pressuris mundi: ita in cælesti regno eritis mecum; ita vt si socij passionis fuistis, sitis etiam socij, & participes gloriæ regni mei cælestis. *Gloria Dei per immensa sæcula: Sit tibi nate decus, & imperium: Honor, potestas, sanctoq; spiritui: Sit trinitati salus indiuidua Per infinita sæculorum sæcula. Amen.* ¶ Deo, scilicet, patri per immensa sæcula sit gloria. Hoc est, gloria sine mensura, ac immensa sit, idest, detur, ac tribuatur à nobis Deo Patri. Porro nato, idest, filio Dei, sit decus, ac omne ornamentum. Nam sicut in mundo opprobria ei illata fuere; ita etiam omne ei sit imperium, & dominium: (quod à Sathana abstulit:) quo imperet liberis, dominetur seruis. Habet enim Christus, & authoritatem, & dominium in omnes, tam liberos, quam seruos. Spiritui præterea sancto sit honor, atq; potestas: honor quo honoretur: potestas, seu auctoritas, vt alios seruet, alios perdat, scilicet, malos. Deniq; indiuiduæ Trinitati, hoc est, ex sanctissima Trinitate, Patre, scilicet, Filio, & Spiritu sancto, detur nobis salus indiuidua, & inseparabilis, vt sicut sanctissima Trinitas indiuidua, sic etiam in nobis eius salus maneat indiuidua, & inseparabilis, ac nunquam à nobis talis salus separetur. Amen. 2. Cor. 1.

In Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Vesperas Hymnus Septimus.

Lauda mater Ecclesia;
Lauda Christi clementiam:
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.
Maria soror Lazari:
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitæ limina.
Post fluxa carnis scandala,
Fit ex lebete phiala:
In vas translata gratiæ,
De vase contumeliæ.
Aegra currit ad medicum
Vas ferens aromaticum:
Et ex morbo multiplici
Verbo curatur medici.
Surgentem cum victoria
Iesum uidet ab inferis:
Prima meretur gaudia
Quæ plus ardebat cæteris.
Vni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia:
Qui culpas, & supplicia
Remittit, & dat præmia. Amē.

CVm Deus fecisset in cælo duo luminaria magna; vnum diem, alterum illuminans noctem; sic etiam duas mulieres, nempè, Psal. 135.

Virginem Mariam, & Mariam Magdalenam, fecit tanquam duo luminaria mundi huius: vt ficut ex Sole, & Luna, omnia animantia, spiritus, & creaturę omnes lucem, ac vitam sumunt: ita etiam lucē, & gratiam, ac rectam viuēdi normam homines possent ex istis beatissimis mulieribus, ac fulgentissimis luminaribus, veluti, ex Sole, & Luna, accipere. At sicut Sol illuminat diem, & Luna noctem, ita Virgo Maria illuminat homines Deo charos, iustos, & gratos. Maria vero Magdalena illuminat noctem, idest, peccatores in tenebris peccatorum ambulantes; trahens eius exemplo eos ad lumen indeficiens, scilicet, Deum. Quare ob id sancta Mater Ecclesia nunc in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ hunc præsentem hymnum cantandum hodie nobis proponit hac dicendi forma, videlicet. *Lauda mater Ecclesia: Lauda Christi clementiam: Qui septem purgat uitia Per septiformem gratiam.* & infra. ¶ In quibus omnibus quatuor per Dei Ecclesiam principaliter fiunt. Nam primo laudamus cum dicta sancta nostra matre Ecclesia Christi clemētiam, qui per septenariam, seu septemplicem gratiam, idest, per septem dona Spiritus sancti, non solum Mariam Magdalenam; verum omnes ad se confluentes à vitijs purgat, ac emendat. Secundo ponitur ipsius Mariæ Magdalenę à septem vitijs, ac peccatis plena expiatio: Fit enim ea ex lebete phiala. Tertio ponitur cursus eius ad medicū, postquam se vidit vulneratam à peccatis, ac à peccatorum sagittis, vt curetur à maximo illo medico Deo. Quarto dicitur, ipsam Mariam Magdalenam fuisse missam nuntiam (fuit enim ad tantam delata, & euecta dignitatem post curationem vulnerum per Christū, vt hoc merito quidē mereretur) dominicę resurrectionis Apostolis. Fuit enim omnium prima, quorum euangelistæ meminerunt ipsum Dominum rediuiuum videre; quæ meruit etiā notas audire, & reddere voces. Secunda pars est ibi: Maria soror Lazari, &c. Tertia est ibi. Aegra currit ad medicum, &c. Quarta est ibi: Surgentē cum victoria, &c. ¶ Ad primorum ergo quatuor carminum abundantiorem elucidationem prēmittendum primo quid sit Ecclesia, vnde originem duxit, quot modis dicitur, & cur Mater sancta: in quo homine fuerit præfigurata; cur vna, cur Christi corpus, cur catholica, cur apostolica dicitur. Item cur regina dicitur, & cur mater. Secundo præmittendum est, quæ nam sint hæc septem vitia, hic enumerata, & quare sint septem. Tertio videndum est, quæ nam sit ista septiformis gratia, quæ septem præmissa vitia purgare consueuit. & cur septena dicatur gratia. Ad primum igitur dicimus, quod Ecclesia est sub legitimo Pōtifice Romano congregatio fidelium Dei, in Christo Iesu per Spiritum sanctum conciliata, vno verbo, & eisdē sacra-

Hymni huius author Ecclesia.

Hymni huius summa & diuisio.

Ecclesia qd sit.

Extrau. 1. de maiot. & obedi.

sacramentis, vnâ fide, spe, & charitate, alijsq; donis spiritus pollens. Quemadmodum enim humanum corpus constat multis membris, eaq; ab vna anima aluntur, quæ oculis visum, auribus auditum, & alijs sensibus diuersas vires subministrat: ita corpus Christi mysticum: (quod est Ecclesia:) ex multis filij, idest, fidelibus, compositum. Et tunc ipsa sumpsit exordium: cum Christus naturam humanam sumpsit, & euangelium exortum fuit; etenim ipsam Christus tunc sibi vniuit. Vnde sanctus Hieronymus 26.q.2.c. sed illud. vocauit Ecclesiam corpus Christi. Hæc autem sancta Dei Ecclesia in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eua; ita & Christi corpore, & vulnere etiam redempta est ipsa Ecclesia. Præterea Ecclesia dicitur aliquando vna, quoniam vna tantum hominum multitudo hæc; quæ tam longe, lateq; diffusa est, ob eas causas; quæ ab Apostolo ad Ephes. scriptæ sunt. Vnum enim Dominum, vnam fidem, vnum baptisma tantum esse prædicat; vnus etiam est eius rector, ac gubernator inuisibilis quidem Christus, quem æternus pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. Item dicitur sancta, quod veluti corpus cum sancto capite, Christo Domino totius sanctitatis fonti coniungitur, à quo Spiritus sancti chrismata, & diuinæ bonitatis diuitiæ diffunduntur. Item dicitur Catholica, nempe, vniuersalis: Catholicum enim idem est, quod generale, & vniuersale; quod omnia comprehendit, vt not. per glos. in extrau. Vt quos de off. iud. ord. in ver. sponso. A solis etenim ortu vsq; ad occasum vnius fidei splendore diffunditur: & qui salutem æternam consequi cupiunt, eam tenere, & amplecti debent non secus, ac qui arcam, ne in diluuio perirent, ingressi sunt: vel Ecclesia dicitur catholica; eo quod vniuersis Christianæ legis præceptis obedit. Appellatur insuper Ecclesia Mater, vt hic dicitur; quoniam est omnium credentium mater, quę natos ad mortem regenerat per sacrosancta Sacramenta eius ad salutem; & quia ipsa tanquam bona mater vnicum, & dilectissimum Deo populum, sæculo senescente, progenuit. Et hæc Ecclesia est illa Regina: de qua ad Dominum dicitur: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate, idest, diuersarum circundata precioso decore virtutum. Hæc est etiam Ecclesia, & Regina illa; quæ venit à partibus Aethiopiæ audire sapientiam Salomonis. Item hæc Dei Ecclesia Apostolica nuncupatur, quoniam Spiritus sanctus, qui Ecclesiæ præsidet, non per aliud genus ministrorum, quam per apostolicum, ministrat. ¶ Nunc quæ nam sint illa vitia, quæ per septiformem gratiam diluta sunt in Maria Magdalena dicendum est, & quidem sunt septem peccata mortalia, seu

Ecclesia vnde originem sumpsit. *Hieronymus.* *Ecclesia cur vna dicitur.* *Ephes. 1.* *Ecclesia cur sancta.* *Catholicum quid.* *Ecclesia cur Mater vocatur.* *Psal. 44.* *Ecclesia dicitur Regina.*

capitalia, quæ ſunt ſuperbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, & accidia, quæ dicuntur mortalia, & capitalia, ſeu ſeptiforme caput, ſecundum Magiſtrum ſententiarum. lib. 2. diſt. 43. quoniam ex eis, veluti capitibus, ac fontibus, oriuntur omnia mala. Nullum enim malum eſt, quod non trahat originem ab aliquo horum prædictorum, quæ omnia prædicta peccata per ſeptiformem Spiritus ſancti

Septiformis gratia quæ eſſe dicatur.

gratiam expurgata ſunt in Maria Magdalena. Hæc autem ſeptiformis gratia ſeptem Spiritus ſancti dona ſunt, quæ per ordinem Iſaias enumerauit, dicens: Donum ſapientiæ; donum intellectus, donum

Iſaias 11.

conſilij; donum fortitudinis, donum ſcientiæ, donum pietatis, donum timoris. Primum donum dedit Deus Mariæ Magdalenæ, quod adhiberet illud ad ſtudium, & ſcientiam diuinorum, & ſacræ ſcripturę. Secundum, per quod aperitur ei intelligentia eorum, quæ legebat in ſacra ſcriptura. Tertium, per quod recte eligebat viuere; & attingere regnum ei promiſſum per Chriſtum legiferum noſtrum. Dedit ei donum fortitudinis, per quod roborata fuit ad patiendum, & tolerandum aduerſa propter Chriſtum, & iuſtitiam. Quintum ſcientiæ donum, per quam diſcernebat ſua bona opera, & viuebat ſecundum præcepta. Sextum tribuit ei donum, per quod cultum verum, & latriam Deo tribuit, & in rebus dubijs ſaniorem partem eligebat, & ei adhærebat. Septimum timoris donum dedit ei, per quod amore quodam filiali diuina mandata ſeruauit, atq; præcepta, & eum execrare, & ipſi diſplicere omni conatu, & affectu caueret. Ecce nunc quomodo Dominus in Maria Magdalena operatus ſit ſalutem, expurgando eam ab omnibus vitijs, replendo eã bonis omnibus, ac donis. Vnde in ſeptemplici vulnere vulnerata

Dona Spiritus ſancti cur ipſa ſint ſeptẽ.

erat Maria Magdalena: ideoq; erat opus in ea ſeptẽplici remedio, ac medicamento, ac proinde factũ eſt, vt ſeptẽ donis Spiritus ſancti eã ob huiuſmodi ſeptem vitijs curauerit. Nã per hæc ſeptẽ dona ſupradicta, ſeptẽ expelluntur vitia. Timor enim expellit ſuperbiã. Pietas inuidiã. Scientia irã, quæ eſt, quaſi quædã inſania. Fortitudo accidiã. Conſilium auaritiam. Sapientia luxuriã. Dicuntur etiã eſſe ſeptẽ dona propter regimen actiuæ, & contemplatiuę vitæ. Contẽplatiua ſiquidẽ tria dona debet habere, ſcilicet; timorẽ ad reuerentiã maieſtatis: intellectum ad intelligentiam veritatis: ſapientiam ad guſtũ bonitatis. Actiua vero vita debet habere pietatẽ ad agendũ: Fortitudinẽ ad ſuſtinendum: Scientiã ad diſcretionẽ pietatis: Conſilium ad diſcretionẽ fortitudinis. Maria ergo Magdalena, de qua hic ſermo habetur, fuit liberata, ac purgata, per ſeptẽplicẽ Spiritus ſancti, & Dei gratiã à ſeptẽ dæmonijs, ideſt, à ſeptẽ vitijs, hoc eſt peccatis mortalib'. Et licet ſecũdũ materiã ſubiectã intelligendũ ſit, quod

solum Magdalena fuerit emundata à septem vitijs, nihilominus in reliquis etiam omnibus, qui ad Deum confugiunt, sicut Maria Magdalena, quæ tacta (vt infra dicitur) dolore cordis intrinsecus pro peccatis suis, & de eis plene, & perfecte contrita, amorisq; Dei igne accensa cum alabastro vnguenti perrexit ad locum conuiuij, vbi erat Christus, & inclinata facie, & oculis in terram demissis ante conuiuas transiens, non quieuit, donec ad Iesum peruenit, & fletibus, & singultibus abundans, cæpit largiter Domini pedes balneare, ac lauare, hoc idem intelligi potest. Lauda ergo, ò pia anima, Christi clementiam, qui hodie sanauit hanc iam peccatricem, immo & vniuersum genus humanum. Lauda, inquam, & exulta, & pleno gaudio gaude hodie, ò tu anima fidelis, videns erga nos Christi tantam clementiam. Gaude hac Dei gratia, facta per Deum huic mulieri, ac cuilibet animæ pœnitenti. Gaudeamus, præamandi fratres, tanta Christi erga nos clementia, qui vere tota die miseretur, & commodat. Apposite item hic Author dicit; lauda Christi clementiam: q. d. sicut Nabucodonosor, postquam se, & eius scelera cognouit, reuersus ad se laudauit, & magnificauit Regem cæli, & terræ: ita nunc Ecclesia hic ipsa adhortatur ab ipso hymni huius authore laudare Christi clementiam in conuersione sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et quia considerauit, quod sicut Vidua illa, hoc est, Ecclesia, magnificauit, & laudauit Dominum, qui resuscitauit eius filium: ita nos gaudere debemus, & laudare, quando hominem peccatis mortuum resuscitat, ac ad vitam spiritualem, & de impio facit illum pium, & de iniusto iustum. Quænam esset illa Maria, quæ accessit ad pedes Domini, subiungit Ecclesia dicens. *Maria soror Lazari Quæ tot cōmisit crimina: Ab ipsa fauce tartari Redit ad vitæ præmia.* ¶ Et omnino sequitur, approbatq; hanc sententiam, quod hæc mulier, Maria nempe, hic soror Lazari nominata: cuiusq; solus meminit Lucas, cum publica pœnitentia, & satisfactione ad Dominum conuersa fuerit Maria Magdalena, quamuis dicatur fuisse aliquando in Ciuitate peccatrix, nullo pacto tamen cadit in ipsius Magdalenæ contumeliam; aut ignominiam, sed insigniorem parit gloriam, & laudem. Etenim ex barathro damnationis, & via perditionis integre, & sincere redijt. Christi itidem in carne diuersantis hospita fuit: Resurrectionis Domini ad Apostolos nuncia: Euangelicæ visitationis etiam apud Massilienses prædicatrix: Eremiq; multa annorum curricula habitatrix: Cælestem vitam in terris iugi Dei contemplatione degit, atq; ab angelicis choris (quorum frequenti fruebatur consortio) sæpius à terra in aerem sublata. Quæ sane à patre misericordiarum,

Nota.

Luc. 7.
Matt. 26.

Psal. 36.
Dan. 4.
Luc. 7.

Vidua pro Ecclesia.

Maria Magdalena fuit soror Lazari

Opera Mariæ Magdalenæ.

Laus Mariæ Magdalenæ.

diarum, & authore vitæ hominibus proposita est, tanquam pœnitentiæ speculum insigne: quod intuentes homines à præteritis peccatis pedem reuocent, & ad vberrimum veniæ, ac pietatis fontem recurrant. Itaq; ab ipsa fauce inferni, tartariue, idest, à barathro inferni, ac ab ipsa via perditionis: (ad quam septem illa dęmonia produxerant) emergens, & turpitudinis suæ maculas aspiciens, rediјt ad præmia vitæ, idest, ad pœnitentiam, seu mauis ad mandatorum Dei obseruationem, & operationem; pœnitentia enim est sufficiens remedium contra peccata, & ad consequendum vitæ æternę præmia. Item mandatorum obseruatio, iuxta quod canit Ecclesia, scilicet: Vis habere vitam æternam, serua mandata Dei. Redit ergo ad vitæ præmium, idest, ad pœnitentiam, seu ad mandatorum custodiam; ac actualem iustitiam, quæ omnia vitam æternam acquirunt, & ad vitam æternam perducunt. Vel redit ad vitæ præmia, idest, ad Christum, qui est precium infinitum, quo debita nostra soluta sunt. Se ergo regnans Christus dat in præmium iuxta ea, quæ supra in hymno corporis Christi diximus. Vnde ait Dominus, si impius egerit pęnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & non morietur. Itaq; tria consequitur author pœnitentiæ, sanationem, videlicet, vulnerum peccatorum suorum, armationem insidiarum dæmonum, & deniq; regni cælestis apertionem, & ad vitæ redit præmia, vt rediјt sancta Maria Magdalena, quæ hic dicitur soror Lazari non sine causa. Quandoquidem ista non solum per sanguinis gradum, sed etiam per peccatorum multitudinem ei propinqua, & coniuncta erat. Non ne & Lazarus fuit quatriduanus & fœtens, ob magna, turpissima, & longa eius peccata? Quid enim per quatuor dies, quibus Lazarus in sepulchro mortuus iacuit, nisi quatuor ætates intelligimus, quia fœtens fuit, & in sepulchro peccati mortuus iacuit in pueritia, in adolescentia, in iuuentute, & in senectute? Vere igitur erat soror Lazari, & quo ad consanguinitatem, & quo ad peccatorum cõtagium, & turpitudinem. Sed clementissimus Iesus Christus, qui diligit Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum, hoc est, actiuam vitam, & contemplatiuam, & peccatores ad pęnitentiam conuersos, sanauit, & resuscitauit Lazarum, & Mariam hodie Magdalenam à vitijs purgat. Et sic. *Post fluxa carnis scandala Fit ex lebete phiala: In vas translata gloria De vase contumeliæ.* ¶ Ad præsentium ergo versuum veram intelligentiam notandum primo est, quid sit scandalum. Secundo quid lebes. Tertio quid phiala. Ad primum igitur dicimus, quod scandalum latine offendiculum, ruinam, vel impa-

Maria Magd. fuit pœnitentia speculum.

Premium vitæ quid.

Ezech. 18.

Dies quatuor, quib' Lazarus iacuit in sepulchro. quid signet.

Scandalum quid est.

pactionem, signat, cum inter ambulandum pes impactus lapidi, aut obuio cuiusuis solido corpori, ruinam ex offensione ambulanti infert. Per translationem autem scandalum dicitur occasio ruinæ in peccatum, dicto, vel facto alicui præstita, vt in Euangelio: Necesse est, vt veniant scandala, veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Et ita accipi potest hoc loco. Lebes vero lebetis, vas est æneum, in quo carnes bulliunt, ferventeq; aqua decoquuntur, quod, & olla, & cacabus, & caldaria interdum etiam nominatur. Porro phiala vasculum est vini, aut aquæ, ex auro, cristallo, aut vitro conflatum. Est ergo longe preciosius, & tersius lebete, atq; ad digniorem vsum ampliatum. Vides modo vti præsens sermo, apta velatus metaphora, est significatiuus, quod Maria prius sordida, ac vitijs atra feruens carnalibus desiderijs, ac concupiscentijs, & tanquam lebes sordidissimus, fit phiala mundissima, idest, ex impia fit pia, & ex iniusta fit iusta. Nam in vas gloriæ ex vase contumeliæ translata est. Vnde Paulus in magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed, & lignea, & fictilia, & quędam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam, si quis ergo emundauerit se ab illis, erit vas in honorem sanctificum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Sed cum hæc mulier multum esset immersa, & obruta in peccatis, maxime compuncta, & cordis dolore affecta ob molem huiusmodi vitiorum statim prius se, & statum eius sordidum respiciens, *Aegra currit ad medicum: Vas ferens aromaticum: Et à morbo multiplici: Verbo curatur medici.* ¶ Hæc, inquam, mulier vitijs, ac luum spurcitijs plena, currit lauanda, ac curanda, ad medicum, fontem misericordiæ verum. Non secus fecit, ac cucurrit Nabuchodonosor, qui delicta, eiusq; facinora cognoscens, oculos suos ad cælum leuauit, sensusq; eius ei redditus est & altissimo benedixit, & virtutem in sempiternum laudauit, & glorificauit, sensusq;, inquam, reuersus est ad eum, & ad honorem regni eius peruenit, & in regno suo restitutus est, & magnificentia amplior addita est ei. Et quia ipsa peccatorum suorum putredine iam fœtebat, ideo vas ferebat aromaticum, hoc est, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit, cum ad Deum ipsa perrexit, vt verbo eius, Dei, scilicet, curaretur. Sed mystice quid vas aromaticum, quod ferebat Maria, melius intelligere possumus, inquit Eusebius Emissenus, in fer. 5. post iud. quam pectus, & cordis secretarium, plenum fide, & charitate? Tale enim vas aromaticum huiusmodi vnguentum seruare consueuit. Id ipsum enim significauit & Regina Austri, quæ veniens à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, preciosissima ei aromata

Lebes quid *Phiala quid* *Dan. 4.* *Maria unde cur ferebat* *Vas mysti ce quid.* *Regina Austri veniens aud. sap. Sal. quid signet.*

aromata secum attulit. Nullum autem vnguentum, nulla aromata sic Domino redolent, sicut fides, & charitas, & cæteræ virtutes. Quam vero dignitatem assecuta fuerit Maria Magdalena, cum curata fuit à verbo Dei, dicit Ecclesia nempe, quod fuit digna videre Deum rediuiuum, & Apostolis eius resurrectionem denunciare, vnde propterea subdit. *Surgentem cum uictoria Iesum vidit ab inferis. Prima meretur gaudia: Quæ plus ardebat cæteris.* ¶ Hic dicendum esset in primis, quibus de causis Christus descenderit ad inferos, quosq; ab eis liberauerit, & quibus de causis tandem resurrexerit, sed de istis videat prudens lector, quæ supra diximus in exposit. Hym. Ascensionis. Dicendum ergo est hic, cur Christus dicatur resurrexisse cum victoria. Secundo cur Maria Magdalena prima mereatur gaudia habere. Tertio quomodo plus cæteris amaret. Ad primum dicimus, quod postquam Christus Rex gloriæ, & potens, ac fortis in opere, ac sermone coram Deo, & fortis in prælio, vicit Diabolum in ara Crucis, & proprio sanguine mercatus est genus humanum, & satisfecit pro peccato primorum parentum, & suorum posteriorum, & placauit patrem, & dæmonis deiecit superbiam, statim descendit ad inferos, in quibus animæ beatorum multę detinebantur, & rupit portas æreas, & vectes ferreos confregit: ingressus limbum, prædam repetijt, infernumq;, seu purgatorium, spoliauit, captiuitatemq; sanctorum prædicatorum animarum, secum in cælum resurgens tanquam victor, & cum triumpho, & triumphator, portauit, ibiq; ad dexteram patris sui sedere, & corregnare facit in hæreditatē sibi debitam, ac reparatam. Ad secundum dicimus quod Maria Magdalena prima meretur gaudia, quoniam Dominus noster Iesus Christus resurgens mane prima sabbati. Ioann. 20. apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua, eiecerat septem dæmonia. Præterea plus cæteris ardebat Maria Magdalena in amando Christum; secundum Beatum Gregor. super Ioann. 20. huius mulieris mentem, quanta vis accenderat, quæ à monumento Domini etiam discipulis recedentibus, non recedebat, exquirebat, quem non inuenerat, flebat, quem non inuenerat, flebat inquirendo, & amoris igne succensa, eius, quem sublatum credidit, ardebat desiderio. Videre ergo fuit digna Maria Magdalena Christum surgentem, ac redeuntem ab inferis. Hoc verbum surgentem consonum & cum verbo euangelico Marci, dicentis, surgens autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ. *Vni Deo sit gloria Pro multiformi gratia: Qui culpas, & supplicia Remittit, & dat præmia.* Amen. ¶ Aduerte hic circa hunc secundum versum,

Cur Christus descendit ad inferos, quosq; ab eis liberauit, & cur resurrexerit.

Christus cur hic cum victoria resurrexisse dicitur.

Maria Magdalena cur prima mereatur videre gaudia resurrectionis Christi.

Maria cur plus cæteris adamauit Christū

Dei gratiam multiformem esse, quia quædam est præueniens gratia, quæ præuenit bonam voluntatem & præcedit humilitatem; quia humiliat hominem ad audiendam legem Dei: quædam vero est subsequens, quæ est incipiens, & proficiens. Nam licet, quis per gratiam præueniatur, & illa non subsequatur, nunquam incipit: & licet incipiat per gratiam subsequentem, & illa gratia non prosequatur, sed deficiat post inceptum, nunquam homo proficiet. & si proficiendo deficiat, nunquam perficiet. Prima ergo, scilicet, incipiens rectificat voluntatem, & dirigit, vt velimus bonum. Secunda cooperatur, vt proficiamus, & exequamur. Tertia confirmat, & perficit voluntatem in sua operatione. Item prima rectificat hominem. Secunda sanctificat. Tertia præmiat ad gaudium, & fælicitatem. Præterea dicitur gratuita gratia, & quædam gratificans. Prima datur toti Ecclesię, idest, ad vtilitatem totius Ecclesiæ, sicut est gratia sermonum, & linguarum interpretationis, & gratia ordinis, & iurisdictionis. Et ista genera gratiarum dantur ad vtilitatem totius Ecclesiæ, sed gratia, gratum faciens datur ad gratificandum habentem. Prima data fuit Apostolis, & prælatis Ecclesię. Secunda datur solis sanctis, & iustis, vt hic datam esse videmus sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Gratia Dei multiformis.

In eodem Festo ad Matutinum Hymnus Octauus.

Nardi Maria pystici
Sumpsit libram, mox optimi
Vnxit beatos Domini
Pedes rigando lacrimis.

Honor, decus, imperium
Sit Trinitati vnicæ
Patri nato, paraclito
Per infinita sæcula. Amen.

CVm Dominus noster Iesus Christus rogatus fuisset à quodam Pharisęo, nomine Simone, vt manducaret cum illo, & cum domum Pharisei fuisset ingressus, & discubuisset: ecce mulier, quæ in Ciuitate peccatrix erat, vt cognouit, quia Iesus accubuit in domo Pharisei, attulit alabastrum vngenti & stans retro secus pedes eius, lacrimis cępit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Hæc supradicta cum sancto Luca optime sciens mater Ecclesia,

coniux

coniux Christi hunc in honorem, & laudem beatæ Mariæ Magdalenæ hymnum hodie cantat, dicens. *Nardi Maria pystici Sumpsit libram mox optimi Vnxit beatos Domini Pedes rigando lacrimis.* Et infra. ¶ Litera hæc hymnica breuis est, & propterea ob sui ipsius breuitatem nullam patitur diuisionem, & quo ad constructionem non multo indiget labore. Possumus tamen dicere, quod hic tria per Mariam fiunt. Primo enim sibi vnã comparat vnguenti libram. Secundo eo vnguento ea Domini optimi pedes vngit. Tertio dum Domini nostri vngit Maria pedes, eosdem lacrimis multis præ dolore suorum peccatorum rigat, abluitq;. Secunda ibi. Vnxit. Tertio ibi. Rigando lacrimis. Ad intelligentiam igitur vberiorem præmissorum hymni huius verborum, primo videndum est, quid sit Nardus, & quid pysticus Nardus. Secundo videndum cuias erat Maria Magdalena. Tertio considerandum est, cur Maria Magdalena accessit ad pedes Domini, & non ad caput. Quarto, quid Domini pedes mystice designent, & quid caput. Quinto quid Maria Magdelena signat. Ad primum dicimus, quod Nardus est grati, & iucundi odoris. Ex quo vnguentum conficitur, quod Nardinum vnguentum vocatur. Vnde in canticis legimus: Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suauitatis. Dicitur autem Nardus pysticus aut à loco, in quo crescit, secundum Augustinum, aut à qualitate, & conditione, quia sincerum est, & purum, neq; aliarum specierum admixtione adulteratum, aut falsificatum. Ad secundum, nempe, Cuias fuerit Maria Magdalena, dicimus, quod Maria, quæ Magdalena dicitur, à Magdalo castello esse describitur, quæ e suis vitijs emergens, ac de peccatrice se deuotam præbens, & iustam, mox vt vidit Iesum in domum Simonis, sumpsit libram vnguenti Nardi pystici preciosi, idest, iustitiam secum assumpsit (ideo libra fuit) pystici preciosi, idest, preciosæ fidei: pystis enim fidem signat: item pysticum fidele, & accessit ad pedes Domini. Libra ergo Nardi iustitiam significat. Pysticus vero fidem denotat. Vel libram assumpsit, idest, lumen pystici Nardi, idest, fidei. Accessit autem Maria ad pedes Domini, inquit Augustinus, non autem ad caput: vt quæ diu male ambulauerat, per vestigia Domini, in futurum ambulare velit: Et fudit lacrimas, & rigauit, & lauit pedes Domini obsequio confessionis. Pedes dico domini (etenim propter itinera squallidi, & lassi erant) vnxit precioso vnguento ad refrigerium caloris, & mitigationem doloris ex labore itineris. Ex qua re nota huius mulieris magnam contritionem. Fleuit enim tantum, vt lacrimæ eius pedes vnius hominis lauarent, & lauare potuerint. Sed mystice quid per pedes Domini,

Hymni huius author est Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Nardus quid sit.

Cant. 1.

Cur Nardus pysticus Nard.

Maria Magd. cuias ipsa fuerit.

Cur librã Nardi acceperit Maria, cũ accessit ad Deum.

Libra Nardi quid.

Pysticus quid.

Maria Magd. cur ad pedes Domini accesserit, & nõ ad cap.

Domini, quos vnxit Maria, aliud intelligere possumus, quam Christi humanitatem? sicut eius caput ipsius diuinitatem significat, non solum Maria reuerentiā humanitati Christi, sed & diuinitati quoq; eius exhibuit, quod nunquam fecit Pharisæus. Potest tamen & populus gentilis per Mariam intelligi, sicut per Pharisæum intelligebantur Iudæi, vt est sacrorum doctorum sententia. Cæterum quod Maria Magdalena lacrimis riganit pedes Domini, non est intelligendum, id esse factum in cæna illa, quę describitur in duodecimo Ioannis capite, & ab alijs tribus euangelistis. Nam illa ex deuoto mentis affectu vnxisse quidem pedes Domini, & extersisse capillis suis legitur, non autem lacrimis irrigasse, sed (vt pręmisimus) in conuiuio illo, cuius mentonem facit Lucas, facto in domo simonis Pharisæi, cui inuitatus fuit Dominus, refertur ipsa non nominatim expressa, sed nomine peccatricis in Ciuitate subinsinuata, amaris lacrimis irrigasse pedes Domini, eosdemq; extersisse capillis, & vnxisse vnguento in salutarem pro peccatis suis pœnitentiam, quorum ipsa (teste totius misericordiæ fonte) ibidem obtinuit remissionem. Sed hæc vnctio pedum Domini cum lacrimis alia omnino fuit, & numero, & loco, ac tempore, diuersa ab illa vnctione, quæ facta est post suscitationem Lazari in cæna, vt bene considerantibus circunstanrias loci, & temporis, ex euangelica lectione facile constat. Eadem tamen prorsus fuit mulier, quæ, & primo vnxit pedes Domini cum lacrimarum irrigatione in salutarem ab illecebris sæculi conuersionem. Et secundo vnxit etiam pedes Domini sine lacrimis ex affectuosa amoris in Christum deuotione: Quinimo & tunc etiam partem vnguenti effudit super caput Christi discumbentis. Quod autem omnino eadem fuerit mulier, quæ vtranq; fecit vnctionem, dilucide ex Ioanne colligitur, qui in principio vndecimi capitis sui Enangelij enarraturus suscitationem Lazari, ait: Mariam sororem Lazari eam fuisse, quæ vnxit Dominum vnguento, extersit pedes eius capillis suis, & iam id factum fuisse ab ea testatur idem Ioannes describens cænam, Domino exhibitam in Bethania, in qua Lazarus iam resuscitatus erat vnus ex discumbentibus. Rursus refert amatoriam Magdalenam vnxisse pedes Domini, & capillis suis extersisse, domumq; impletam esse ex odore vnguenti. Quare id ipsum, quod Ioannes in factum duxerat, debet intelligi in domo Simonis Pharisæi in Ciuitate Hierusalem esse longe ante peractum. Sed in ore nostro, vt lex Domini, semper sit subsequens orandi modus, nempe: *Honor, virtus, imperium Sit Trinitati vnica Patri, nato, paraclito Per infinita sæcula.* Amen. ¶ Sicut enim Rex omnis temporalis à populo honore maximo

Pedes Domini mystice quid significent.

Quid per Mariā intelligen.

Ioan. 12.

Ioan. 12.

Comparatio.

ximo afficitur pro eo, quod deuicerit hostes, & fuerit tam potens in profligandis illis, & in recuperando regnum: cui deinde merito Dominum, ac omne imperium traditus ab ipsomet populo: ita omnis honor, & gloria danda est Christo nostro, qui diabolum superans, principem olim mundi huius recuperauit Regnum suum, genus humanum, scilicet: & quia factus est Dominus populi humani: ideo iure merito habet imperium super populum, & potestatem, & iurisdictionem. Omnis ergo honor, & imperium sit patri, & filio, ac Spiritui sancto. Amen.

In eodem Festo ad Laudes Hymnus Nonus.

Aeterni patris vnice
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriae.
In thesauro reposita
Regis est dragma perdita,
Gemmaq; luce inclyta
De luto luci reddita.
Iesu dulce refugium;
Spes vna poenitentium;
Per peccatricis meritum
Peccati solue debitum.
Pia mater, & humilis,
Naturae memor fragilis,
In huius vitae fluctibus
Nos rege tuis precibus.
Vni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui culpas, & supplicia
Remittit, & dat praemia. Amen.

Quemadmodum euangelicus ille homo, postquam inuenit ouē, quam perdiderat, conuocat amicos, & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quae perierat: & sicut etiam ille alius euangelicus pater suum filium prodigum (postquam reuersus est in domum) osculatur, & induit eum stola, annulumq; in manu eius dat, valde gaudens, quia perierat, immo mortuus fuerat, & reuixit: ita hodie sancta Dei Ecclesia gaudet, maximaq; laetatur laetitia, quod Maria Magdalena, quae perierat, ac vsq; ad os inferni eam adduxerant eius vitia, & peccata, sordesq; corporis sui profluxui, ad inuenta, reuocataq; est ad solium gloriae. Vnde in honorem ipsius, ac conuersionis suae laudem hymnum canit hunc hodie, dicens. *Aeterni patris vnice, Nos pio vultu respice: Qui Magdalenam hodie Vocas ad thronum gloriae.* & reliqua. ¶ In-

quibus

quibus primo filium Dei, qui Mariam Magdalenā assumpsit in cælum; deprecamur, vt oculis suæ benignitatis nos velit intueri, & tueri. Secundo oramus, vt per eā, ac eius magna merita ipse Deus, spes vna pœnitentiū, soluat nostrorum peccatorum pœnā. Tertio, & vltimo sermonē dirigimus ad Beatam Mariam, vt in hoc mundo suis sanctissimis precibus regat, & custodiat. Secunda pars est ibi. Iesu dulce refugiū. Tertia est ibi, Pia mater. ¶Ad pleniorem ergo iā dictorum quatuor versuum elucidationē primo videndum quomodo Pater dicitur æternus, & quid sit ęternum, & quotuplex. Secundo dicendum est, quid hic per vnicū intelligamus. Tertio vultus hic quid sibi vult. Quarto respicere hic quid signet. Quinto notandū est, quid sit hic vocare ad thronum gloriæ aliquē. Ad primū igitur dicimus, quod pater dicimus æternus. Nā priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à sæculo tu es, &c. Est enim æternū, seu æternus Pater in quantū, & immutabilis sine termino, & sine fine, & successione, quia est tota, & simul perfecta possessio vitę interminabilis, & hoc soli Deo conuenit; quia nihil est æternū, nisi Deus. Itē æternū idē est, quod coæuū, dicens totā ætatē alicuius, & sic dicimus, quod vir est æternus vxori, quia quā diu vixerit est alligatus vxori per totā ætatē, & vitam, & è conuerso. Dicitur tertio modo æternum, cui nullū aliud tale succedit: & isto modo lex Moysis, aut circūcisio non fuit æterna, quia lex alia successit, & aliud sacramētū. lex nāq; euangelica, & sacerdotiū Christi est æternū; quia nulla alia lex, nec sacrificiū succedet. Ad secundū propositū dicimus, quod vnicus hoc loco filiū Dei sibi vult. De quo vnico, & Dei filio vnica, & immaculata, ac virgo sancta Mater Ecclesia eiusdē filij Dei Iesu Christi cōiux, & sponsa, sic cātat, tenet, ac profitetur, dicens: Credo & in Iesum Christū filium eius, scilicet, æterni Patris vnicū. Similiter, & pater eius dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Sic Deus dilexit mundū, vt filiū suū vnigenitū daret. Ad tertium aduertendū, quod vultus seu facies istius filij Dei Iesu Christi, dicitur eiusdē Christi esse humanitas: in qua ab hominibus visus est: in qua passus, & meruit pro nobis: & in qua latebat diuinitas: quæ quidē humanitas fuit instrumentum diuinitatis, & notificabat eā. Si ergo Christi humanitas tot, ac tāta nobis, & pro nobis fecit, merito clamamus ad eum, vt & nunc pio eius vultu respiciat, ac misereatur nobis. Respicere enim Dei est nobis misereri. Nā cū dicimus: Vidit iesus hominē, sedentē in telonio, Matthæū nomine, & ait illi. Sequere me: nil aliud illa Domini verba sibi voluerunt, quā quod Iesus vidit, idest, misertus est Matthęi, fœneratoriā artē exercentis; & ideo mortiferum sedile illud ipse dereliquit. At vocare aliquem ad

Hymni huius diuisio, & summa

Pater æternus quomodo.

Æternum quid.

Vnicus quid.

Ecclesia vnica.

Math. 17.

Vultus Xpi quid.

Respicere quid sit.

Vocare ad thronũ gloriæ quid. thronũ gloriæ, est aliquem assumere in cælum; illoq; illũ dignare: ac sedium, seu soliorũ, ac mansionum cælestium consortẽ facere, ac in æterna numerari gloria. *In thesauro reposita Regis est dragma perdita, Gemmaq; luce inclyta De luto luci reddita.* ¶ Vere diximus, Mariã Magdalenã æternæ gloriæ addictã fuisse; ac sic thesauro Regis Dei in cælis repositã, quod & hic Dei Ecclesia iã expressit. ¶ Ad cuius rei verã intelligentiã primo nobis aduertendum est, quid per thesaurũ possumus hic intelligere. Secundo per drachmã perditam. Tertio quid per gemmã. Quarto demum quid per lucẽ. Ad primum
Thesaurus quid. dicimus, quod per thesaurum hic ego Ecclesiã triumphantẽ intelligerẽ, ac cætum beatarum animarum, ac beatorum spirituũ, quę Regis Christi sunt in altissimo cæli domicilio thesaurus repositus; vt vita cum sanctissima Trinitate æterna fruatur: aggregare enim placuit Christo, & hanc mulierẽ illi beatissimo cætui animarũ sancta-
Drachma quid. rum. Quæ quidẽ mulier drachma dicitur perdita, & peccatis mortua, ad instar illius drachmæ, ouisq; ac filij prodigi euangelicorum: Nam per methaphoram quandã significata est; quę ob eius plurima vitia, peccata, sordesq; erat perdita, ac mortua: quia cum ipsa ad imaginẽ quidẽ Dei fuerit condita; peccando à similitudine sui conditoris Dei ipsa recessit, & ideo perditã erat. Sed mulier accendens lucernam, idest, misericordia Dei, ac ipse Deus (parit enim nos cum
Luc. 15. dolore) quæsiuit eã, & inuenit, & posuit eam in thesauro Regis prædicto; qui in cælis viuis quidẽ ex lapidibus est constructus. Et sic per
Gemma quid. gemmã, lucem, inclitã quidẽ, ac gloriosam (per appositionem enim hic versus intelligendus est) idest, per imaginem Regis, & Dei: quę
Cõparatio. imago Dei est vt gẽma in drachma, idest, in Maria Mag. sculpta; immo, & in omnibus hominibus, sicut sculpta est gemma in drachma materiali, & annulo. Vel dicamus, quod gẽma Mariam Magdalenã signet, vt gẽma, & preciosa margarita adinuenta per præfatã mulierẽ, & inclytã lucem, & de luto per eã reddita sit luci, idest, æternæ
Lux quid. claritati. Ex superioribus ergo possumus colligere, quod drachma hoc loco nõ est nũmus certæ quantitatis, valens decẽ denarios vsuales, habẽs in se Regis imaginẽ, & insuperscriptionẽ, quẽ nummũ nos debemus offerre Deo, scilicet, nosmetipsos; in quibus, vt diximus, est imago Regis Dei; sicut bene elicitur ex secũda parabola, quã ponit Euãg. Lucas. *Iesu dulce refugiũ; Spes vna pœnitẽtiũ; Per peccatricis*
Iesu dulce refrigeriũ. *meritũ Peccati solue debitũ.* ¶ Quod aũt Iesu dulce sit refrigeriũ, ac subleuatio ẽt q̃dã, & quasi recreatio mẽtis, patet ex eis, q̃ nostra ma-
Matth. 11. ter Ecclesia cãtat de eo, dicẽs: Dulcis hospes animę, dulce refrigeriũ. Ipse quoq; Iesus de se dicit: Venite ad me oẽs, q̃ laboratis, & ego re-
Iesu spes pœnitẽtiũ. ficiã vos. Spes p̃terea est vna omniũ pœnitẽtiũ suorũ peccatorũ, est

idem

idẽ Iesus benedict[9]. Vnde B. Petr[9] ait. Nõ est aliqua in alio salus: nec est aliud nomẽ sub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Ecclesiast. In me (ait) gratia omnis viæ, & veritatis: In me omnis spes vitę, & virtutis. Et Hier. Nõ sis, inquit, mihi tu formidini spes mea in die afflictionis. Sic ergo dicamus. O Iesu dulce refrigeriũ, & omniũ, qui ad te conuertentur, spes vnica. Tu per peccatricis Marię: (quondã peccatricẽ fuisse Mariam intellige: quia hodie beatã esse firmiter creditur: alias frustra rogaremus, vt meritis suis De[9] ipse solueret nostra debita: Cum enim indignus; ait Beatus Gregorius, ad intercedẽdũ mittitur, irati iudicis animus ad deteriora prouocatur:) magnifica merita, & opima: (lacrimis enim pedes Christi rigauit, capillis suis tersit, osculata est, & pedes eiusdem vnxit & eos etiã, & propter hæc multa meretur: dilexit enim multũ, ideoq; etiam multũ meretur, ac multa sunt eius merita, & proinde dicit, per meritũ peccatricis) solue, dissolue, dimitteq;, ac omnino relaxa nostrorũ peccatorũ debitũ, seu pœnas, quas pro illis meremur. Amen. *Pia mater, & humilis, Naturæ memor fragilis, In huius vitæ fluctibus Nos rege tuis precibus*. ¶ Ad præsentiũ horũ quatuor carminũ, seu verborũ intelligentiã considerãda sunt singula verba, & primo, cur hic Maria Magdalena pia Mater appellatur: cur humilis: cur memor naturæ fragilis, & quomodo natura nostra sit fragilis, & qui sunt huius vitæ fluctus, ac demũ, cur precibus Beatæ Mariæ Magdalenæ regi desideramus. Pius ergo hoc loco non pro benigno, & misericorde sumitur, se pro cultore, & amatore, ac adoratore & fideli. Dicitur ergo Maria Magdalena pia Mater: quoniam multos eius exẽplo traxit ad Dei cultũ, & ad pęnitentiã suorũ peccatorum, quos omnes videtur quodamodo peperisse. Nã humilis ad Deũ ipsa accessit, terræ adherẽs, oculisq; ad terrã demissis lacrimabatur, flebat, & pedes Domini lacrimis rigabat, nec alte attollebatur, ita Deum adamabat, itaq; diligebat Deo obsequiũ præstare, & quanto plura recordabatur esse eius peccata, eo magis in obsequio diuino laborabat. Iure ergo sic ab ea postulamus, vt eius precibus nos regat, idest, adducat ad similem pœnitentiã, & ad operanda eadẽ opera, ad quã, & ad quę accessit ipsa, & operata ipsa circa nostrũ omniũ creatorẽ, redẽptorẽ, propitiatorẽq; Deum. Precibus autẽ Beatæ Mariæ Magd. hic regi, & ad pœnitentiã adduci petimus, quoniã per Mariã significatur vita contemplatiua, quę orationi vacat; per Marthã vita actiua, quę secularibus incumbit. Cæterum tertius versus hic positus videtur alludere ad id, quod in Psalmo legimus de Apostolis: qui cum descẽdissent mare in nauibus, & piscatorũ munus exercentes in aquis maris, quia tunc dixit Dominus, & surrexit procella (facta est enim inquit tempestas venti magna, fluctus irruebat in nauem, ita vt ope-

Act. 4.
Eccl. 24.
Hier. 17.
Gregor. in pastor.
Pius quid.
Maria cur pia Mater.
Humilis.
Naturæ memor fragilis.
Cur precibus Beatæ M. Magd. adiuuari poscimus.
Psal. 10.
Fluctus huius vitæ, qui.

rirentur)aſcendunt vſq; ad cælos,& deſcẽdunt vſq; ad abyſſos,ideſt, tollebantur modo quaſi in cælos,modo quaſi ad ima deſcendebant, & anima eorum in malis tabeſcebat,& timore, ac periculis defecerat; ita vt omnis remigandi peritia deeſſet: at qui clamauerunt ad Dominum,ex omni timore,& periculo,liberauit eos Dominus: Mãdauit enim procellæ Deus,& ſtetit ipſa in aurã,& placidã,& trãquillã inſpirationẽ. Ita nos quoq;,qui ſumus quotidie exagitati in huius vitæ fluctibus,modo ex inſidijs,& tẽpeſtatibus diaboli, mundi,carniſq;: modo à prauis concupiſcentijs,ac tentationibus,ad te clamamus ò pijſſima mater, vt ad ipſum Deum pro nobis clames, vt nos protegere,liberare, & defendere dignetur ab omnibus noſtrorũ inimicorum, viſibilium,& inuibilium,nunc, & in perpetuum. Amen.

In Feſto Sancti Petri ad Vincula ad Veſperas Hymnus Decimus.

Petrus beatus catenarum laqueos
Chriſto iubẽte rupit mirabiliter:
Cuſtos ouilis,& doctor Eccleſiæ;
Paſtorq; gregis conſeruator ouium;
Arcet luporum truculentam rabiem.

Gloria Deo per immenſa ſæcula;
Sit tibi nate decus, & imperium:
Honor poteſtas, ſanctoq; ſpiritui
Sit Trinitati ſalus indiuidua;
Per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Act. 12. Sancta mater Eccleſia,ſciens cum beato Luca; quod beatiſſimus Petrus Apoſtolorũ princeps,mirabiliter,ac miraculoſe catenas; (quib⁹alligatus,& innexus fuit:dũ ab impio Rege Herode,Ariſtoboli filio coniectus in carcerẽ, & vinctus fuit:)Chriſto iubente,& angelo diſſoluẽte auctore;duceq;,diſſoluit, rupitq;:iccirco hodie in memoriã tãti miraculi in honorem beati Petri cãtat hũc breuẽ hymnũ, dicẽs. *Petrus beatus catenarũ laqueos Chriſto iubente;rupit mirabiliter: Cuſtos ouilis, & doctor Eccleſiæ: Paſtorq; gregis conſeruator ouiũ Arce luporũ truculẽtã rabiẽ.*& reliqua. ¶ Rogo in primis hic ego Michael minimus omniũ ſacerdotũ vos omnes animarũ curatos,vicarios, Rectores,Archipræsbiteros,plebanos,Epiſcopos, Archiepiſcopos,Petriarchas,Archimãdritas,ac omnes magnos paſtores fideliũ animarũ;iterũ quæſo,vt cũ magna attentione hũc doctiſſimũ hymnũ legatis,cõſidereris, ruminetis,ac exactiſsima animi veſtri contemplatione, exactioneq; perpendatis, dicentes, intra vos. Quando ego feci(me miſerum) quæ hic beatus Petrus circa Chriſti gregẽ feciſſe dicitur?Ille enim dũ viuebat,fuit animarũ ſibi cõmiſſa

rum

rum vigilantissimus custos, earumq; optimus doctor, pastor bonus, conseruator Christianorum fortissimus, ac demum luporum rabiē pepulit semper procul à grege Christiano sibi commisso. Custodio nè ego, tueor, habeo ve oculos ad oues mihi commissas; ac obseruo ne eas? Doceo ne plebem meam? Pasco nè gregem meum? Conseruo nè illas? Prohibeoq; ne lupi ad illas accedant, sicut hic primus omnium Petrus pastor exemplum, documentum imo, ac præceptum mihi dare hodie videtur? Primo ergo animarũ curator debet (exēplo hic nobis tradito per Beatum Petrum Pontificem S.R.E. Maximum) ouile suum custodire, sæpe intueri, ac vigili solertia obseruare. Item debet scire numerum ouium suarum. Hier. 33. Adhuc transibunt ad manum numerantis: scire etiam debet fructum. Genes. 31. oues tuæ steriles non fuerunt. Debet demum scire qualitatem, an pingues, an tenues. Ezechiel. 34. Ecce iudico inter pecus pingue, & macilentum. Secundo debet eas erudire in fide, spe, & charitate, & docere verbo, & exemplo. Tertio debet illas doctrina sana, & cibo spirituali, ac temporali pascere. Quarto debet illas conseruare incolumes, ac ab omni periculo, incursuq;, ac insultu eruere, ac eripere. Quinto omnem luporum accessum ad eas, ac exterminium prohibere sit promptus semper, atq; paratus. Si hæc supradicta quinque obseruabit quilibet animarum pastor; non parum ille hodie fuerit lucratus. Cæterum pro intelligentia verborum hymni in primis aduertendum est, quod Petrus dormiens. Act. 12. inter duos milites vinctus catenis duabus, & custoditus ab illis, liberatus fuit, & è carcere ductus, angeli Dei (iubente Christo) ministerio. Rupit ergo laqueos catenarum, & ceciderunt, inquit Lucas, catenæ de manibus eius. Secundo aduertendum est, quod pastor gregis hic appellatur Petrus: quoniam tertio (Ioan. 21.) eia Domine, cura commissa est agnos suos, ouesq; suas pascendi: cũ dixit ei ter: pasce, pasce, pasce oues meas, idest, fideles Christianos meos. Tertio aduerte, quod per luporum truculentam, seu crudelem rabiem, idest, rapacitatem, & inuasionem, qui ouili insidiantur, intelligendi sunt dæmones, vel hæretici, ac oppressores, omnes temporales: sicut lupus pro diabolo accipitur in parabola illa Domini de pastore, & mercenario: vbi Ioannes dicit: Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. Alium enim ad luxuriam trahit: alium in auaritiam accendit; alium in superbiam erigit; alium per iracundiam diuidit. Hunc inuidia stimulat; illum fallacia supplantat. Quarto aduerte, quod laquei, seu catenæ, quando illis vinctus erat in carceribus; rupit, sunt Romæ in Ecclesia sancti Petri ad vincula in sacrario repositæ, & cum omni reuerentia custoditæ.

Nota.

Petrus cur dictus sit pastor.

Rabies luporũ quid signat.

Lupus qd. Ioan. 10.

Catenæ quibus vinctus Petrus erat, vbi hodie.

In Festo Sancti Michaelis ad Vesperas Hymnus Undecimus.

Tibi Christe splendor patris:
Vita, virtus cordium:
In conspectu angelorum
Votis, voce psallimus;
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes cæli milites:
Sed precipue primatem
Cælestis exercitus
Michaelem in virtute,
Conterentem zabulon.
Quo custode procul pelle
Rex Christe pijssime
Omne nefas inimici:
Mundo corde, & corpore,
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia:
Gloriam patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus:
Gloriam Paraclito:
Qui trinus, & unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

Mater omnium Ecclesia sancta sciens, Angelos magnam pro nobis sollicitudinem habere; maximeq; erga nos eos esse affectos: (nã, & illis Deus de nobis mandauit, vt custodiant nos) scit namq; creator noster sapiens, ac omnipotens, infirmitatem, ignorantiam, & malitiam nostrã nimis magnã esse, & ob hoc prouidit nobis angelicam custodiam, vt, scilicet, per sanctos angelos subtrahamur ab imminentibus vitijs, à corporalibus quoq; periculis, inducamur autem ab eisdem ad deplangendum peccata præterita; ad præsentia cognoscendum; deniq; ad futura cauendum: Vnde propterea cum regio psalte, dicente: In conspectu angelorum psallã tibi; canticum hoc hymnicum cantat, ita exordiens: *Tibi Christe splendor patris: Vita, virtus cordium. In conspectu angelorum Votis voce psallimus: Alternantes concrepando Melos damus vocibus.* & infra. ¶ In quibus primo collaudatur, & deuotis celebratur laudibus per Ecclesiam Christi benignitas, qui angelis suis mandauit de nobis, vt custodiant nos in omnibus vijs nostris. Secundo hoc præcipue Michaeli fuit commissum, quia ei principatum dedit, & potestatem coërcendi serpentem antiquum. Tertio petimus ab eiusdem serpentis afflatu, & veneno angelico liberari. Secunda ibi est. Sed precipue, &c. Tertia est ibi: Quo custode procul pelle, &c. ¶ Nunc ad istorũ quatuor, ac sequentium etiam huius hymni versuum intelligentiam; item & prosequentis itidem hymni notitiam, notandum primo est: nouem esse, secundum Gregorium per Dionysium; ordines angelorum

Psal. 91. *Hymni author Ecclesia.* *Hymni huius diuisio, & summa.*

rum videlicet: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubin, atq; Seraphin, vt omnes etiã pene sacri eloquij paginę testantur, atq; libri prophetarũ etiam loquuntur. Paulus enim quatuor ordinum nomina enumerat, dicẽs, super omnem principatum, & potestatẽ, & virtutem, & dominationem, & rursus, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Itẽ Isaias, & volauit ad me, inquit, vnus de Seraphin. Dauid quoq; testatur, quod Christus ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorũ. Ezechiel prætereà: Tu signaculum, inquit, similitudinis, plenũ sapientia, & perfectus decore in delitijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardinus, topatius, & iaspis, chrysolit⁹, & onyx, & berillus & saphirus, & carbunculus, & smaragdus. Ecce nouem dixit nomina lapidum; quia profectò nouem ordines angelorum sunt; quibus nimirũ ordinibus ille primus angelus, ideo ornatus, & opertus extitit, quia dum cunctis agminibus angelorum prælatus est, etiã eorum cõparatione clarior fuit. ¶ Secundo notandũ est, quod angeli lingua græca nuntij, Archangeli vero summi nuntij vocantur, quoniã eorum vocabulum nomen est officij, & non naturæ. Etenim sancti illi cælestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquã possunt, quia tũc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Vnde propheta dixit: qui facit angelos suos spiritus; ac si manifeste dixerit, qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, angelos facit. Itẽ notandum est, quod qui minima nuntiant angeli, qui vero summa archangeli vocantur. Hinc est, quod ad Mariam Virginẽ non quilibet angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad huiusmodi nanq; mysteriũ summum venire dignum fuerat. Gabriel, siquidem archangelus fortitudo Dei nominatur. Ideo illũ nuntiare venit, qui ad debellãdas aereas potestates humilis apparere dignatus est: de quo per psal. dicitur: Quis est iste Rex gloriæ: Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio: Dominus virtutũ. ¶ Tertio notandum est, quod quando ad nos aliqui ministratorij angeli veniunt, apud nos etiã à ministerijs trahunt nomẽ, quandoquidẽ Michael vt Deus; Gabriel, vt fortitudo Dei: Raphael vero, vt medicina: Michael siquidẽ antiquum hostem debellauit, & à paradiso eũ expulit. Gabriel nuntiauit fortem illũ Regem, Christum videlicet: Raphael Thobiæ oculos quasi per officiũ curationis tetigit, & cæcitatis illius tersit tenebras. Dicit etiam Gulielmus Durandus, quod quando vnus angelorũ mittitur ad aliquid magnũ, & mirabile faciendũ: is Michael nuncupatur, quoniã eorum, qui mittuntur, princeps est Michael, qui fuit princeps quoq; Ecclesiæ Iudæorũ,

Gregor. in lib. mor. 32. c. 24 & 25.
De pœn. dist. 2. c. praeceptum; & in hom. 3.
Dom. post pen.
Isaias 6.
Psal. 17.
Ezech. 28.
Officium Angeli.
Psal. 103
Officiũ Archãgelorũ.
Psal. 23.

Dan lib. 4. c. 33. n. 19. Daniel. 10 vt habetur in Daniele: Modo autẽ est princeps Ecclesiæ Christianorũ. ¶ Aduertendũ quarto est, quod in festo Michaelis agitur de angelis omnibus, sed tantũ Michael nominatur, quoniã ipse præest paradiso, & ad suscipiẽdas animas est constitutus, & quia hoc festũ est commemoratio victoriæ sancti Michaelis, & inde originẽ sumpsit. Quia cum ipsi barbari depopularentur Apuliã, Christiani triduano ieiunio indicto, sancti Michaelis auxilium implorauerunt, per cuius visibile patrocinium fugã ter dederunt; & Christiani victoriam habuerunt: & quia deniq; Michael est, qui fuit missus in Aegyptum, quiq; fecit illas famosas plagas; qui diuisit mare rubrũ; qui eduxit populũ per desertum, & induxit in terram promissionis. Nos igitur veneramur in tali festo, imo, & in alijs etiã, & etiam in festis solennibus angelos, nouẽ psalmos, nouem lectiones, & nouẽ responsoria; vel loco vltimi: Te Deum; decantantes, vt per cantum istorum ad consortium perueniamus nouem ordinum angelorum. ¶ Aduertendum quinto loco est, quod, secundũ eundem Beatum Gregorium in festo sancti Mihaelis in serm. de angelis; quod virtutes vocãtur illi spiritus, per quos signa, & miracula fiunt. Potestates vero vocantur ij, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt; vt eorũ ditioni virtutes diuersæ subiectæ sint; quorum potestate refrenantur, ne corda hominũ tantum tentare valeant, quantum volunt. Principatus vocantur, qui ipsis quoq; angelorum spiritibus præsunt, qui sibi subiectis alijs, dum quæ sunt agenda disponunt, eisq; ad explenda ministeria principantur, & anteponuntur. Dominationes autẽ vocantur, qui principatus, & dominationes transcẽdunt, & superãt. Throni vero illa agmina sunt vocata, quæ tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis sedeat semper omnipotens Deus ad exercendum iudicium. Throni enim dicti sunt, qui tanta gratia repleti sunt, vt per eos iudicia Deus decernat: Vnde Propheta: Qui sedes super thronum, qui iudicas æquitatem. Cherubim quoq; plenitudo scientiæ dicitur, & idcirco sublimia illa agmina vocata sunt, quæ tanto perfectiori scientia plena sunt, quãto claritatem Dei vicinius hæc contemplantur. Seraphin deniq; vocantur illa sanctorum spirituum agmina, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incorruptibili ardent amore. Vocantur enim Seraphin ardentes, & incendentes; quia ita Deo coniuncti sunt, vt inter hæc, & Deum nulli alij spiritus intersint, tanto magis ardent, quanto ipsum vicinius vident. Vnde bene Dionysius tractans de cælesti hierarchia diuidit totam angelicam naturam in tres hierarchias. Nam prima dicitur supracælestis, in qua tres sunt ordines, scilicet, Seraphim, Cherubim, & Throni. Ideo bene diximus, quod ij sunt alijs viciniores Deo.

Angelus Michael præest paradiso ad suscipiendas animas.

Virtutum officium.

Potestatũ officium.

Principatuũ officiũ.

Dominationum officium.

Thronorũ officium.

Psal. 9.

Officium Cherubim.

Angelica natura diuiditur in tres hierarchias.

Secun-

Secunda hierarchia dicitur cælestis, in qua sunt alij tres ordines, scilicet, dominationes, principatus, & potestates. Tertia dicitur subcælestis, in qua sunt alij tres ordines, scilicet, Archangeli, & Angeli. Vnde licet omnes istæ tres hierarchiæ incessabili voce laudent Deum dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus; prima tamen est præcipue dedicata (vt paulo ante tetigimus) ad confessionem, & laudem Dei. Secunda ad decorem, & regimen totius vniuersi in generali. Tertia dedicata est ad regimina particularia partium vniuersi. Nam ordo virtutum est dedicatus ad mouendum cælos, & elementa, ad resistendum aeris potestatibus, & ciuitatum, ne quid contra moliantur. Archangeli vero sunt dedicati ad custodiam regnorum, & ciuitatum. Angeli autem custodiã ad vniuscuiusq; hominis. ¶ Quinto aduertendum est circa prępositam hymni partem, & literam, quod tres hic Christi dominationes ponuntur, nempe prima, quod sit splendor patris, secunda quod sit vita. Tertia est, quod virtus cordium. Quod autem sit splendor patris patet ex dictis Apostoli. Hæb. 1. dicentis. Qui cum sit splendor paternæ gloriæ, &c. Quomodo autem dicitur esse splendor patris, supra inquam plurimis locis dictum est. Quod vero sit vita, similiter euadit clarum. Nam inquantum Deus, omnia per ipsum facta sunt, & ab eo emanant omnia creata, sicut radij solares à sole: ideo omnia habent ab eo, & in eo vitam, & esse, ac conseruantur in esse. Nam in tantum res sunt, inquantum verbum influit in eis vitam, & esse, ergo Christus vita est omnium. Porro cordium item virtus hic esse dicitur Christus, idest, animarum: locum enim posuit pro locato, quia pro corde animam hic hymni auctor intelligit, quę sedem habet in corde eadem ratione, qua ipse est & vita. Vnde quemadmodum viuit corpus per animam, ita viuit anima per Christum: Et sicut anima virtus est, & vita corporis, & propter hoc absq; ea corpus momento subsistere non potest, sed marcescit, & euanescit: ita animarum, & cordium nostrorum vita, & virtus Christus est, quo sine, haud per momentum viuere, & subsistere possent. In ipso enim viuimus, & mouemur. Amplius versus hic tertio loco positus, desumptus videtur ex illo Dauidis, in conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Alternantes concrepamus ergo, cum diuinas concinendo laudes, ac personando carmen suaue, alternamus vices, & alternatim cantamus, &. *Collaudamus venerantes Omnes cæli milites: Sed præcipue primatem Cælestis exercitus Michaelem in virtute Conterentem Zabulon.* ¶ Hic ad intelligentiam istorum versuum aduertendum est primo, quomodo Michael sit princeps cælestis

Quælibet hierarchia cui dedicata sit.

Christi tres dominationes.

Christus est splendor patris, & quomodo remissive.

Christus quomodo sit vita.

Christus quomodo est virtus cordium.

Comparatio.

Tertius hic hymni versus vnde sumptus.

Psal. 137.

stis exercitus: Secundo quomodo antiquum hostem contriuerit. Tertio quid Zabulon hic designat, & quis Zabulon. Ad primum dicimus, Michaëlem Archangelorum primum, & principem esse cælestis exercitus, & bene, quoniam à Domino per Danielem. 10. dicitur: Nemo est adiutor meus, nisi Michaël princeps noster. Item quod Michaël Archangelus insigni virtute antiquum hostem, & draconem contriuerit, clarum euadit ex reuelationibus sancti Ioannis Apoc, 12. factum est prælium, inquit, magnum in Cælo: Michael, & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus est eorum amplius in cælo, quoniam, vel in infernum, vel in caliginosum aerem, qui est in medio interstitio aeris, corruerunt. Dæmones enim non sunt in superiori parte aeris, ne lumine gaudeant, nec sunt in parte inferiori, ne nimis contra nos sæuiant. Cæterum per Zabulon non intelligas hic filium Liæ, vt Genes. 30. sed hoc loci Zabulon accipitur (sicut sæpius etiam in sacris litteris) Dæmon, & Diabolus, qui interpretatur fluxus noctis, fluens per instabilitatem, & inconstantiam, atq; mutabilitatem in deterius, & noctis habens notam propter spirituales tenebras, quibus, & ipse circumfusus.

Michael quomodo princeps sit cælestis exercitus.

Michael quomodo draconem contriuit.

Casus dæmonũ qualis.

Dæmones in quẽ locũ detrusi.

Genes. 30.

Quo custode procul pelle Rex Christe pijssime Omne nefas inimici: Mundo corde, & corpore, Paradiso redde tuo Nos sola clementia.

¶ Quemadmodum per solam Dei misericordiam factum est, quia non sumus consumpti, sicuti nostra exigunt peccata: ita soli diuinæ ascribendum est misericordiæ, quod in cælestem gloriam panditur nobis introitus. Non autem ex operibus, quamuis ipsa etiam sint necessaria, secundum quod scribit Mathæus: si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Dicit enim ipse, quod hoc apud homines impossibile est, apud Deum vero omnia possibilia. Humili ergo dicamus confessione cum Apostolo, quod non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam saluos nos fecit in regno suo cælesti, & sola misericordia Dei speremus saluari, neq; fiduciæ operum nostrorum, tanquam baculo arundineo innitamur. Itaq; per custodiam S. Michaëlis Archãgeli petimus hic primo impedimenta boni, & occasiones peccandi à nobis remoueri, tentationes ipsum mitigare, contra hostes visibiles adiuuare, orationes nostras, & eleemosynas Deo præsentare, & pro nobis orare, viam ostendere, in agendis docere, seipsum, & alia secreta reuelare, à peccatis excitare, ad feruorem mutare, consolari, peccatis increpare, contrarias potestates arcere, ne tantum nocere valeat inimicus, quantum vellet. Secundo aduerte in constructione, quod per inimicum, Diabolum hic intelligimus, iuxta

Math. 19.

Angelica custodia effectus multiplex.

Inimicus quid.

iuxta illud,& venit inimicus homo,& superseminauit zizaniam. Per cor vero, & corpus accipere possumus animam,& corpus nostrum. At per Paradisum requiem sempiternam intellige. Paradisus enim, iucundum Albertum Magnum, Luc. 23. non solum est illa terrestris regio prima nostrorum immortalium corporum, antequam caderent per peccatum: plantauerat enim Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo, &c. verum etiam dicitur paradisus regio beatorum spirituum, deitate præsentialiter fruentium. Hæc autem regio beatorum Spirituum est in omni loco, vbi se deitas ad fruendum exhibet siue in Cælo, siue in terra, siue etiam in limbo patrum, ad quem post mortem etiam Christi descendit. Aliquando vero paradisus dicitur deliciæ animæ sanctæ in consolationibus diuinis Eccles. 40. Timor Domini, sicut paradisus benedictionis. Aliquando pulchritudo conuersationis sanctorum. Eccles. 41. gratia sicut paradisus in benedictionibus. Aliquando dicitur amœnitas habitationis sanctorum. Genes. 13. Regio Iordanis vniuersa irrigabitur, sicut paradisus. Aliquando dicitur multiplicitas amœnitatis scripturarum. Eccles. 24. Ego sicut aquæductus exiui de paradiso. Aliquando dicitur vbertas cordis pleni scientijs, & virtutibus. Genes. 4. emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Et nota, quod dicitur paradisus, quasi parans Dei visum vel paratis dans visum. Cæterum sic sola Dei clementia, misericordiaque, ac eius benignitate rogamus nos cælo, paradisoq; dignari, ac eius absoluta potentia intra beatitudinis ianuam nos recipi. Verum in hymno Dedicationis Ecclesiæ in cælum, & in paradisum introduci confitemur omnes, qui hic in mundo legem Christi plene adimpleuerint, quiq; ob nomen Christi fuerint passi pressuras, quæ ad vitam ducunt æternam. *Gloria patri melodis Personemus vocibus: Gloriam Christo canamus: Gloriam paraclyto: Qui trinus, & vnus Deus Extat ante sæcula.* Amen. ¶ Aduertendum est hoc loco circa hoc vltimum carmen, quod huius hymni Author dicit canendam esse gloriam Patri, Filio, & Spiritui sancto, trino, & Vni Deo, qui extat ante sæcula, ad excludendum quorundam Hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed à tempore cæpisse, blasphemabant. Vnde propter hanc blasphemiam patres Vasensis Concilij statuerunt, vt in omnibus clausulis post gloriam patri; &c. sicut erat in principio, &c. dicatur etiam.

Cor. & corpus, quid.

Paradisus quid sit.

Genes. 2.

Regio beatorum spirituũ, deitate fruentium dicitur paradisus.

In

In Festo Sancti Michaelis Archangeli ad Laudes Hymnus Duodecimus.

CHriste sanctorum decus
Angelorum:
Rector humani generis, &
author:
Nobis æternum tribue beni-
gnus
Scandere cælum.
Angelum pacis Michael ad istã
Cælitus mitti rogitamus au-
dam:
Nobis & crebro veniente
crescant
Prospera cuncta.
Angelus fortis Gabriel, vt ho-
stem
Pellat antiquũ, uolitet ab alto,
Sæpius templum veniens ad
istud
Visere nostrum.
Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cælis Raphael, vt
omnes
Sanet ægrotos, pariterq; no-
stros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Ma-(ria,
Totus & nobis chorus Ange-
lorum
Semper assistat simul, & beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis deitas beata,
&c. Amen.

SAncta Mater Ecclesia, postquam in generali (sibi primo Christum beneuolum faciens) humilibus precibus deprecans omnes cæli milites, & Angelos miris collaudauit preconijs, & laudibus, sed precipue Archangelum Michaelem, cælestis exercitus primatem: iterum se præparat ad Christum orandum, ab eo petens ex omnibus sanctis sibi propitios, & intercessores dari hos tres in auxilium Archangelos, & munimen, videlicet, Michaelẽ, Gabrielẽ, & Raphaelẽ, ita ad eum alloquens. *Christe sanctorum decus Angelorum: Rector humani generis, & Author: Nobis æternum tribue benignus Scandere cælum.* & quæ sequuntur. ¶ In quibus tria fiut. Primo, vt diximus, inuocatur diuina bonitas. Secundo eadem rogatur, vt Angelico nos muniat præsidio. Tertio vt ab hostilibus insidijs, & ab incursibus immunes nos reddat. Secunda est ibi. Angelus pacis. Tertia est ibi. Angelus fortis. ¶ Igitur ad præmissorum horum quatuor versuum intelligentiam, quomodo sit Deus Angelorum primo notandum est. Secundo quomodo sit rector humani

Hymni huius author Ecclesia.

..ani generis. Tertio quotuplex sit cælum, & quod nam cælum nos prouehi desideramus. Ad primum dicimus, quod Christus est decus sanctorum Angelorum, non autem malorum. Ecclesia enim sancta facit inuocationes ad omnes, & singulos bonos Angelos. Ad secundum propositum dicimus, quod si quis vult scire, Christum esse humani generi Rectorem, & quomodo, videat, quæ dicta sunt supra in superiorib' hymnis, & præfert m in hymno Sextæ, qui incipit. Rector potens &c. & in multis etiam alijs locis. Ad tertium diximus, quod secundum Ludolphum de vita Christi. cap. 44. de electorum consolatione, triplex est cælum: primum est aereum, in quo aues volitant. Secundum cælum est sidereum, in quo sidera stant. Tertium empyreum, in quo Deus, & sancti habitant. Nos ergo hoc loco istud tertium cælum desideramus, vt faciat nos ascendere Deus. Amen. *Angelum pacis Michael ad istam Cælitus mitti rogitamus aulã: Nobis vt crebro veniente crescant Prospera cuncta.* ¶ Ad intelligentiam verborum horum primo præmittendum est vnum notabile. Secundo videndum est, quid aula hic designet. Tertio cognoscendum cur Michael dicitur pacis Angelus. Ad primum dicimus, quod quamquam nomen istud Michael in viridi, & trito, ac vulgato vsu declinationem recipit, tamen hic (quia eius obliquus non fuisset aptus carmini) ponitur indeclinabile. Ad secundum dicimus, quod aula, & si hystorice, regiam, seu palatium Regis signet, hic tamen Dei Ecclesiam significat, in qua Christi fideles ita existunt, sicut in aula Regis permanent, & habitant aulici ad obsequium principis. Ad tertium dicimus, quod Michael dicitur angelus pacis, quod cælestis militiæ, & exercitus existens primus, ac princeps, pacem in cælo posuit, ac constituit, Christum vltra omnes Angelos diligens. *Angelus fortis Gabriel, vt hostem Pellat antiqum, volitet ab alto: Sæpius templum veniens ad istud Visere nostrum.* ¶ Ad pinguiorem præmissorum verborum notitiam notandum primo, quomodo Gabriel interpretatur. Secundo videndum, quid hic antiquum hostem accipiamus. Tertio, quid intelligamus per templum. Ad primum dicimus, Ecclesiam hic alludere ad interpretationem huius nominis, Gabriel, quod tantundem valet, sicut fortitudo Dei, vt etiam supradictum est, & proin de Beda in Euangelio Lucæ primo dicebat. Raro legimus, quia apparentes hominibus Angeli designentur ex nomine. Verum quotiescunq; fit, ideo vtiq; fit, vt etiam nomine ipso, quod ministratum veniant, insinuent. Gabriel namq; fortitudo Dei dicitur, & merito tali nomine præfulget, quoniam nasciturо in carne Domino testimonium perhibet. Illum enim nunciare venit, quem diuinus Psaltes

Christus Angelorũ decus. & quomodo.

Christus quomodo sit humani generis Rector, remissiue.

Cælũ quotuplex.

Notabile.

Aula quid designat.

Pacis Angelus cur dicitur Michael.

Gabriel, idẽ valet, quod fortitudo Dei.

Psal. 44.

tes

tes Dominum fortem, & potentem, Dominum potentem in prælio, vocauit. Ad secundum dicimus, quod per antiquum hostem hic diabolum intelligimus, qui antiquitus aduersarius nostrorum parentum, & nunc nobis posteris eorum fuit, estq;. Ad tertium dicimus, quod templum hoc loco Ecclesiam, hoc est, Christi fidelium congregationem, & vnionem; iuxta illud Domini nostri Iesu Christi. Ioann. 2. &c. ex multis. 1. q. 2. qui emcntes, & vendentes eiecit de templo, idest, de Ecclesia, & consortio fidelium. Nam ipsi fideles sunt domus Dei, & templum Dei. Templum ergo hic Ecclesiam significat. Ad quod, qui non confugiunt, salui fieri non possunt. Refert enim sanctus Augustinus, quod Romulus construxit templum, quod Asylum nominauit, & statuit quod quicunq; fugerent ad illud, essent salui, & liberi ab omni pœna, sic & Christus Dominus noster fundauit sanctam Matrem Ecclesiam, & ordinauit, vt quicunq; ad illam confugerent, saluarentur. Vnde prouer. 18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Et dicitur templum, quasi tectum altum. Aliquando tamen nomine templi sacratissimum Domini corpus in sanctis eloquijs nuncupatur; quod in eo habitauerit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt in euangelio Ioann. 2. soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, quod verbum Euangelista perhibet Dominum dixisse de templo corporis sui. Simili modo intelligitur illud Ezechielis. 47. Et conuerti me, inqnit, ad portam domus, & ecce aquæ subter limen domus ad Orientem. Aquæ autem descendebat in latus templi, scilicet, corporis Domini nostri Iesu Christi, dexterum, & sanabuntur omnia, & viuent, ad quæ venerit torrens. *Angelum nobis medicum salutis Mitte de cælis Raphael, vt omnes Sanet ægrotos: pariterq; nostros Dirigat actus.*

Antiquus hostis quis. *Templum quid significat.* *Cap. in domo dist. 4.* *Aug. de Ciuit. Dei. cap. 17.* *Templum unde dicitur.* *Templi nomine quid* *Ezech. 47*

¶Duo hic à Deo per Raphaelem Angelum fieri pro nobis petimus, nempe, quod, quemadmodum exibuit medicinam Tobiæ, & filium Tobiam iuniorem nomine duxit in regionem Medorum: sic oculis nostris lubricis, & lasciuis affectis medeatur, pariterq; in futurum illos ad bonum cæleste optandum, ac volendum, & non solum oculos, verum, & omnes nostras operationes dirigat. Quod autem Archangelus Raphael medicus sit, ac sic vocetur, ex sacra Tobiæ historia constat. Vbi inuenimus Tobiam ereptum fuisse per Raphaelem Archangelum, ab immanis piscis deuoratione: ac etiam ipsum Angelum compescuisse, ac confregisse dæmonium: quod septem Sarræ maritos strangulauerat. Deniq; iecure eiusdem piscis super carbonibus posito, felle illius immanis piscis oculis Tobiæ senioris posito per filium, visum patri suo extemplo restituit.

Tobiæ. 11. & 12. *Tobiæ. 6. & 11.*

tuit. *Hinc nostri Dei genetrix Maria: Totus & nobis chorus. Angelorum Semper assistat, simul & beata Concio tota.* ¶ Ad hæc intelligenda carmina tria præmitte præaduertenda: primum est, cur Beata Maria dicitur Dei genitrix. Secundum, quid concio, & quid signet. Tertium quid chorus sit, & signet. Ad primum dicimus, quod virgo Maria theotocos, idest, Deipara, Deiq; genitrix dicitur, secundum beatum Ioannem Damascenum contra Nestorianos optime disputans, dum inquit. Deiparam, Dei genitricem, Deiq; parentem, & proprie, & vere sanctam celebramus. Nam vt verus Deus est, qui ex ipsa natus est: ita vera Dei genitrix verum Deum ex ipsa virgine natum genuit. Semper igitur, & omni tempore nobis omnibus tota concio, & exercitus Angelorum assistat, & intercedat pro nobis. Sed roget hic aliquis, & dicet, quota est ista Angelorum concio, seu numerus? Respondeo, quod nouẽ sunt ordines Angelorũ, & quilibet ordo habet suas legiones: legio autẽ Angelorũ habet, secundum sacros theologos; *6666.* vnitates. Tot autem in singulis ordinibus sunt legiones, quot in legione sunt vnitates. Sed aduerte, quod concio aliquando locum suggestum signat, vnde ad populum verba fiunt, aliquando ipsam orationem, quæ habetur ad populum, aliquando ipsam populi multitudinem conuocatam ad audiendum concionantem, & concionari is dicitur, qui publicam orationem habet. Potest etiam per concionem hic intelligi omnis sanctorum chorus, & beatorum concio. Quo vero ad tertium dicimus, chorum, vt notatur in .l. cum eiusdem .ff. de edilitio edicto, varia significata habere vltra id, quod hic ponitur, vt Angelorum multitudo, ac exercitus dicatur hic esse. Nam aliquando ponitur chorus pro numero personarum ad psallendum destinatarum cum instrumento quodam. Quandoque pro mensura, quandoque pro loco accipitur, & ordine. Quandoque pro vento, vnde dicitur: Cantat dulce chorus, bacchatur flamine chorus: est mensura chorus, locus, & ordo chorus.

Maria Virgo cur dicitur theotocos, idest, Deipara, Deiq; genitrix.

Numerus Angelorũ indicibilis.

Cõcio quid signat.

.L. cũ eiusdem .ff. de edil. edic.

Chorus qd

In Festo omnium Sanctorum ad Vesperas Hymnus Tertiusdecimus.

CHriste redemptor omnium
Conserua tuos famulos
Beatæ semper virginis
Placatus sanctis precibus.

Beata

Beata quoq; agmina
Cælestium spirituum
Præterita præsentia,
Futura mala pellite.
Vates æterni iudicis:
Apostoliq; Domini:
Suppliciter exposcimus
Saluari vestris precibus.
Martyres Dei inclyti,
Confessoresq; lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in cælestibus.
Chori sanctarum Virginum
Monachorumq; omnium,
Simul cum sanctis omnibus
Consortes Christi facite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus:
Vt Christo laudes debitas
Persoluamus alacriter.
Gloria patri ingenito,
Eiusq; vnigenito
Vna cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Guliel. Durant. Rat. lib. 8. cap. 37.

CVm singula idola Romanorum Romæ templum habere non possent; Romani vnum templum in honorem Cybeles matris Deorum, & omnium Deorum ipsorum fecerunt: successu vero temporis Bonifacius Papa petijt à Phoca Cæsare Imperatore Constantinopolitano, qui Romanis præerat templum illud sibi dari. Quo obtento abiectis indę idolis, dicauit illud quarto Idus Maij ad honorem Beatæ Mariæ Virginis: quod hodie vocatur templum sanctæ Mariæ Rotundæ, & omnium Martyrum, & tunc dicebatur festum illud Beatæ Marię ad Martyres. Non dum enim fiebat de confessoribus, sed solum martyribus. Statuit ergo idem Papa, vt singulis annis illa die celebraretur festum de Martyribus. Verum Gregorius Quartus hunc diem festum Martyrum transtulit ad calendas Nouembris, instituens tunc fieri festum non solum Apostolorum, & Martyrum; sed etiam Trinitatis, Angelorum, & confessorum generaliter, & omnium sanctorum, & sanctarum, & etiam electorum, tum propter præmissam templi dedicationem, tum propter omissorum festorum suppletionem. Non enim propter ipsorum multitudinem de omnibus festare specialiter valemus tum & propter negligentiam in festis, quæ celebramus, tum demum propter faciliorem orationuum nostrarum impetrationem, facilius, quod petimus, obtinebimus, si simul omnes intercedant pro nobis, quia impossibile multitudinem non exaudiri. Vnde in oratione omnium sanctorum hodię dicimus, multiplicatis intercessoribus largiaris. Vnde ideo Ecclesia sancta prosequitur huiusmodi celebrare festum in dies magis, præconiaq; sanctorum omnium in hymnis, & canticis, idest, cantando confitetur hodie, & commemorat dicens. *Christe redemptor omnium*: *Conserua tuos famulos Beatæ semper Virgi-*

Templum sanctæ Mariæ Rotundæ quo nomine olim appellabatur.

Virginis : Placatus sanctis precibus . & infra . ¶ In quibus Dei Ecclesia per Beatum Ambrosium huius præsentis hymni authorem ad omnes sanctorum ordines dirigit orationem , vtpote ad Deum primo : secundo ad sacrosanctam Dei matrem : tertio ad spiritus angelicos: quarto ad sanctos Prophetas: quinto ad sanctos Apostolos: sexto ad sanctos Martyres : septimo ad sanctos Confessores: octauo ad sanctas Virgines ; vt primo à nobis hostium nostrorum propellant ferociam,atq; molestiam. Secundo, vt æterni Regni consortium nobis indulgeant . Tertio , vt suæ gloriæ participes nos faciant . Amen . ¶ Ad præmissa ergo quatuor carmina melius intelligenda primo videndum est,quomodo Christus redemptor sit omnium. Secundo dicendum est , qui sint Christi famuli . Tertio aduertendum est , cur precibus Beatæ Mariæ Virginis vti , & inniti nos opotet ad Christum placandum . Ad primum dicimus,quod supra in sexcentis fere locis dictum est, quomodo Christus sit omnium hominum Redemptor , quantum ex parte ipsius ; qui vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire,& quia pro omnibus copiosissime satisfecit, propter quod dicitur redemptor omnium quantum ad sufficientiam . Electorum vero quantum ad efficientiam ; quoniam dominicæ passionis consequuntur finaliter fructum ac consummatum effectum . Vide ergo,quæ supra diximus . Ad secundum dicimus,quod qui Christum famulantur , idest, qui illum interius,exteriusq; colunt,quiq; eius legem,ac præcepta obseruant, ipsi vere Christi sunt famuli, ipsi quidem salutem æternam profecto sperare possunt . Eos enim ipse Christus in suam sanctam,ac singularem misericordiam , & in sinum misericordiæ suæ , imo & eorum animam , & corpus suscipit , & regit , & saluat . Omnem enim spem suam , consolationem , omnes angustias , & miserias eorum , & vitam ipsam,imo & finem vitæ suæ ipsi condonant committuntq; tanquam omnium hominum salutis mediatori. At qui Christo non seruiunt , nec famulantur , quam mercedem habebunt ? quam , inquam , salutem spectabunt ? Heu ecce, qui se elongant à te,ò Christe , peribunt , quia perdis omnes, qui fornicantur à Domino . Nobis ergo inseruire,& adhærere Deo bonum est ; & ponere in Domino spem nostram . Ad tertium dicimus , quod procurare nos multum debemus ; vt Mariam Virginem mediatricem habeamus , quæ intercedat pro nobis peccatoribus apud Christum eius filium Dominum nostrum . Nam cum omnes peccatores contra Deum patrem per inobedientiam , & præuaricantes eius præcepta : ideo per talem culpam occultam , & peccata publica merentur in futuro pœnam æternam , & pœnas æternales in præsenti : de quibus ne-

Hymni huius author Beatus Ambrosius

Hymni huius diuisio, & summa.

Christus quomodo sit redemptor omnium.

Psal. 72.

Nota.

Precibus B. Mariæ cur nobis vti opus sit.

Nota rationē hanc.

mo poteſt liberari, niſi per interceſſionem Chriſti mediatoris. Et cum omnes peccatores etiam poſt baptiſmum vltra hoc peccatum inobedientiæ contra Deum patrem peccent etiam grauiter per ingratitudinem contra Filium, eo quod eos redemit per ſuam paſſionem, & fecit eos ſuæ paſſionis participes per baptiſmum, & ideo peccando poſt baptiſmum videntur contemnere, & deſpicere paſſionem Chriſti, & ſic nullus peccator meretur, quod Chriſtus amplius intercedat pro ipſo apud Patrem, ſine cuius interceſſione nemo poteſt liberari à pœna æterna, nec temporali, nec à culpa, quam ipſe voluntarie contraxit. Vnde iſtis ſic ſtantibus, propter conſeruationem Reipublicæ militantis, & ad reparationem Reipublicæ triumphantis, & ad complendum numerum electorum, neceſſe fuit, vt conſtitueret Chriſtus mediatricem Virginem matrem ſuam, inter nos, & ipſum; poſtquam eius eſt tendere in finem, & præparare, & diſponere ea, quæ ſunt ad finem, vt in ſimilibus caſibus intercedat pro nobis inter nos, & ipſum: & mitiget iram eius propter talem ingratitudinem, & vt Filius placatus precibus matris intercedat pro nobis apud Patrem: & ideo dicit Beatus Bernardus, quod ſicut Filius pro nobis ſemper oſtendit Patri latus, & vulnera: ita Mater Filio pectus, & vbera. Et concludimus, quod in hac peregrinatione non relinquitur nobis aliud refugium in noſtris tribulationibus, & aduerſitatibus, niſi recurrere ad Virginem Mariam mediatricem, vt velit placare iram Filij; qui permittit nos flagellari propter ingratitudinem noſtram. *Beata quoq; agmina Cæleſtium ſpirituum: Præterita, præſentia, Futura mala pellite.* ¶ Et dicimus tibi, o Domine, tua bonitate, clementiaq; prȩterita mala noſtra deleantur, & data facili venia, abſoluantur. Præſentia vero mala noſtra, fac vt emendentur in melius, & tollantur per pœnitentiam, ac planctum noſtrum. Futura demum mala, ſeu peccata, hoc eſt, peccare nobis minime contingat; & hoc fac Domine per agmina cȩleſtium ſpirituum; neq; ſinamur in illa amplius prolabi. Nam ſicut præteritorum, ſiue præſentium malorum, ideſt, peccatorum ſine Dei miſericordia non poſſumus remiſſionem aſſequi: ita neq; futura declinare valemus, aut euitare; niſi diuina nobis virtus animum, vireſq; miniſtret, vt in alijs locis iam diximus ſupra. *Vates æterni iudicis: Apoſtoliq; Domini: ſuppliciter expoſcimus Saluari veſtris precibus.* ¶ Cum Prophetæ, qui hic appellantur vates, per familiarem doctrinam angelorum, imo, & per Dei locutionem myſterij incarnationis Chriſti conſcij fuerint: Apoſtoli vero, id quod Prophetæ in ænigmate, & figura viderunt oculis corporis, & mentis, & per effectum, & hyſtoriam

Peccatum contra Dei Filium.

Maria Virgo mater Dei mediatrix eſt inter Deum, & hominem.

Peccata vitare, & bonum facere nō poſſumus ſine Deo.

Matth. 11

ſtoriam viderint: vnde Saluator ait: Beati oculi, &c. ideo digni quidem ſunt, vt à nobis inuocentur, vt ſuis precibus ſalutem conſequamur. Per vates ergo hic accipe omnes ſanctos Prophetas, qui vnum peculiarem ſanctorum inſtituunt ordinem. Et dicitur vates à vi mentis. Vnde æterni iudices Vates merito hic eſſe dicuntur; quoniam omnes fere de futuro Domini æterni aduentu ad iudicium perhibuerunt teſtimonium, vt patet apud pſaltem dicentem: quia venit, quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terrę in æquitate, & populos in veritate ſua. & Ioel: Congregabo, inquit, omnes gentes, & adducam eos in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis. Et Sophias: Iuxta eſt, inquit, dies Domini magnus, iuxta eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Et Aggęus adhuc vnum modicum eſt, inquit, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et Ioannes Baptiſta: (qui inter omnes Prophetas principatum habet, & primum ſibi vendicat locum:) de æterno iudice conteſtans, dicit, quod eius ventilabrum in manu ſua, & permundabit arenam ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili. Sed Apoſtoli Domini ſunt duodecim illi Chriſti, quos Sanctus Lucas enumerat in Euangelio, & gloſ. in c. vnico de reliquijs, & ven. Sanct. in 6. & iſti ſancti Apoſtoli dicuntur ab apò, quod eſt de; & ſtolon, quod eſt miſſio, quod à Deo, vel à Cęlo miſſi fuerint. Marcus enim ait de illis, & vocauit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis Dominus poteſtatem ſpirituum immundorum; nam Bartholomæus, & Thomas fuerunt miſſi ad regna Indorum: Andreas apud Scytas & Simon: Matthæus profectus eſt in Aetiopiam: Philippus in Samariam, & Galilæam: Iacobus in Hiſpaniam: Paulus in Græciam, vſq; ad Italiam: Iudas, & Petrus per totam Chaldæam. *Martyres Dei inclyti: Confeſſoreſq; lucidi: Veſtris orationibus Nos ferte in cæleſtibus.* ¶ Ad iſtorum verſuum veram elucidationem primo videndum eſt, qui nam dicantur eſſe martyres inclyti. Secundo an Martyrum nomine includatur Maria Virgo Mater Dei. Tertio cognoſcendum eſt, qui nam ſint confeſſores lucidi. Ad primum dicimus, quod martyres inclyti ſunt illi, qui pro Chriſto, pro fide eiuſdem, ſpe, veritate, charitateq;, ac iuſtitia viriliter vſq; ad mortem certarunt. Quorum alij ferro perempti: alij flammis exuſti: alij flagris verberati: alij vectibus perforati: alij patibulo cruciati: alij pelagi periculo: alij viui decoriati: alij vinculis mancipati: alij linguis priuati: alij lapidibus obruti: alij frigore afflicti: alij fame cruciati:

Vates qui. *Pſal. 49.* *Ioel. 3.* *Sophias.* *Aggæus 2.* *Matth. 3.* *Luc. 6.* *Apoſtoli qui.* *Martyres inclyti qui.*

alij vero truncati manibus, siue cæteris membris cæsi, spectaculum contumeliæ in populis nudi propter nomen Domini portantes, triumphatores amici Dei facti sunt. Qui contemnentes sceleratorum iussa principum modo coronantur, & accipiunt palmas laborum, quia dum præliabantur, fundati erant supra firmam petram, idest, Christum. De quibus Apostolus mente compunctus ingemiscens ait: Sancti ludibria, & verbera experti sunt, insuper & vincula, & carceres experti sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasionem gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Item Beatus Gregorius in expositione euangeliorum de istiusmodi bellatoribus querimoniam faciendo: Ecce, inquit, electi carnem domant: spiritum roborant: Dæmonibus imperant: virtutibus coruscant: præsentia despiciunt: æternam patriam vocibus, & moribus prædicant: eam etiam moriendo diligunt; atq; ad illam per tormenta pertingunt: occidi possunt, flecti nequeunt; & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis bene disponuntur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probauit illos, & sic tandem quasi holocausti hostiam accepit eos. Præterea nullatenus dubites, quin Beata Dei genitrix semper Virgo Maria non veniat hic martyrum appellatione, ea si quidem magis dolebat in verberibus, & flagellis, & vulneribus Christi in anima sua, quam, si ipsa passa fuisset illa vulnera, & flagella in carne sua, quia illa passio Christi amati magis penetrabat animam Virginis, quam tormenta Laurentij, & Vincentij penetrauerint animas eorum. Et ideo dixit Simeon: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, idest, dolor passionis Filij tui, pertransibit, & torquebit animam tuam. Et sic patet qualiter Virgo Maria fuit passa realiter martyrium in Christo quo ad animam. Vbi realiter, & formaliter est dolor. In corpore vero materialiter tantum. Et per consequens in tantum Virgo Maria fuit magis, & aliter martyr pro Christo, quantum vehementius, & atrocius fuit passa in anima, quam Laurentius, & cęteri martyres in carne, qui quidem dolor animæ Virginis etiam redundabat in carnem, quia spiritus tristis desiccat ossa. Audiuimus martyrum Christi certamina: nunc de Christi sacerdotibus, doctoribus, ac confessoribus dicamus. Et lucidi quidem sunt confessores, qui corda fidelium spiritualiter, quasi imbribus irrigant cælestibus,

Hebr. 12. *Gregor.* *Maria Virgo fuit martyr.* *Martyr omnium maxima.* *Luc. 2.* *Gladius pro dolore ponitur.* *Prouer. 17.* *Confessores lucidi qui.*

vt fœ-

vt fœliciter proferre immarcescibilem bonorum operum possint fructum, qui talenta sibi credita non solum reddere; sed & cum vsura sine fraude amplificare curauerunt. Quorum mens lucidissima, manus vero sunt plenæ munditia; eo quod in mensa altaris sacrosancta Christi corporis, & sanguinis mysteria celebrantes in suis cordis penetralibus hostiam viuam, Deoq; placentem, idest, semetipsos sine macula, atq; admixtione praui operis offerre, non desistant. *Chorus sacratus virginum: Monachorumq; omnium: Simul cum sanctis omnibus. Consortes Christi facite.* ¶ Per chorum sacratum virginum hic intelligere debemus omnes mixtim sanctos tum prophetas, tũ apostolos, martyresq; ac castas omnes virgines, lucidissimosq; etiam confessores; nec non monachos omnes, qui cũ mulieribus nullus supradictorum sunt coinquinati, virgines enim semper fuerunt; & sic nunc sunt chorus coram Deo virginum, & sequuntur agnum, idest, Christum, eiq; singulari singularitate adhęrent; quia sine macula sunt ante thronum Dei: ideo rogamus eos, vt Christi eiusq; cælestis Regni comparticipes nos faciant. Similiter hic ad omnes monachos orationem dirigimus: vt nos cohæredes Christi faciant. Toto enim eorum posse mente reclusa, & abstracta, & ab omnibus caducis, Dominoq; etiam cordis puritate vacauerunt, eiq; semper mancipati, & dicati permanserunt, nullo vnquam tempore, aut solo corde, aut corpore, apostatæ facti sunt; nullatenusq; retro vnquam respexerunt, postquam manum ad aratrum posuerunt; & bene. Nihil enim angelis clarius, nihil Deo acceptius, nihil homini fructuosius, quam in suscepta religione persistere, iuraq; obseruantiæ obseruare, & complere. Ideo, ò sancti Dei omnes supradicti, vt libere, & absolute Christo debitas laudes dare possimus. *Gentem auferte perfidam Credentium de finibus: Vt laudes Christo debitas Persoluamus alacriter.* ¶ Propria perfida gentis, seu perfidi significatio est, qua is dicitur perfidus, qui periurus, qui fidem, & iusiurandum fregit, & qui datam fidem violat; & perfidia dicitur esse fidei datæ violatio. Generali tamẽ nũcupatione etiam ille nominatur, qui fidem non profitetur, quam deberet amplecti. Cum igitur Agareni, & Turcæ aspernentur, ludibrioq; habeant fidem Christianam, ad quam tamen capessendam astringuntur. Nam qui non crediderit, condemnabitur: & qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei, ideo omnis illorum caterua gens perfida hic esse dicitur: quam, vt Deus auferat de finibus credentium, & maxime Deum orare debemus, ne nobiscum conuersantes ipsi nos sibi ipsis redderent similes. Cũ peruerso enim peruerteris, & qui communicauerit superbo, superbiam induet,

Appellatione sacrati chori Virginum quid.

Luc. 9.

Nil Deo acceptius, quã in suscepta religione persistere.

Gens perfida qua sit.

Perfidia quid.

Ioan. 3.

Psal. 17.

Ecclesi. 14.

induet,& qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Vt ergo diuinis liberius rebus intendamus, fas est, vt abrogemus gentes perfidas, hoc est, peruersos omnes,& à Christiana religione alienos, vel omnino abolere, vt deficiant (vt poposcit propheta etiam) peccatores à terra,& iniqui, ita vt non sint; vel ita abstergere, vt in omnibus nobis Christi fidelibus conueniant: vel per gentem perfidam intellige idolatras,Saracenos, & sequaces antichristi. Sed melius est dicere gentem perfidam,idest,sectam Machomericam,quæ dicit quotidie: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei,idest,totam Ecclesiam Dei,hæreditate,id est, quæ statuit subijcere sibi totā Christianam religionem Omnes ergo hic principes Machometanorum,scilicet,Arabes,& Turcas, & Tartaros pone Domine, vt rotam, quæ quidem rota non est stabilis,sed pars summa cadit, & fit infima, sic isti cadant,& ruant à potestate,& dominio omni suo. Et circa hanc perfidam gentem est aduertēdum, quod quatuor generationes perfidas esse comperimus. Nam primo Iudæi negarunt Christum esse Deum propter auaritiam,& inuidiam,timentes perdere locū, & sacerdotium,& oblationes,&c. Secundo Imperatores, & tyranni gentiles propter zelum idolorum; nolentes dimittere carnales voluptates,contra quas Apostoli prædicabant. Tertio Arriani,& quidam alij heretici negarunt Christum esse Deum,& consubstantialem Patri; & hoc propter ambitionem honorum, vt viderentur singulares in Ecclesia,& eorum doctrina videretur facilior ad credendum,&c. Quarto negabit Antichristus Christū esse Deum ex nequitia sua, & auiditate propriæ excellētiæ,& honoris,& dominij vniuersalis,&c.

Secta Machometica perfida.

Comparatio.

Generationes quatuor perfidæ.

In Festo Sanctorum omnium ad Laudes Hymnus Decimusquartus.

IEsu Saluator sæculi
Redemptis ope subueni:
Et pia Dei genitrix
Salutem posce miseris.
Cætus omnes angelici;
Patriarcharum cunei;
Et prophetarum merita
Nobis precentur veniam
Baptista Christi præuius;
Et clauiger æthereus
Cum ceteris Apostolis
Nos soluant nexu criminis.
Chorus sacratus Martyrum;
Confessio sacerdotum;
Et virginalis castitas
Nos à peccatis abluant.
Monachorum suffragia,
Omnesq; Ciues cælici
Annuant

Annuant votis supplicum
Et vitæ poscant premium,
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, & Filio,
Sancto simul paraclyto
In sæculorum sæcula. Amen.

HYmnus iste præsens omnino similis est formæ cum præcedente, & idem de vtroq; ferendum est iudicium. Amborum itidem est sententia, eademq; materia, supplicatio, scilicet, ad omnes sanctorum gradus, vt orent pro nobis. Proinde sic incipit Mater fidei, & magistra Ecclesia ad Iesum dicens. *O Iesu Saluator sæculi Redemptis ope subueni: Et pia Dei genitrix Salutem posce miseris.* & quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus, vt diximus, Mater Dei Ecclesia, & magistra fidei primo dirigit orationem suam ad Iesum: ad Mariam eius matrem, ad angelos, patriarchas, & summatim ad omnes sanctorum ordines. ¶ Ad intelligentiam ergo istorum quatuor versuum præaduertendũ primo; Iesus; quid sit. Secundo quomodo sit Saluator sęculi. Tertio quid hic per sæculum nobis accipiendum sit. Ad primum dicimus, quod nomen istud, Iesus, proprio nomine Iesus vocatur: cognomine vero dignitatis Christus dicitur; at hebraicè dicitur Iesus: Græcè Soter. Ipse enim saluum fecit populum suum à peccatis eorum. Vnde sancta Dei Ecclesia cantat: ò nomen Iesu, nomen dulce: nomen Iesu, nomen delectabile, nomen Iesu, nomen confortans, quid enim est Iesus, nisi Saluator? Ergo Iesu propter nomen sanctum tuum, esto mihi Iesus, & salua me. Quod vero Iesus Christus fuerit, & sit Saluator sæculi, ac totius mundi, patet euidentissime. Solus siquidem Iesus Christus, quem colit Christiana religio, potuit reparare humanam naturam per gratiã, & gloriam, qui ipsam creauit bonam per naturam. Sed Christus est verbum illud ęternum, filius Dei Patris, per quod verbum facta sunt omnia bona per naturam: ergo ipse Christus filius Dei potuit, imo de facto reparauit humanam naturam per gratiam, & gloriã, quia cuius est naturam creare bonam, eiusdẽ est lapsam reparare, & saluare. Vnde videmus illico, quod in natiuitate sua corruerunt multa idola in Aegypto, & vlularunt idola apud Getas, & Massagetas, & dederunt responsa dicentia: Vniuersalem Dominum, & Regem natum, cui venti, & mare obediunt. Et dæmones ipsi fuerunt subiecti, quos eiecit de corporibus obsessis, & multos eorum in porcos misit; qui se in mare præcipitauerunt. Similiter Christus subiecit inimicos suos dæmones, quando descendit ad inferos, vbi condemnauit, & ligauit diabolum vsq; ad iudicium, & expoliauit limbũ, & purgatorium, & transtulit inde sanctos patres, & omnes, qui in

Hymni author Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Iesus quid.

Marc. 1.

Iesus Saluator sæculi, & quomodo.

Nota.

Christi fide vixerunt vsq; ad illum diem. Ex quibus omnibus supradictis patet, quod aduocatum habemus apud Patrē Iesum Christum,& ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, idest, non solum Iesus Christus propitiatio pro peccatis eorum; quibus hæc primo scripsit Ioannes, sed,& pro totius sæculi,idest,mundi,idest hominibus exactarum iam ętatum,& sæculorum,& peccatis,& pro culpis totius Ecclesiæ, toto orbe terrarum diffusæ: immo pro vitijs vniuersi generis humani sufficienter, quāuis pro solis electis efficaciter passus est idem Iesus,qui ideo Saluator sæculi,idest,generis humani,& Ecclesiæ orthodoxæ Dei dicitur. Nam illud in tenebris peccatorum, & sic in manibus diaboli permanens perditum Patri reconciliauit. *Cœtus omnes angelici: Patriarcharum cunei: Et prophetarum merita Nobis precētur veniā.*

Ioan. 4. *Sæculum quid.*

¶ Duo ad intelligentiam præmissorum hymni verborum sunt hic examinanda: primum,nempe, quod per omnes cœtus angelicos, omnes ordines angelorum,omnes choros angelorum, omnes angelorum legiones, omnes hierarchias, & omnes superiores ordines: Cherubin, Seraphin, Thronos, Dominationes,Principatus,Potestates,Virtutesq; intelligere hic debemus. Secundum est, quod per Patriarchas hic Abraham,Isaac,& Iacob, qui fuerunt priores, precipuiq; & primogenitores populi Israelitici; deinde duodecim filios Iacob; ex quibus denominatæ sunt duodecim tribus illius populi; accipere, ac intelligere debemus. Sane Patriarcha ex græco deductum nomen princeps patrum dicitur,vel pater patrū; summus patrum interpretatur, quia primum, idest,post Apostolicum tenet locum. & sic eum signat,qui inter patres,præcipuum sortitur locum, dignitatemq; & auctoritatē. Et dicitur patriarcha, quasi pater arcæ,idest sanctæ,& orthodoxæ Ecclesiæ.Et quoniam,vt dictum est,in veteri Lege Abraham,Isaac,& Iacob,fuerunt ipsi priores,& deinde duodecim filij Iacob inter ceteros primates ipsi fuerunt,& primum merito stirpis gradū vendicauerunt: ideo merito etiam ipsi nomine Patriarcharū signantur,& cum cuneo,idest,cum gradu, ordineq; ac multitudine,& numero Patriarcharum,ac Prophetarū peculiarē specialemq; ordinē constituunt. Quē quidem Patriarcharū ordinē nos nūc hic humiliter rogamus,vt nobis veniā peccatorū, & indulgentiā eorū à Deo postulet,impetretq; et & gratiā,& gloriā. Amē.

Cœtus angelici qui. *Patriarcharum nomine qui intelliguntur.* *Patriarcha quid.* *Cap. cleros dis. 21.* *Genes. 25. 29. & 30.* *Cuneus quid.*

Baptista Christi præuius: Et clauiger æthereus: Cū cæteris Apostolis: Nos soluāt nexu criminis. ¶ Ad præmissorū versuū veriorē elucidationē videndū primo est,quomodo Ioannes Baptista sit Christi præuius. Secūdo,cur clauiger æthereus dicatur Petrus Apost. Tertio videndū est, cur ad Apostolos recurrimus pro absolutione nostrorū crimi-

criminũ. Quarto quando Apostoli acceperint potestatem ligandi, & soluendi. Quinto notandũ vnde Apostoli sint dicti. Ad primum dicimus, quod ideo sanctus Ioannes Baptista hic præuius Christi dicitur: quoniam præcursor eius fuit nascendo, baptizando, moriendo, & ad inferos descendendo: quemadmodum Angelus dixerat de eo Zachariæ patri eius, & ipse, inquit Marc. 6. præcedet eum in spiritu, & virtute Heliæ. Et idem pater eius Zacharias de eodem prophetauerat dicẽs: & tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Clauiger autem æthæreus hic Petrus Archiapostolus intelligitur: quia ei à Domino fuit dictum. Luc. 5. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Merito ergo ad Apostolos recurrimus pro solutione nostrorum peccatorum. Nam illi consecuti sunt à Deo ligandi, & soluendi potestatem nos à nexu, ac vinculis omnibus peccatorum, & culparum nostrarum. Aduerte tamen, quod ante mortem Domini nostri Iesu Christi primo promisit Christus potestatem ligandi, & soluendi Petro per illa verba: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. & tibi dabo claues Regni cælorum &c. sic locus est per verba futuri temporis. Postmodum vero ante mortem hanc potestatem dedit omnibus Apostolis, dum dixit. Quæcunq; ligaueritis, &c. Post passionem autem, & resurrectionem omnibus Apostolis contulit eandem potestatem per illa verba: Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata &c. Et ad ostendendum, quod Petro tradebat, vt capiti, dixit sibi seorsum: Pasce oues meas. In ascentione vero potestatem prius promissam traditam executioni confirmauit dum dixit: Ite, & prædicate euangelium omni creaturæ. In festo Pentecostes, quæ prius tradiderat, promissione Spiritus sancti confirmauit. Ex quo concluditur, quod licet potestas ligandi, & soluendi sit in Ecclesia vniuersali, est tamen apud Papam, tanquam caput Ecclesiæ. Ad vltimum dic, quod per Apostolos hic intelligimus primo illos duodecim discipulos maiores, quos Lucas sanctus enumerat in suo euangelio: & quos ad prædicandum misit Christus binos in vniuersum mundum. Vnde Apostoli Græce, Latine vero missi dicuntur, secundo per Apostolos etiam discipulos ad prædicandum missos intelligere possumus, qui & ipsi quoq; missi sunt. *Chorus sacratus martyrum: Confessio sacerdotum: Et virginalis castitas Nos à peccatis abluant.*

Ioannes Baptista quomodo Christi præuius dicitur.

Petrus cur clauiger appellatur æthereus.

Ad Apostolos cur pro solutione peccatorũ nobis sit recurrendũ.

Potestatẽ ligandi, & soluendi quomodo acceperint Apostoli à Christo.

Math. 18. *Ioann. 20.* *Ioann. 21.* *Math. vlt.*

Luc. 6.

Apostoli vnde dicti sint.

¶ Ad notitiam abundantiorem antecedentium hymni verborum aduertendum primo, quid per chorum martyrum. Secundo quid per confessionem sacerdotum. Tertio quid per virginalem castitatem.

Chor' martyrũ quid. Apoc. 7. Stola quid

tatem. Quarto quinam intelligantur hic per confessores,& qui per virgines. Ad primum dicimus,quod per sacratum martyrum chorum omnes sanctos martyres, qui amicti sunt stolis albis,& qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, idest, corpora sua, quibus anima vestitur, & dealbauerunt eas in sanguine agni, accipimus, & rogamus eos, vt candore suo nos hac munditia abluant a peccatis. Ad secundum, & tertium dicimus, quod quoniam sub ordinibus Apostolorum, Prophetarum, & Martyrum, reliqui duo alij ordines sanctorum confessorum, scilicet, & virginum comprehenduntur, qui non minus, quam duo alij superiores Deum assidue laudant, & vident: ideo per confessionem sacerdotum, & per virginalem castitatem ordines confessorum, & ordines virginum hic intelligi dicimus, qui duo ordines mundissimi, & purissimi sunt in conspectu Dei, ob fidelissimam, & sincerissimam eius confessionem, atq; etiam ob eius castitatis pulchritudinem. Ad quartum, & quintum propositum dicimus, quod cum aliquid speciale rerum genus ponitur;cætera eiusdem sortis in generali quadam ratione conuenientia, per illud etiam speciale genus volunt intelligi, vt hoc loco per confessionem sacerdotum,& cæteros sanctos confessores, qui sacerdotio non sunt cunei, accipere debemus, nempe, sacris initiatos, sacerdotes, & pontifices, ac omnes, qui se obtulerunt Deo hostiam sanctam, viuentem, & Deo placentem, & corpora sua mortificaueruut per pęnitentiam, & animas suas immolauerunt creatori, & Domino. Pari modo per virginalem castitatem eam quoq; continentiam, quæ in coniugali pudicitia Deo exhibet obsequium. Caste enim, inquit Iustinianus,viuit mulier, quæ virum capit & legitime nubit, ac secundum quædam tempora abstinent a coniugio maritali, & paulo inferius idem dicit, quod mulieres vidualem castitatem ducentes, non procul à virginitate ponuntur,quamuis in cælesti ordine differant. Itaq; per confessionem sacerdotum,sacrum confessorum ordinem hic insinuari firmissime tenendum est; & per virginalem castitatem, candidum ipsarum virginum, & omnium continentium chorum idem tenendum. Ad hæc insuper quoniam, inquit Hieronymus, non docentis, sed plangentis habent officium Monachi, qui vel se, vel mundum lugere debent, & Domini aduentum pauidi præstolari: ideo ad eos, tanquam, qui lacrimis, & fletibus,orationibusq; suis iam vitæ æternæ præmium assecuti, & adepti sunt; vt per sua suffragia, ac patrocinia, dent nobis suam pacem, & vitam æternam precentur, conuertimus etiam dicentes. *Monachorum suffragia: Omnesq; ciues cælici Annuant votis supplicum, Et vitæ poscant præmium.*

Cõfessio sacerdotum, & virginalis castitas qd signẽt. Cõfessorũ, & Virginũ appellatione qui veniant.

Authen. de non elig. secun. nup. § cum igitur.

Hier. c. 1. 16. q. 1.

¶ Aduer-

¶ Aduertendum est hic primo, quot genera sint Monachorum. Secundo quid intelligere debemus per omnes cælici ciues. Tertio quid per vota. Quarto demum quid per vitæ præmium. Ad primum sciendum, quod quatuor sunt genera monachorum secundum Guliel. Duran. in suo Rat. lib. 2. de min. & or. Eccles. Alij enim sunt cęnobitæ qui obedientiæ maiorũ deseruiunt. Alij sunt anachoritæ, qui videlicet ædificant solitudines: & quamuis in communi vita positi sint; priuatæ vitæ tamen contemplationi vacant. Alij sunt eremitæ, qui, videlicet, solitarie in desertis degunt. Alij autem sunt gyrouagi, idest, vagabũdi, circucelliones, & dicũtur monachi, idest, singulariter degentes, nã monachos grecè: singularis latine. Ad secundum per omnes ciues cælicos hic ego puto, vt omnes sancti, & sanctæ Dei intelligantur. Ad tertium vero per vota hic nostras orationes, nostraq; desideria, ac preces, & supplicationes ad Deum acciperem: quæ hic per ciues cælicos Deo manifestare & annuere hic desideramus. Ad quartum dicimus, quod vitæ præmium esse hic intelligimus ipsummet Christum Dominum nostrum, qui regnãs in cælis se dabit in prĕmium nostrarum orationum, precumq; ac bonorum operum, & in ipsam vitam ęternam. Amen. quod dictum est supra etiam in hymno corporis Christi ad laudes, & ideo vide ibi de hoc vitæ præmio. Cæterum adnotent hic monachi nostri temporis, quod secundum Beatum Hieronymum in c. si cupis. 16. q. 1. debent multum pro se, & Ecclesia Dei orare, nec quotidie per vicos, & ciuitates vagari, quia monachus ab achos, vel dicitur à monos, vt paulo superius dictum est etiam, idest, vnus, & achos, idest, tristis, quia solus morari debet in claustro. Vnde vos, qui monasticam Deo polliciti estis ducere vitam, bene aduertite, quoniam secundum Calcedonense Concilium c. placuit. 16. q. 1. claustro vestro contenti esse debetis, sicut enim piscis sine à qua caret vita: ita monachus sine claustro & non existens in monasterio. Ad hæc iterum bene considerate, quod corporalis reclusio nihil, aut parum sine mentali videtur prodesse. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis? Et quid, ait Gregorius, prodest corpore conuersari in claustro, & mente vagari in sæculo. Recordare deniq;, ò religiose, & regularis, quod ideo religiosus vocaris, quia omnium maxime religioni inseruire profiteris, ac cogeris. Illud Dauidicum, & Salomonis animaduertere, exhortamur, cum ait: vouete, secundo præcipit, cum ait: reddite, multo enim melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Dicamus ergo, ò præamandi fratres, cum nostra sancta, Apostolica, & Catholica, & magistra, & matre fidei Ecclesia omnes humiliter

Monachorũ quatuor genera.

Omniũ ciuium cælicorum nomine qui intelligantur.

Vota quid.

Vitæ præmiũ quid remissiue.

Admonitio ad monachos nostri temporis.

Nota.

Psal. 75. Eccl. 5.

militer sic. O pater omnipotens sit tibi laus, honor, virtus, gloriaq; etiam, & tibi filio Iesu Christo, sanctoq; simul paraclyto in sempiterna sæcula, fiat, fiat, fiat.

In Communi Apostolorum Hymnus Quintusdecimus.

EXultet cælum laudibus:
Resultet terra gaudijs.
Apostolorum gloriam
Sacra canunt solemnia.
Vos sæcli iusti iudices:
Et vera mundi lumina
Votis precamur cordium:
Audite preces supplicum.
Qui cælum verbo clauditis
Serasq; eius soluitis
Nos à peccatis omnibus
Soluite iussu quæsumus.
Quorum præcepto subditur
Salus, & languor omnium:
Sanate ægros moribus:
Nos reddentes virtutibus.
Vt cum iudex aduenerit
Christus in fine sæculi
Nos sempiterni gaudij
Faciat esse compotes.
Deo patri sit gloria
Eiusq; soli filio
Cum spiritu paraclyto
Et nunc, & in perpetuũ. Amẽ.

ANte omnia præaduertendum est, quod, quemadmodum omnium mater Ecclesia, fidei quidem magistra, supra de Beato Petro Archiapostolo, ac pari modo de Beato Paulo propter priuilegium prædicationis, cecinit de his dumtaxat hymnos (sunt enim Beati Petrus, & Paulus, Ecclesiæ Dei oculi, ideo de ipsis peculiariter dicere, & cantare, fas fuit) nihilominus tamen quoniam Christus dixit etiam alijs Apostolis: Ecce ego mitto vos, & infra. proinde quoniam omnes electi sunt à Domino, de eis etiam magnis præconijs intendit nunc memoriam habere. De beato nanq; Ioanne propter priuilegium amoris, siue virginitatis. De beato Andrea propter priuilegium crucis, quam ita ardenter prædicauit, & habuit, ac sic de alijs etiam. Vnde ideo ait: *Exultet cælum laudibus: Resultet terra gaudijs: Apostolorum gloriam Sacra canunt solennia.* & quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus virgo sancta nostra mater Ecclesia coniux Christi inuitat ad celebrandum solennitatem in Apostolorum honorem. Secundo ad eos ipsa sermonem, & orationem dirigit, eorum explicans dignitatem, & sublimitatem.

Ecclesia. huius est hymni author.

tem.

tem. Tertio postulat, vt nostrorum nunc peccatorum impetrent nobis medelam. Quarto orat, vt ijdem in die aduentus Domini ad iudicandum obtineant pro nobis à Domino gloriam sempiternam. Amen. Secũda pars est ibi. Vos sæcli &c. Tertia est ibi. Qui cælum & infra. Quarta est ibi. Quorũ, & reliqua. ¶ Ad horum igitur præsentium quatuor versuum intelligentiã primo aduertendum est, quid nomine cæli, & terræ hic accipiamus. Secundo notandum est, cur hic cælum, & terra inuitetur, exhorteturq; ad exultandum, & resultandum. Tertio videndum, quid per solennia hic intelligamus. Ad primum dicimus, quod nomine cæli hic angelica substantia, quæ in cælis versatur, & nomine terræ humana intelligitur natura, quæ terram habitat. Ac si diceret Ecclesia: cælestis curia gaudeat, laudans Apostolorum gloriam, & homines in terris vitam agentes gaudeant gaudijs eiusdem prædictæ gloriæ Apostolorum. Vtriq; enim earum, & nulli aliarum creaturarum conuenit exultare, & iubilare diuinis laudibus sanctorũ solennitate, quod solæ rationales sint, & intellectu prędite. Quinimo sæpius in sacra scriptura cælum, & terra hoc modo accipiuntur: & ad inuicem coniunguntur, vt Isai. 1. Audite, inquit, cæli, & auribus percipe terra. Et in cantico Moysis: Audite cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Et Psal. lætentur cæli, & exultet terra, & moueatur mare, & plenitudo eius. Ad secundum, & tertium præsuppositum dicimus: Quod quoniam sacra solennia, idest, sacra anniuersaria festa Apostolorum, quæ quotannis concelebrari à nobis solent, canunt, idest, nos canere, ac voce Apostolorum gloriam modulari faciunt, ac in causa sunt, vt huiusmodi eorum gloriam laudemus, ideo hic cælum, & terra dicitur incitari ac accendi, & exhortari, ad exultandum, ac resultandum, quoniam, inquam, sacra anniuersaria Apostolorum festa sic nos ad laudandam gloriam eorum, & in ea exultandum, propter eam, accendunt. *Vos sacli iusti iudices: Et vera mundi lumina: Vocis precamur cordium. Audite preces supplicum.* ¶ Quod Apostoli Iesu Christi sint huis sæculi, idest, huius mundi, idest, hominum, de hoc mundo iudices: ex Beato Mattheo hoc compertum habemus, qui perhibet, Dominum nostrum dixisse Apostolis sic: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Vnde Apostoli, quo ad auctoritatem, secundum Albertum Magnum, significantur in duodecim filijs Iacob. In duodecim fontes Helim significantur, quo ad doctrinæ infusionem. In duobus lapidibus vestis sacerdotalis quo ad exempli fulgorem. In duodecim

Hymni huius diuisio, & summa

Celi, & terra nomine quid.

Isai. 1.

Deut. 32.

Sacra solennia quid.

Calum, & terra quibus de causis accẽdũtur ad exultãdum & resultãdum.

Apostoli sunt mũdi iudices.

Math. 19.

Apostoli quo ad auctoritatem quibus pra figurãtur.

Genes. 35.

Exod. 15.

Exod. 28.

Leuit. 24. Iosue. 4. 3. Reg. 7. Apo. 14.

cim panibus propositionis quo ad gratiæ virtutis refectionē. Vnde bene dicitur infra: *Sanate ægros moribus: Nos reddentes virtutibus*. In duodecim lapididibus, positis in ripa Iordanis, quo ad constantiæ stabilitatem. In duodecim bobus, quo ad maturitatem. In duodecim stellis in corona sponsæ quo ad cælestium contemplationem, & lucem. Et ideo etiam murus ciuitatis Ecclesiasticæ habet duodecim fundamenta, & duodecim portas, & Apostolorum nomina, & agni scripta. Ad hæc quod etiam sint lumina mundi Apostoli, ex eodem constat Euangelio, quando Dominus in monte sermonem fecit discipulis dicens: Vos estis, inquit, lux mundi. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c. Sunt autem Apostoli mundi lumina, quoniam totus mundus illuminatus est eorum prædicatione, & doctrina. Et lux Apostoli appellantur, siue lumina mundi, idest, hominum huius mundi propter verbum doctrinæ, qua debent ignorantes de credendis, & faciendis illuminare. Sicut enim sol, & luna illuminant oculos corporis: ita Apostoli, & doctores illuminant oculos mentis. Deus enim est lux non illuminata, sed illuminans. At Apostoli, & Apostolici viri lux illuminata, & illuminans. Simplices vero iusti sunt lux non illuminans, sed illuminata. Prima est sicut lux solis, secunda sicut lux lunæ, tertia sicut lux stellę. Amplius Apostoli sunt lucerna supra candelabrum posita, vt sanctæ vitæ exempla, vt luceant tenebrosis: ad hoc enim acceditur lucerna, vt luceat, & cæteros illuminet: lucerna est hodie Episcopus, lumen gratia Spiritus sancti, candelabrum est Ecclesia. *Qui cælum verbo clauditis: Serasq; eius soluitis: Nos à peccatis omnibus: Soluite iussu quæsumus*. ¶ Dictum est enim à Domino Apostolis: Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo: Et quæcunq;, solueritis super terram, erunt soluta, & in cælo. Idem quoq; expressissime ipsis indultum est, cum ait: Accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Aduertendum tamen est, quod ante mortem Domini Nostri Iesu Christi primo promisit Christus potestatem ligandi, & soluendi Petro per illa verba: Tu es Petrus, & super hanc patram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & sic locutus per verba de futuri temporis. Postmodum vero ante mortem hanc potestatem dedit omnibus Apostolis, dū dixit: Quæcunq; ligaueritis, &c. Post passionem autem, & resurrectionem omnibus Apostolis contulit eandem potestatem per illa verba: Accipite

Apostoli lumina mundi sunt, & quomodo.

Comparatio.

Lux illuminans, & lux illuminata quæ.

Alia comparatio.

Apostoli sunt lucerna.

Episcopus.

Candelabrum quid.

Math. 16.

Apostoli acceperūt potestatem ligandi, & soluendi à Christo, & quomodo.

Ante Christi mortem.

Post passionem.

cipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, & infra. Et ad ostendendum, quod Petro tradebat, vt capiti, dixit sibi seorsum: Pasce oues meas. In Ascensione vero potestatem prius promissam traditam executioni confirmauit, dum dixit: Ite, & prædicate euangelium omni creaturæ. In festo vero Pentecostes, quæ prius tradiderat promissione Spiritus sancti confirmauit. Ex quibus omnibus supradictis colligitur, quod licet potestas ligandi sit in Ecclesia vniuersali, est tamen apud Papam tanquam caput Ecclesiæ. O ergo beatissimi Apostoli, qui verbo, seu sermone vestro clauditis cælum, maxime peccatoribus, bonis vero soluitis seras eius, seu clausuras; absoluite nunc nos iussu vestro, idest, auctoritate, & potestate, vobis à Christo tradita, à peccatis omnibus. Vel qui cælum verbo clauditis, idest, per verbum Dei, & per Christum, qui est Dei verbum, & qui auctoritate verbi Dei soluitis, soluite, &c. *In Ascensione.* *In Pentecoste.* *Iesus quid signat.* *Verbum quid.*

Quorum præcepto subditur Salus, & languor omnium: Sanate ægros moribus: Nos redentes virtutibus. ¶ Salus autem, & languor omnium ideo hodie in manu Apostolorum est: quoniam Iesus vocatis duodecim Apostolis, dedit eis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos, sicuti cæcos, claudos, & aridos, ac illos etiam; quorum infirmitas non erat ad mortem. Luc. 9. Et alibi, signa, inquit Dominus, eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. O vos sanctissimi Domini Apostoli, quorum præcepto, potestati, ac nutui subditur omnis infirmitas omnium, nec non & sanitas, sanate, curate nos ægros, idest, nos peccatores prauis cogitationibus, ac voluntate mala peccandi, & restituite nos, qnæsumus, auctoritate vobis à Domino tradita, virtutibus sacris, fidei, spei, & charitati, iustitięq;, fortitudini, temperantiæ, prudentiæ, pietati, religioni, gratię, obseruantiæ, & virtuti, magnificentiæ, patientiæ, perseuerantiæ, continentiæ, clementiæ, modestiæ, intellectui, rationi, & memoriæ, ac tandem bonis, nos, ac virtuosis reddite operationibus. *Salus, & lãguor omnium est apud Apostolos.* *Marc. 16.*

Vt cum iudex aduenerit Christus in fine sæculi: Nos sempiterni gaudij Faciat esse compotes. ¶ Notandum præ cęteris est hic artificium authoris circa hûc sanctissimum hymnum. Primo enim vocauit Apostolos mundi huius iudices, vnde quia proprium est iudicum audire bene partes, iuxta illud: Audi aliam partem: ideo petiuimus ab eis, vt audire velint supplices nostras preces. Vocat secundo eos cæli clauigeros, quia illis datæ claues

illius

illius à Christo, & propterea eiusdem cæli ianuam aperiunt, & claudunt, vnde ex hoc eos precamur, vt absoluant nos ab omnibus peccatis. Tertio appellat (vt ita loquar) medicos, & morum, & animarum, quoniam illis subest infirmitatis omnis, ac salutis genus omne. Idcirco postulamus, vt nos sanos reddant moribus, præstantes nos virtutibus sacris à nobis supra enarratis, vt sic per illas nos saluos apud Christum faciant Quinto vocat illos in auxilium, vt in die generalis Iudicij velint per suam apud Deum intercessionem Christum rogare, vt in tali iudicij die, dicat nobis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum à constitutione mundi vobis promissum, & obseruatum. ¶ Ad cuius rei meliorem elucidationem aduertendum, quod licet vnusquisq; sit iudicatus particulariter in fine vitæ suæ, nihilominus vniuersale iudicium erit necessarium propter quatuor. Primo ad manifestandum personam Christi omnibus gentibus, & populis, & linguis. Nam, qui in hac vita negauerunt, & ipsum recipere noluerunt, videbunt ipsum ibi cum potestate magna, & maiestate. Et sicut generaliter lex euangelica fuit per totum mundum prædicata, ita ibi erit generaliter examinata, & transgressores eius puniti. Secundo veniet Christus ad manifestandum occulta. Nam omnia homicidia, & adulteria, & alia peccata, quæ in hoc mundo non fuerunt saltem per sacramentalem confessionem manifestata, ibi propalabuntur. Tertio veniet Christus ad iudicandum male iudicata. Nam omnia, quæ in hoc mundo fuerunt per Reges, & Principes, & malos iudices iniuste iudicata, ibi per Christum iuste iudicabuntur, & punientur falsi iudices. Quarto veniet Christus ad iudicandum non iudicata. Vnde quia Reges, & Principes huius mundi, & prælati non habuerunt iudices supra se: ideo Christus in finali iudicio iudicabit eos, & ab eis de populis, sibi commissis, rationem exposcet, vt cognoscant se super eos, maiorem Regem, & iustum superiorem iudicem habere. Vnde Seneca: Vos, quibus Rector maris, atq; terræ Ius dedit magnum necis, atq; vitæ: Ponite inflatos, tumidosq; vultus. Quicquid à vobis minor extimescit: Maior hoc vobis Dominus minatur, Omne sub regno grauiore regnum est.

Iudicium vniuersale necessariũ propter quatuor.

Notẽt hic mali iudices.

Nil inultũ remanebit.

Nota.

In

In eodem communi ad Matutinum Hymnus Sextusdecimus.

AEterna Christi munera:
Apostolorum gloriam
Laudes canentes debitas
Latis canamus mentibus
Ecclesiarum principes:
Belli triumphales duces:
Cælestis aulæ milites:
Et vera mundi lumina.
Deuota sanctorum fides:
Inuicta spes credentium:
Perfecta Christi charitas
Mūdi triumphat principem.
In his paterna gloria:
In his voluntas Spiritus:
Exultat in his Filius:
Cælum repletur gaudio.
Te nunc redemptor quæsumus:
Vt ipsorum consortio
Iungas precantes seruulos:
In sempiterna sæcula. Amen.

ORtodoxa, ac catholica Ecclesia (vniuersis enim Christianæ legis præceptis obedit; ideo catholica dicitur) Magistraq; etiā fidei; iam præcedenti hymno dignitatem, sublimitatem, ac excellentiam Apostolorum omnium depromere profecto cœpit, explicans eos esse seculi huius iudices, veraq: lumina mundi, ianitores item cæli, ac tandem in mundum eos missos esse tanquam omnium sanitatum, & infirmitatum præsidentes, & dominos; sed quoniam adhuc remanent eorum tituli alij, prærogatiuæ, ac præminentiæ cantandæ: ideo prosequens dicere tales eorum laudes ait: *Aeterna Christi munera: Apostolorum gloriam: Laudes canentes debitas: Latis canamus mentibus*, & quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus præfata mater fidei Ecclesia sanctorum (vt diximus) Apostolorum gloriosi tituli, laudesq; depromuntur. Nam eorum fides secundo loco, nec non & spes, atq; charitas, dicuntur mundi huius principem superare, & vincere. Tertio in eisdem Apostolis paterna gloria, voluntas Filij, ac in his Spiritus sanctus exultat. Quarto erat, vt in consortio prædictorum Apostolorum numerari sit digna. Secunda pars est ibi. Deuota sanctorum fides. Tertia est ibi. In his paterna gloria, &c. Quarta est ibi. Te nunc redemptor, &c. ¶ Pro ergo horum primorum verborum intelligentia prænotandum est primo discrimen inter munus, & donum. Secundo videndum est, & cognoscendum, quæ sint munera Apostolis à Domino collata, à nobis cantanda, & celebranda. Tertio constructio

Hymni huius author Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

ſtructio verborum eſt aduertenda. Ad primum dicimus, quod licet munus proprie dicatur id, quod ab inferiore ſuperiori preſentatur: iuxta illud Geneſ. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & munera eius: Donum vero, quod à ſuperiore inferiori gratis confertur, ſecundum illud Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Hęc autem differentia non perpetuo vera eſt, vt videre poſſumus hic in primo verſu. Nam ſi hoc eſſet verum, potuiſſet Author, Aeterna dona, non autem æterna munera. Sed hoc quoniam parum, aut nihil refert: ideo dicimus, quod ſi quæris, quæ ſint iſta æterna Chriſti munera, quæ hic à Deo Apoſtolis videmus eſſe collata; & an in honorem eorum cantanda, ac laudanda; quod vtique ſunt, quæ hic infra in litera huius hymni enumerantur. Eos ſiquidem primo fecit Deus Chriſtianarum plebium principes, & ſuperintendentes, ac Epiſcopos. Secundo fecit eos triumphales duces. Tertio fecit eos milites cæleſtis ſui palatij. Quarto fecit eos vera mundi lumina. Quinto fecit in eis Deus ineſſe obedientem fidem exultantem. Sexto inuictam ſpem. Septimo veram, perfectamq; Chriſti charitatem. Octauo fecit in illis habitare paternam gloriam, Spiritus ſancti, voluntatem, Filiũq; Dei in illis exultare, & totum cælum repleri gaudijs. En tibi modo ęterna munera, dona, & beneficia Apoſtolis collata à Domino noſtro, quæ æterna ſunt; quia hæc ſacramenta à Deo æterno emanant, qui Deus æternus eſt, ideſt, ſine principio, & ſine fine, & quia æternos potuerunt facere eoſdem Apoſtolos. Nos ergo canentes laudes debitas Chriſto in honorem Apoſtolorum: canamus, inquam, & æterna etiam munera, ac dona, & beneficia, præminentias, & prærogatiuas prædictorum Apoſtolorum, ideſt, ad gloriam Apoſtolorum, & hoc faciamus lætis, atq; iucundis mentibus. *Eccleſiarum principes: Belli triumphales duces: Cæleſtis aulæ milites: Et vera mundi lumina*. ¶ Ad intelligentiam præſentium verſuum videndum primo eſt, quomodo Apoſtoli ſint Chriſtianorum populorum principes, quomodo belli duces triumphales, quomodo cæleſtis aulę milites, & quomodo vera mundi lumina. Ad primum dicimus, quod dictum eſt de Apoſtolis in pſal. 44. Pro patribus tuis, hoc eſt, loco parentũ tuorum: ò Eccleſia; naſcentur tibi, ideſt, fient tibi fideles per ſacramentum fidei, conſtitues eos principes ſuper omnem terram, vt ſint fidelium omnium cuſtodes, & in toto terrarum orbe Eccleſiarum Chriſti præſides, & principes. & alibi: Mihi autem nimis honorificati, ſeu mauis glorificati ſunt amici tui Deus. Valde etiam præualuerunt principatus eorum, qui potentiam, & poteſtatem, facultatemq; aduerſus immũdos ſpiritus vnuſquiſq; tuorum Apoſtolorum;

Inter munus, & donum diſcrimen.

Aeterna munera Apoſtolis collata, quæ.

Munera æterna cur.

Litera expoſitio.

Apoſtoli ſunt principes Eccleſiarum, & quomodo.

Pſal. 138.

lorum; o Domine, fortitus est. Sunt autem Apostoli principes Ecclesiarum omnium Christi, hoc est, septem Ecclesiarum. Omnes Ecclesiæ Christi septem dicuntur Ecclesiæ; licet multæ sint, propter septem spiritus. Vnde Beatus Ioannes Episcopus in Homilia comm. S. Pauli, inquit: Omnes enim sancti, in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est sapientiæ virtus, vna habetur Ecclesia. Item in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est intellectus, altera dicitur Ecclesia. Et sic per singulos tractans, inuenies Ecclesias septem. Sic etiam omnes sanctæ quinq; virgines prudentes esse dicuntur, quãuis sint innumerabiles propter quinque sensus spirituales. Et omnes peccatores sunt quinque fatuæ virgines, quamuis sint innumerabiles propter quinque sensus carnales. Præterea Apostoli hic etiam sunt appellati duces, vt Dominus aliquando ad vnum ex illis dixit: Tu vero, inquit, homo vnanimis, dux meus, & natus meus, qui & infra. Itaq; belli, idest, militiæ mundanæ, vel belli, idest, Ecclesiæ militantis, seu mundi huius, in quo semper geritur bellum; duces fuerunt Apostoli triumphales, idest, triumphatores, & victores, qui se opposuerunt Scribis, & Pharisæis, qui nomen Iesu benedictum volebant in sæcula eradere de terra, & penitus abolere iuxta illud Ioannis: Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Et Hier. Venite, inquit, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Nam per lignum crucem, per panem, Christum intelligimus: qui est panis, qui de cælo descendit. Fuerunt etiam Apostoli duces contra reges terræ, & principes, qui conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, & valentius contra horrendos dæmones: quos suis fanis, & idolis expulerunt, ac toto clamante mundo, inuitisq; tenebrarum potestatibus cultum nominis Christi induxerunt. Multo ergo insigniore laude digni sunt Apostoli, quam Romani duces, ac Cæsares omnes, ac honoratiore triumpho ad immarcescibilem gloriam: cælis inuecti, ornatiq; caput sacrum victrice corona. Vnde merito nunc propter eorum excellentiam præminentias, prærogatiuas, ac propter eorum famosa facta in honorem Dei sui contra inimicos eius; sunt cælestis aulæ milites, idest, in cælis sunt conciues cælestium spirituum, & ciuium supernorum. Quod vero iidem Apostoli fuerint vera mundi lumina, dictum est supra in mille fere locis. Nam Petrus primo, conuertit tria millia, & exinde prædicauit per totam Iudæam: Philippus autem in Samaria, & Galilæa: Bartholomæus vero, & Thomas profecti sunt in Indiam: Matthæus in Aethiopiam: Simon, & Iudas per totam Aegyptũ, & Chaldæam, & Persiam: Iacobus in Hispaniam; & Paulus per Græciam,

Ecclesiæ quæ, & quot sint. Nota.

Viri sancti omnes sunt quinque virgines prudentes.

Peccatores omnes sunt virgines fatuæ.

Apostoli quomodo belli duces sint.

Bellũ q. *Ioan. 11.*

Hier. 10.

Psal. 2.

Apostoli quomodo sunt milites aulæ cælestis.

& Italia, & Galliam. Ideo require supra de hoc eorum priuilegio. *Deuota sanctorum fides: Inuicta spes credentium. Perfecta Christi charitas: Mundi triumphat principem.* ¶ Profecto si nos consideramus deuotam sanctorum, scilicet, Apostolorum fidem, nunquam satis laudabimus eam. Vbi enim in homine hodie inuenies tantam fidem; quantam Christus inuenit in Apostolis? Ad cuius nutum, ne dicam, verbum, relictis eorum retibus secuti sunt eum. Merito igitur deuota, & obediens eorum fuit fides, qua quidem nullæ maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia; quæ homines peccatores saluet, cæcos illuminet, infirmos curet, cathecumenos baptizet, fideles iustificet, pœnitentes reparet, iustos augumentet, martyres ornet, virgines, viduas, & coniugales, casto pudore, ac sacros sacerdotes conseruet, clericosq; ordinet, atq; omnes in æterna hæreditate cum sanctis Angelis constituat, & collocet. Ad hæc, quid dicemus de inuicta eorum spe, & charitate? Certe manifestæ sunt in sacris scripturis Apostolorum omnium istæ duæ sacræ virtutes. Triumphat ergo, idest, superat, vincitq; principem mundi huius, idest, Diabolum principem hominum peccatorum huius mundi, fides, spes, & charitas Apostolorum. Quod vero per principem mundi Diabolum accipiamus colligitur ex Ioanne, qui dicit: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Et Ambrosius. Pudor, inquit, cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum; partus sit fœminarum, non mediocri in caussa est; vt virginitas Mariæ falleret principem mundi. *In his paterna gloria: In his voluntas filij: Exultat in his spiritus: Cælum repletur gaudijs.* ¶ Nomen istud, bis hic positum in vno quoq; versu, ac tertio repetitum mostrat ipsos Apostolos in hoc hymno celebratos. Vel monstrat fidem, spem, & charitatem (quæ Christi charitas hic dicitur, quia in Christum habetur) nominatas in præcedenti versiculo. In his ergo, idest, in Apostolis: vel in his, idest, in fide, spe, & charitate, paterna gloria voluntas Filij, & Spiritus sancti exultat: vt sic paterna gloria, voluntas Filij, & Spiritus sancti insinuantes nobis tres summæ diuinitatis personas, ad idem ordinatur verbum exultat. Et sic cælum, idest, beatorum spiritus, quos iam Dominus dignatus est, repletur gaudijs, & socia exultatione, quam habent de Apostolis, factis cælestis aulæ militibus, ac ciuibus, & quoniam etiam in cælis in his exultat paterna gloria, voluntas, Filij, ac Spiritus sancti.

Apostolorũ quanta fides.
Matth. 4.
Fides quãta est.
Ioan. 14.
Princeps mũdi quis.
Amb. c. Pudor 22. q. 2
Nota.

In Communi Apostolorum tempore Paschali ad Vesperas Hymnus Septimusdecimus.

Tristes erant Apostoli
De nece sui Domini:
Quem pœna mortis crudeli
Serui damnarunt impij.
Sermone blando Angelus
Prædixit mulieribus:
In Galilæam Dominus:
Videndus est quantocyus
Illæ dum pergunt concitæ
Apostolis hoc dicere:
Videntes eum viuere
Osculantur pedes Domini.
Quo agnito discipuli
In Galilæam propere
Pergunt videre faciem
Desideratam Domini.
Gloria tibi Domine:
Qui surrexisti à mortuis:
Cum Patre, & sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

QVoniam sancta Mater Ecclesia supra dixit, quod Christus, Rex quidem fortissimus, mortis confractis viribus, & solutis gemitibus, & doloribus; quos sancti patres patiebantur; victor surrexit de sepulchro: quod Angelus clamauit, dicens mulieribus: ite, dicite discipulis eius, & Petro, quod Dominus iam surrexit: ideo hodie in præsenti hymno rationem reddit, cur clamauerit Angelus ad mulieres, vt nunciarent discipulis, & Petro, quia Dominus surrexit. Nam *Tristes erant Apostoli De nece sui Domini: Quem pœna mortis crudeli Serui damnarunt impij*. & infra. ¶ In quibus omnibus primo omnium Apostolorum mœstitia, & tristitia de nece sui Domini Iesu Christi describitur per sanctam Dei Ecclesiam. Secundo describitur resurrectionis Christi ad sanctas mulieres angelico ministerio annunciatio. Tertio describitur Christi mulieribus, & Apostolis facta apparitio. Secunda pars est ibi. Sermone blando, &c. Tertia est ibi. Illæ dum pergunt, &c. ¶ Hic autem Apostoli sunt illi, quos sanctus Lucas 6. & glos. in cap. vnico de reliquijs, & vener. Sanct. lib. 6. enumerant. Et isti Apostoli dicuntur ab apo, quod est de, & stolon, quod est missio, quod à Deo, vel de cælo missi sint. Marcus enim ait, & vocauit duodecim, & cæpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. Alias autẽ Apostoli maxime in iure ciuili, & Pontificio, sunt quædã litteræ dimissoriæ, quæ dandæ sunt ab eo, à quo appellatum est, ad

Act. 1. *Marc. 16.* *Ecclesia huius est hymni author.* *Hymni huius summa & diuisio.* *Apostoli q sint.* *Marc. 6.* *Apostoli in iure quid.*

Lib. ff de lib. & posth. *L. dimissoria ff. de verb. sig.* *Psal.* eum quidem appellatione cogniturus est. Item Apostoli apud Regium psaltem, & lactantes vocati sunt, cum ipse cecinit: Ex ore infantium, & lactentium, &c. Appellat autem Apostolos infantes, in quantum fuerunt primitiç, & infantiæ, & exordium Ecclesiæ, & quia docuit eos loqui; lactentes vero vocat, quia Christus lactauit eos lacte suç sapientiæ, & prædicationis, cum ante essent idiotæ, & ignari. Cæterum qui fuerint serui impij, qui damnauerunt Dominum pœna mortis crudeli, Euangelistæ referunt, quod Iudæi ipsi fuerunt serui impij. Nam, & præses Pilatus proclamat: Nullam culpam inuenio, & ablutis aqua manibus Christum Iudæis tradidit: Fallaces vero, & impij Iudæi, qui latronem petunt viuere, & Christum accusant grauiter, & dicunt; crucifigatur reus, & dimittatur Barrabas. Et quoniam tristes erant Apostoli de nece sui Domini; ideo. *Sermone blando Angelus: Prædixit mulieribus: In Galilæam Dominus Videndus est quantocyus.* ¶ Aduertendum est, sententiam primi, & secundi versus hic suprapositi conuenire illis Angeli, & Marci 16. dicentis nolite expauescere: Iesus, qui surrexit, & quem quæritis, non est hic; sed ecce locus vbi posuerunt eum, & ideo dicitur Sermone blando Angelus Prædixit mulieribus. At sententia aliorum duorum versuum congrua similiter videtur dictis eorundem Angeli, ac sancti Marci, ita loquentium, nempe, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis: sed quæ nam fuerunt ille mulieres, quibus prædixit Angelus, quod quantocyus Christus in Galilæa erat videndus? Illę nimirum fuerunt, quæ in euangelio supradicto memorantur, scilicet: Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Maria Solome. Prima, secundum Eusebium Emissen. Homil. diei Pascatis, significat Ecclesiam gentium, de qua Dominus septem dæmonia eiecit, quæ quidem quoniam dilexit multum: ideo ei fuerunt dimissa multa peccata. Secundo, scilicet, Maria Iacobi, quæ Christi mater, seu matertera fuit plebem Iudaicam figurat, de qua secundum humanitatem Saluator noster originem duxit. Tertia Maria Salome, quæ interpretatur pacifica tota ex vtroq; populo sanctorũ collecta multitudo intelligitur. In hac igitur vltima tota Ecclesia figuratur. In primis alijs duabus designantur Ecclesiæ partes. Possunt etiam hæ tres mulieres, & tres mundi partes significare Asiam, scilicet, Africam, & Europam: in quibus mundi partibus tota Ecclesia consistit. Secundo aduertendum est, quod Galilæa, secundum Bibliæ interpretes, ac etiam euangeliorum, transfiguratio, vel transmigratio facta, vel reuelatio dicitur. Bene ergo à sanctis mulieribus videndus est subito Dominus, quoniam ille de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de

Serui impij qui nam fuerint. *Math. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.* *Ioan. 18.*

Mulieres quibus Angelus locutus est quæ. *Luc. 7.* *Nota.*

Galilæa mistice quid.

pœna

pœna transmigrauit ad gloriam. *Illa dum pergunt concita Apostolis hoc dicere: Videntes eum viuere Osculantur pedes Domini.* ¶ Hoc est istæ tres mulieres, scilicet, Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Maria Salome regredientes à monumento sollicitæ, dum eunt nunciare discipulis, quæ ibi compererant vidētes Iesum, eiusq; pedes, idest, locum vbi perfidi Iudæi perfoderant eum, osculatæ sunt. Per pedes tamen Domini humanitatem Christi, sicut per eius caput, diuinitatem, intelligere etiam hic possumus, vt sit sensus. Non solum istæ mulieres reuerentiam exhibent diuinitati Christi, sed etiam diligunt eius humanitatem. Deosculando enim pedes eius, pacis, & dilectionis dant ipsæ signum aperte. Nam osculum quandam vnitatem inter sponsum, & sponsam dicit, & indicat, idest, inter Christum, & Ecclesiam, quam tres prædictas mulieres figurare diximus. Vel etiam inter Deum, & animam. Vnde sponsa can. 1. quadruplici osculo petiuit osculari, & vniri, osculo incarnationis, osculo euangelicæ doctrinæ, & familiaritatis, & conuersationis, osculo misticæ incorporationis, & redemptionis, & osculo glorificationis. *Quo agnito discipuli: In Galilæam propere Pergunt videre faciem Desideratam Domini.* ¶ Sane quo agnito, & audito; quia, scilicet, Dominus resurrexit, discipuli festinanter pergunt, euntq; in Galilæam, idest, ad illam transmigrationem Domini de morte ad vitam. Vel ipsi Apostoli suo ordine de morte ad vitam transmigrant; ibiq; Christum videntes adorant, & in specie suæ diuinitatis contemplantes vident faciem Domini desideratam. Et bene dicit: desideratam faciem. Hanc enim Dei faciem sanctam desiderauit Moyses, quando ad Dominum dicebat: Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Hæc est illa facies sancta, quam Dauid sanctus exquirebat. Faciem tuam, ait, exquiram Domine, & ne auertas faciem tuam à me. O beati Apostoli, & discipuli Domini, qui viderunt Domini faciem: illam, inquam, sanctam faciem, quæ resplenduit sicut Sol. Vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Hanc autem faciem desideratam nobis ostendi quotidie petimus; cum dicimus cum nostra sancta matre Ecclesia, ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Amen.

Pedes Domini quid.

Osculum quadruplex.

Desiderata facies Domini cur, dicitur.

Exod. 33.

Psal. 26.

In communi Apostolorum tempore Paschali ad Laudes Hymnus Decimusoctauus.

Claro Paschali gaudio
Sol mundo nitet radio:
Cum Christum iam Apostoli
Visu cernunt corporeo.
Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.
Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside:
Vt tibi laudes debitas
Reddamus omni tēpore. Amē.

Sancta Mater Ecclesia supra in praecedente hymno exposuit, quod postquam sanctæ iam sæpe dictę mulieres annunciauerunt Apostolis, Dominum nostrum Iesum Christum resurrexisse, & viuere, statim hoc audito,& cognito,& agnito in Galilæam ipsi se receperunt, vt ipsum viderent. Nunc vero in præsenti hymno nobis enarrat, quod statim atq; Apostoli cernunt Iesum oculari inspectione ob clarum pascale gaudium, sol multum splendet, micatq;. Vnde propter hoc sic canere Dei Ecclesia incipit. *Claro paschali gaudio Sol mundo nitet radio: Cum Christum iam Apostoli Visu cernunt corporeo.* & infra. ¶ Vbi primo per eandem Ecclesiam dicitur, quod gaudio paschali sol radio mundo, idest, limpido fulget. Secundo dicit,quod postquam vulnera Christi in corpore eius viderunt Apostoli publica voce confitentur, Christum resurrexisse, adorantes eum. Tertio,& vltimo rogamus Deum, vt corda nostra regat, & gubernet. Secunda pars est ibi. *Ostensa sibi vulnera.* Tertia est ibi. *Rex Christe clementissime,*&c. ¶ Cum igitur sancti Apostoli visu corporeo, & cum effectu Iesum corporali inspectione cernunt: tunc quidem Sol mundo, idest, sereno, rutiloq; ac limpido nitet,micatq; radio,atq; splendore. Vt gaudium dominicæ resurrectionis etiam sol ipse clariore testetur fulgore,ac splendore; hocq; die solito fulgeat illustrior. Si enim sol obscuratus tempore passionis Christi mœruit,ac tristatus est,ac in luctu fuit magno,qui suum conditorem luxit. cur illi ad vitā reuerso lætiore vultu,ac sereniore lumine, non applaudat,blādiaturq;,ac arrideat? *Ostensa sibi vulnera In Christi carne fulgida: Resurrexisse Dominum Voce fatentur publica.* ¶ Apparuit Christus post suā resurrectionem discipulis,dum aberat Thomas,secundū quod scribit Beatus Ioannes, & Tho-

Hymni huius author Ecclesia.

Hymni huius diuisio & summa.

Sol gauisus est resurrectione Christi, sicut tristatus est eius passione.

& Thomas vnus de duodecim non erat cum illis, quando venit Iesus, qui Iesus ostendit manus, & latus eisdem discipulis suis. Sed Thomas narrantibus illis non credidit hanc Christi apparitionem, nec minus manuum, ac lateris eius ostensionem. Vnde post dies octo iterum apparuit illis, quibus cum tunc temporis erat Thomas; & dixit Iesus Thomæ (ostendens ei sua vulnera, & latus suum vulneratum) infer digitum tuum huc, & vide manus meas,& affer digitum tuum, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus. Et quod hoc verum sit manifeste elicitur ex eo, quod hodie adhuc digitus ille Beati Thomæ, quem in latus Christi, & in eius vulnera iniecit, oculate cernitur inter reliquias, quæ sunt in Ecclesia sanctę Crucis in Hierusalem Romæ: quem quidem venerandum digitum ego Michael Timoteus vidi die 14. Septembris. 1579. Quo vero ad verborum præmissorum versuum intelligentiam aduertendum est, quod si addideris primo versui præpositionem ob, vel propter, non perperam,vel male forte feceris,vt sic dicamus. Propter Christi ostensa sibi, hoc est, Apostolis, vulnera. Vel vulneribus ostensis per Christum Apostoli prædicant voce publica, & manifesta, Dominum vere resurrexisse. Vel ostensa vulnera in fulgida Christi carne, aperte testantur, & perhibent, Dominum resurrexisse. Ideo scriptum est actuum quarto Apostolorum. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. Ex quibus supradictis patet, quod hæc ostensio vulnerum, & Christi apparitio est vna ex decem vicibus, ex quibus post resurrectionem suam apparuit, ac visus est. Decies enim visum post resurrectionem Dominum, euangeliorum nobis, & actuum Apostolorum prodit scriptura. Primo quidem apparuit Mariæ Magdalenæ, flenti ad monumentum. Deinde eidem Mariæ, & alteri eiusdem nominis fæminę regredientibus à monumento nunciare discipulis, quæ ibi compererant, occurrens apparuit. Tertio Simoni Petro. Quarto Cleophæ, & socio eius: cum quibus ipse gradiens in Emaus,ibidem in panis fractione cognitus est: qui mox reuersi Hierolymam, inuenerunt discipulos loquentes, quia surrexit vere Dominus, & apparuit Simoni. Quinto apparuit eis in eodem loco ianuis clausis, vbi non erat Thomas. Septimo piscantibus ad Mare Tiberiadis. Octauo in Monte Galileæ.Nono recumbentibus illis vndecim apparuit die, quo ascendit in cælum. Decimo viderunt eum ipsa die non iam in terra positum, sed eleuatum in aere,cæloſq; petentem,dicentibus sibi Angelis: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. O igitur pater noster, qui es cælis, ac quidem. *Rex Christe clementissime: Tu corda nostra*

Digit' Thomæ, quē in latus Christi iniecit Romæ est in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem.

Act. 4.

Christ' decies post resurrectionē suam visus est.

Ioann. 2.

Math. 28.

Luc. 2.

Ioann. 20.

Act. 1.

Apoc. 19.

stra possid e: Vt tibi laudes debitas Raddamus omni tempore. Amen.

Apoc. 19. ¶ Tu, inquam, Rex Christe Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui clementissimus quidem erga nos es nunc, & fuisti semper, qui pro nobis voluisti nasci, circuncidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus ad victimam adduci, pro nobis mortem pati voluisti, sed & resurgere etiam pro nobis dignatus es, quiq; infernum spoliasti, demonstrans profecto tibi vere datam esse potestatem omnem in terris, in cælisq; etiam: vbi nunc tu viuis, & regnas cum patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen: possid e iam nunc nostra corda, qui possides, & moderaris omnia cœlestia, & terrestria, & inferna, id est, rege nos, & guberna, & defende vsq; in finem vitæ nostræ. Et hoc fac Domine, vt dum viuimus in hoc mundo, possimus tibi debitas persoluere laudes ob id, quod tot, & tanta fecisti mirabilia, & pro nobis tot opprobria in hoc mundo subire voluisti: ne tantis beneficijs à te receptis tanquam ingrati obliuiscamur in perpetuum. Amen.

In comumni vnius Martyris ad Vesperas Hymnus Decimusnonus.

Deus tuorum militum
Sors, & corona præmium:
Laudes canentes martyris
Absolue nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia:
Et blandimenta noxia
Caduca rite deputans,
Peruenit ad cælestia.
Pœnas cucurrit fortiter:
Et sustulit viriliter:
Pro te effundens sanguinem
Aeterna dona possidet.
Ob hoc precatu supplici:
Te poscimus pijssime,
In hoc triumpho martyris:
Dimitte noxam criminis.
Laus, & perennis gloria
Deo patri, & filio,
Sancto simul paraclyto
In sempiterna sæcula. Amen.

Sancta Ecclesia militaris, & adhuc currens in stadio vitę præsentis, sciens rite, & recte, sanctos martyres: (qui ob Christi fidem, veritatem, & iustitiam, alij igne læsi, alij ferro cæsi, alij sæuis verberibus maxime affecti:) victores in omnibus tormentorum generibus factos esse, consequenterq;, & cohæredes Christo in cælestibus

lestibus: idcirco eorundem martyrum precibus peccata nostra à Christo dimitti nobis rogat, sic adoriens. *Deus tuorum militum: Sors & corona præmium: Laudes canentes martyris: Absolue nexu criminis.* & infra. ¶ In quibus omnibus primo inuocatur per Dei egregium doctorem Beatum Gregorium, huius hymni Authorem, Deus, vt nos absoluat à laqueo peccatorum. Secundo laus cuiusuis martyris explicatur, quod contempta mundi pompa, & gloria, elegerit Christum sequi in tribulationibus, & persecutionibus, atq; tormentis tolerandis. Tertio nunc pro temporalibus æterna, pro caducis perpetua, & pro terrenis cælestia obtinet. Quarto supplici prece petimus apud Deum, vota nostra promoueri, & ipsi commendari. Secunda pars est ibi. *Hic nempe mundi.* &c. Tertia est ibi. *Pro te effundens.* &c. Quarta est ibi. *Ob hoc.* & infra. ¶ Ad præmissorum igitur istorum quatuor primorum carminum intelligentiam notandum primo, quomodo Deus dicatur sors sanctorum martyrum. Secundo, quomodo dicatur corona martyrum. Tertio, quomodo sit eorundem martyrum præmium. Quarto notandum, quomodo martyres dicantur esse milites Dei.

Hui⁹ hymni author. Beat⁹ Gregorius.

Huius hymni diuisio, & summa.

Ad primum dicimus, quod Deus dicitur sors sanctorum martyrum, qui inuicti sunt milites Christi, & in stadio huius vitę magnum certarunt certamen, in quo mortem viuentium euaserunt victores: sors, portio, ac pars cedens, ac contingens in præmium, quoniam se totum illis ipsemet Deus communicat perfruendum in mercedem, vt siquisq; seorum dixerit illud Psalmi. Pars mea Deus in ęternum, & iterum. Dixi tu es spes mea, portio mea in terra viuentium. Ad secundum dicimus, Deum coronam esse ideo martyrum, quoniam ipsorum Deus est, & insigne ornametum, quo in ęterna vita venustantur. Super enim omnem pulchritudinem, & decorem, quem obtinent sancti in gloria, eminet ille ornatus, quo à Deo habitante in eis, & immanente, quinimo & circumambiente eos, ac circumplectente (sicut corona caput) adornantur, decoranturq;, ac coronantur. Ad tertium præsuppositum dicimus, eorundem quidem martyrum Deum esse præmium, seu mauis mercedem, ideo quoniam opera istorum Beatorum martyrum bona fuere, dum in stadio vitæ currebant; ideo dicit Dominus: Ecce venio cito, & merces mea mecum est, & reddere, siue dare vnicuiq; secundum opera sua. Vnde dicit & ipsis martyribus: Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis, idest, copiosa, & abbundans remuneratio sanctæ vestræ mortis, quę erit ipsa æterna gloria, ac ipsa vita æterna, de qua in hymno nonæ dictum est fusius, idest, ipsemet Christus erit præmium vestrum, ò sancti

Deus quomodo dicitur sors sanctorũ martyrum.

Psal. 77. & 141.

Deus quomodo corona sit martyrum.

Apoc. 22.

Math. 5.

sancti martyres. Ad quartum dicimus, notandum esse etiam sanctam Ecclesiam vocare sanctos martyres milites Dei, & quidem non immerito. Ad amussim enim illi videntur habuisse omnes illas conditiones, quas oportebat habere milites Imperatorum, ac Regum antiqui temporis. Sex enim sunt necessaria, vt quis sit miles, prout lex Milites determinat .ff. de, vel ex quibus causis. man. Primo enim, vt miles non sit negotiator. Secundo, quod examinetur. Tertio, quod præstet sacramentum, idest, iuramentum per genium Principis, & Deum omnipotentem, quod mortem reip. causa non euitabit. Quarto, quod ei ensis cingatur. Quinto stigma, idest, nota publica debet eius brachijs inscribi. Sexto, & vltimo, quod in numero aliorum debet poni, ac scribi. Quantum ergo ad primam conditionem patet profecto, quod martyres sunt veri milites. Nunquam enim voluerunt esse negociatores; bona siquidem potius (vt legitur in Psalmo) dispergebant, & pauperibus dabant. Quantum ad secundam certe tanquam aurum in fornace probauit eos Dominus. Et alibi dicitur: probasti cor meum, & visitasti me nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Quo ad tertiam. Tunc vtiq; præstarunt sancti martyres iusiurandum, & obseruauerunt sacramentum, cum vsq; ad mortem perseuerauerunt pati propter Christi fidem, & veritatem. Circa quartam conditionem dicendum est, quod se ense quidem cinxerunt martyres more militum temporalium, quoniam refrenationis carnalis concupiscentiæ, per continentiam, ieiunia, vigilias, & disciplinam, tanquam ensem, acutum secuerunt luxuriam ac libidinum motus, quos qui debellauerit, & vicerit, martyrium vere passus esse videtur. Quo ad quintam certe stigma, aut signa, ac notam publicam habebant in brachijs, cum se brachijs, & manibus muniebant signo crucis. Quo ad sextam, tunc martyres, vt veri essent Dei milites, describebantur in numero aliorum, cum coram tyrannis, & omnibus tortoribus allacriter Christi fidem profitebantur, & corpora sua in mortem tradebant, in numeroq; fidelium adscribi clare dicebantur, & profitebantur, ne seruirent idolis. Reperiuntur aliæ species militum. Nam quidam sunt qui mollibus vestiuntur. Matth. 1 in domibus Regum, & sunt hi, qui non cælesti, sed terreno Regi militant, & qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, & solis exterioribus dediti præsentis vitæ mollitiem, & delectationem quærunt, sed isti milites sollicitent tollere grabatum suum, idest, surgant à mollibus, & ab omnibus sordibus, ac carnalibus vitijs. Ac non existiment in luxu, atq; in studio preciosarum vestium peccatum deesse. Sunt præterea & milites cælestis militiæ iuxta quod scribit

Martyres dicuntur milites Dei & quomodo.

Milites sex cōditiones habere debent.

Martyres Dei habuerūt omnes cōditiones, quas habere debent milites tēporalis.

Psal. 111.

Psal. 16.

Sap. 3.

Militum aliæ species.

Milites molles qui sint.

Lucas.

Lucas 2. & subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Porro & nos sacerdotes sumus etiam milites, quorum arma sunt lacrimæ, orationes, & suspiria. dis. 54. cap. nullus. Castra vero sunt Ecclesiæ: vbi offerre Deo sacrificium laudis, & fructum labiorum nostrorum in puritate conscientiæ, & animi deuotione debemus. Horas item canonicas dicere, seu psallere, & debite diurnum, & nocturnum officium celebrare horis competentibus. Pari modo, qui dirimunt aduocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæq; defensionis viribus sæpe publicis in rebus, ac priuatis, lapsa erigunt, faticata reparant, milites dicuntur. Non enim minus prouident humano generi, quam si prælijs, atq; vulneribus patriam, parentesq; saluarent. vt .l. aduocati. c. ad aduocat. diuers. iud. Sed & hi vere sunt etiam milites hodie, qui se iuramenti vinculo obligant, quod stabunt pro Reip. statu, quod in acie non fugient, & quod vitæ propriæ vtilitatem communem præhabebunt. Et qui etiam ensem, gladios, clypeos, thoraces recipiunt de altari, sicuti accepit Marcus Antonius Colūna arma, ac vexillum sanctæ crucis de Beati Petri altari, Papa Pio Quinto id ipsum illi porrigente, vt profiteantur se filios Ecclesiæ sanctæ esse, atq; ad honorem sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & ad patriæ liberationem se gladium accepisse. Et istorum etiam vere Deus est fors, portio, pars, præmiumq;, ac patrimonium. *Hic nempe mundi gaudia, Et blandimenta noxia: Caduca rite deputans: Paruenit ad cælestia.* ¶ Hoc loco pronomen, Hic, quemuis martyrem insinuat. Quasi dicat: Hic martyr deputans, idest, iudicans, vel existimans recte gaudia mundi, & bladimenta esse noxia, & caduca, ac nullatenus perpetua, sed decidiua, peruenit nempe, hoc est, certe, ad cælestia: relinquens enim huius mundi terrena festinauit semper petere cælestia loca. Nam hic mundus blanditur quidem, sed vt fallat, arridet, vt decipiat, vultuque applaudit amico, vt præcipitet in interitum. Vnde Beatus Iacobus dicit. 4. quod amicitia huius mundi inimica est Deo, & quicumque vult esse huius mundi amicus, Dei omnipotens constituitur inimicus. Et Beatus Ioannes in prima Epistola catholica. Si quis, inquit, diligit mundum, non est charitas Dei in illo, & mundus transit, & concupiscentia eius. Ex quo liquido cognoscuntur eius gaudia esse vere caduca, marcidaq;, & sic omnino nobis noxia. Item ex eo, quod dicit Beatus Iacobus, quod mundi gloria, sicut flos fœni decidit, & decor vultus eius decidit, & decor vultus eius deperijt. Et vita nostra vapor est

Milites sacri qui sint Castra sacerdotum, & arma, qua.

Milites legales qui sint.

Milites veri qui sint.

Marc. Antonius Columna accepit vexillū s. Crucis de Altari Beati Petri, cū ei fuit commissum bellū cōtra Turcas.

Pronomen. Hic. quid figņat.

Nēpe quid Mūdi proprium.

1. Ioan. 4.

Nota.

Iacob. 1 & 4.

Vita nostra quid.

por est ad modicum patens, & deinde exterminabitur. Supradicta igitur omnia hæc sanctus hic Dei martyr, versus quidem athletha, verusq; pugil, ac miles fortis, & nobilis, ac generosus, recte, riteq; cognoscens: (vt sempiterna experiretur bona) in nihilo dubitans. *Pœnas cucurrit fortiter: Et sustulit viriliter: Pro te effundens sanguinem: Aeterna dona possidet.* ¶ Et vere dogma illud catholicum, & euangelicum, nempe, quod ex ore Christi sacro procedit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum,& tollat crucem suam, & sequatur me, videtur martyr iste sanctus obseruasse, qui nobis exemplum dans, ædificationemq; credentibus nobis tradens, & artem belli Christi militibus demonstrans, sanguinem suum pro Christo effudit, mortemq; illam, quam saluator noster dignatus est pro nobis pati, hanc iste sanctus reddere voluit: pœnas omnes, ac tormenta, cruciatusq; omnes animose semper, infractoq; animo ferens, ac viriliter, magnoq; animo patiens mortem, tandem peruenit ad cælestia. Vnde Beatus Gregorius lib. mor. 13. cap. 9. Sed quid, inquit, in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui æterna gaudia quærimus hic, ad hoc venimus, & feriamur. O bone Iesu, qui martyres tuos fortes athlethas fecisti, fac nos semper, (qui tuam sanctissimam fidem firmiter, fortiter, viriliterq;, ac audacter profitemur,) currere constanter, & forti animo (ad instar huius sancti martyris, cuius hodie celebramus officium) transire tormenta huius mundi, pœnasq; omnes substinere: vt demum, æterna dona possideamus nos quoq;, sicut possidet hodie sanctus iste Dei martyr: vt ob hoc, quod pro te sanguinem effudit, in hoc triumpho, idest, in hac martyris victoria, dimittas culpam omnibus nobis tuis fidelibus seruis, qui vt hoc efficias, humilibus te rogamus precibus. Amen.

Luc. 9. Gregor.

In communi vnius Martyris ad Laudes Hymnus Vigesimus.

Martyr Dei, qui vnicum
Patris sequendo filium:
Victis triumphas hostibus
Victor fruens cælestibus.
Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue:
Arcens mali contagium:
Vita remouens tædium.
Soluta sunt iam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solue vinclis sæculi
Amore filij Dei.

Deo

Deo patri sit gloria *Cum spiritu paraclyto:*
Eiusq; soli filio: *Et nunc, & in perpetuũ. Amẽ.*

SAncta, & magistra fidei Ecclesia cum Beato Petro Archiapostolo sciens, quod Christus passus est pro nobis, qui & nobis, & omnibus reliquit exemplum, vt sequamur vestigia, eius simulq; sciens, quod omnes martyres relictis delectationibus, ac vanitatibus omnibus sæculi huius, reuera, & cum effectu bona opera exercentes, consequuti sunt Christum, patientes & mortem, sicuti ipse pro nobis idem Dominus Iesus Christus fecit, sustinentes: ideo hodie in vno laudat omnes alios martyres, sic incipiens. *Martyr Dei; qui vnicum Patris sequendo filium: Victis triumphas hostibus: Victor fruens cælestibus,* & qeæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus primo per Dei Ecclesiam supplex dirigitur oratio ad vnum, quem tu uis martyrem Christi. Secundo illa commendat illius constantiam in passione, qua hostes omnes fidei moriendo superauit. Tertio petit eius precibus nos omnes Christi fideles ad bonum adiuuari. Secunda pars est ibi: *Victis triumphas hostibus*. Tertia est ibi. *Tui precatus munere*, & infra. ¶ Ad intelligentiam præmisserum horum quatuor versuum aduertendum primo est, cur Martyr hic Dei martyr appellatur. Et quidem hic Dei martyr appellatur ad differentiam martyrum Diaboli, & huius sęculi. Sunt enim huius mundi & diaboli martyres hæretici omnes, qui, vt ait Augustinus in Homil. Oct. om. sanct. Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, inquit Paulus Rom. 16. & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Sunt & hypocritæ, & huiusmodi peccatores, & seductores, qui quęrunt mundi huius gloriam tantum, pro qua adipiscenda multa sustinent, tollerant, & perferunt, sed nunquam patiuntur pro Christi nomine, qui non sanctorum consortio iunguntur. Sed iam inferno destinati sunt. Secundo aduertendum est, quod Christus est vnicus patris filius, quia secundum diuinitatem vnigenitus est Dei patris, & quia à patre solo est genitus. Hunc ergo sane patris filium sequutus est gloriosus iste martyr, propterea Dei martyr dicitur, imitatione operum, vt quemadmodum idem Dei filius pro veritate, & iustitia, acerbissimam pertulit mortem: ita & is pro confessione veritatis fidei grauissima sustinuit tormenta. Vnde Beatus Ioannes ait: in hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Sed quoniam, ô Dei martyr sancte, tantis tu bonis nunc frueris in cælis, ideo *Tui precatus munere Nostrum reatum dilue; Arcens mali*

1. Pet. 2.

Huius hymni auctor est Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa

Martyr hic cur Dei martyr appellatur.

Martyres Diaboli qui.

Christus quomodo sit fili⁹ Dei vnicus.

Reat⁹ quid *mali contagium : Vita remouens tædium.* ¶ Et extingue reatum, Malũ quid idest, omnem actum nostrum, malum factum, ac commissum peccatum, quod nos ad pœnam æternam obligat: arcens mali, scilicet, diaboli contagionem omnem, fugestam nobis per mali diaboli fugestionem ex terrena delectatione, vitæq; nostræ huius naturalis remouens, ac procul pellens tædia, vt pote famem, sitim, nuditatem, frigus, & consimilia. Tædia vitæ quæ sint Vitæ namq; tædium est molestia, & anxietas animi, consurgens ex incommodis, ærumnis, & calamitatibus huius vitæ, vt paupertate, nuditate, orbitate, & huiusmodi afflictionibus: quæ si non æquo animo ferantur, inferunt noxiam sæpe tristitiam, & tantam animæ amaritudinem, vt aliquem Eccles. 30. interdum præsentis vitæ tędeat: propterea bene dicit Ecclesiasticus. Prouer. 17 Tristitiam longe pelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. Animus autem gaudens, ætatem floridam facit, & spiritus tristis exciccat ossa. Huiusmodi ergo tædium repelli à nobis petimus, vt per sublationem, occasionis, & materiæ illius afflictionis, & cruciatus animi, aut per patientiam, quam præsentis vitæ sortem acerbam, si eueniat, leuiter feramus, quod vtinam Deus in nobis faciat. Amen. Ex quibus omnibus colligitur peccatum commissionis, seu operis. Per malum intellige diabolum. Per vitam Vita triplex est. disciplinæ, quæ est modus, & ordo quidam, secundum quem quis viuere debet; nec vitam gratiæ, quæ est cum quis moritur vitijs, & Vita quid. viuit Deo per opera bona: sed vitam naturæ, quæ est animæ, & corporis coniunctio, quæ perdurat mediante cibo, & potu, intelligere debemus. *Soluta sunt iam vincula Tui sacrati corporis : Nos solue vinclis sæculi Amore filij Dei.* Amen. Vincula quid. ¶ Huius sancti martyris, sacratiq; eius corporis vincula, idest, compages, & vitæ coniuncturæ, & conexiones membrorum, soluta sunt, nempe, per mortem temporalem, illi inflictam, quæ quidem mors cum omnia dissoluat, puta humanas leges, resoluit etiam connexionem illam naturalem, & iuncturas vitæ prædicti sancti martyris necessarias. S. Deinceps Ambros. de Nupt. Vnde etiam consequenter est anima eius sacra domicilio corporis soluta tanquam carcere quodam, & ergastulo, nunc liberiore vitæ cælestis aura perfruitur. Vnde propter hoc petimus istius sancti martyris precibus tantum nobis Dei amore inspirari, vt soluamur à pedicis, & laqueis, nexibusq; concupiscentiarum huius mundi, quibus tanquam vinculis alligamur, & implicamur, quo minus liberi feramur in Deum. Amen.

In

In communi plurimorum Martyrum ad Vesperas Hymnus Vigesimusprimus.

Sanctorum meritis inclita gaudia
Pangamus socij, gestaq; fortia.
Nam gliscit animus promere cantibus.
Victorum genus optimum.
Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit.
Ipsum nam sterili flore per aridum
Spreuere penitus, teq; secuti sunt
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te furias, atq; ferocia
Calcarunt hominum, sæuaq; verbera:
Cessit his lacerans fortiter vngula
Nec carpsit penetralia.
Cæduntur gladij more bidentium:
Non murmur resonant non querimonia:
Sed corde tacito mens bene conscia,
Conseruat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere
Quæ tu martyribus munera præparas.
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.
Te, sũma deitas, vnaq; poscimus
Vt culpas abluas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, nos quoq; gloriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

IVsta, ac sancta Mater Ecclesia suum profecto vnicuiq; semper tribuere intendens, nempe Deitati cultum, & obedientiam, humanitati vero iura, videlicet maiori reuerentiam; compari concordiam; minori disciplinam, hodie laudes debitas, & sanctis martyribus suis, qui mundum cum pompis suis, & cum vitijs, & concupiscentijs suis dimiserunt, ac spreuerunt (quare in terra vbiq; laudantur, & in cælis honorantur) intendens persoluere, ac dare, & propterea sic cantans, ait. *Sanctorum meritis inclita gaudia Pangamus socij, gestaq; fortia. Nam gliscit animus promere cantibus Victorum genus optimum.* & infra. In qui bus omnibus primo iam dicta iusta, & Mater fidei nostra sancta *Hymni hu in author Ecclesia.*

Gg Ecclesia

Ecclesia intendit sanctorum martyrum præconia celebrare, quod contempto mundi faustu, & flore, Christum in tribulationibus secuti sunt. Secundo dicit, quod ipsi, superatis grauissimis tormentis, vitam adepti sunt perpetuam, in qua coronati, & amplissimis sunt præmijs honorati. Tertio dicit se ardente affectu desiderare, vt per se talium victorum genus efferatur. Secunda pars est ibi. Hi sunt, &c. Tertia est ibi. Nam gliscit animus, &c. Vel sic primo nos inuitamur ad cantandum martyrum laudes cum dicit Ecclesia. O socij. Secundo narrat tormenta simul, & laudes martyrum cum ait. Hi sunt. Tertio ineffabilia munera, quæ martyribus præparantur, aperit, cum ait: Quæ vox. Quarto rogat Deum, vt nos famulos suos sanctorum martyrum iungat consortio, cum ait. Te summa deitas, &c. ¶ Ad intelligentiam igitur horum primorum quatuor versuum, aduertendum primo, quis sit sanctus, & in quibus consistit sanctitas. Secundo videndum est, quæ sint gaudia inclita. Tertio quæ sint gesta fortia. Quarto præaduertendum est, quomodo sancti martyres victores fuerint. Ad primum dicimus, quod tota sanctitas, & iustitia hominis consistit in debita ordinatione, & conformatione ipsius ad Deum, scilicet quod tota ratio, & voluntas sit subiecta, & conformis diuinæ voluntati, & sensualitas sit subiecta, & conformis rationi, & sic totus homo est Deo conformis, & tunc dicitur sanctus. Vnde iste sanctus martyr, imo omnes martyres per sua gesta, fortia, & facta, quæ sunt, hunc mundum ipsos spreuisse, fortia calcasse, verberaq; superasse, illis vngulas cedisse, & non propter hæc tormenta vllum verbum fecisse, sed mentem eorum omnia in patientia conseruasse, & substulisse; sancti esse dicuntur hic per Dei Ecclesiam. Item, & propter ea inclita gaudia, quæ hic enititur concelebrare sancta Ecclesia; nunc habent, ac replentur in cælis, puta clara, & facili Dei visione, quæ datur eis in præmium ex merito fidei, quam hic habuerunt, & pœnarum, quas sustinuerunt. Alterum gaudium est perfecta, & secura possessio summi boni in præmium spei, quam hic habuerunt. Item & perfecta fruitio in præmium charitatis, quam cum effectu operum misericordiæ, & obseruatione præceptorum in hac vita habuerunt. Victores vero sancti martyres omnium tyrannorum, tortorum, cruciatuum, tormentorum, ac pœnarum, quas cucurrerunt, optimi, ac præstantissimi fuerunt, quoniam patiendo vicerunt, non resistendo, aut manibus cum hostibus conferendo: moriendo itidem vicerunt non victis superueniendo. Anima deniq; vicerunt, non corporis viribus, quo nullum victoriæ genus

Hymni huius diuisio, & summa.

Sanctus qui dicitur.

Fortia gesta sanctorum martyrum quæ sunt.

Gaudia martyrum inclyta quæ.

Martyres quomodo victores fuerunt.

nus est præstantius. *Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit, Ipsum nam sterili flore per aridum Spreuere penitus, teq; secuti sunt, Rex Christe bone cælitus.* ¶ Ad horum intelligentiam verborum videndum primo est, quomodo sancti martyres incoluerint hunc mundum. Secundo, qui sint mundi flores. Ad primum dicimus, quod mundus iste in se continuit quidem sanctos martyres secundum corporis incolatum, eos vero quantum ad mores, & vitæ institutum (Nam martyres propter temporalia corruptibilia, & transitoria, noluerunt perdere animam, & fœlicitatem æternam) refugit, ac odit, & eos inhorruit: quoniam non magnificabant, quæ mundi sunt; sed Christi affectatores, mundumq; præseferentem speciem quamdã pulchri, & boni spreuerunt, ne precium perderent æternum, ac vanum omnino, & emarcidum illum reputauerunt: quoniam Dominus omnibus suæ vitæ imitatoribus dixerat: si vos mundus odit, scitote; quoniam me priorẽ vobis odio habuit: si enim vos de mundo hoc fuissetis, mundus vos diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea vos odit mundus, idest, sæcularia desideria sectantes, & quærentes friuola, & vana temporalia, quæ beatos facere suos possessores non possunt, sicut amor Dei beatum constituit suum amatorem. Mundus ergo suos flores steriles semper desiderat, hoc est, honores, dignitates, diuitias, & voluptates; quæ sunt flores amatorum huius mundi, quos flores etiam si steriles, ambitiosi, superbi, vani, auari, & amatorum bonorum temporalium, & terrenorum, imo & diaboli semper quæritant, semper odorant, & subodorant, & nasum ad eos ponunt, etiam si eos diabolus illis porrigat; ac etiam si huiusmodi mundi flores illi videant siccos, steriles, ac omnino infructuosos. Sed aliquando isti mundi, ac florum mundanorum amatores, ad sanctos martyres, qui spreuerunt istos flores, dicent; isti sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati ad amorem Dei, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. *Hi pro te furias, atq; ferocia Calcarunt hominum, sæuaq; verbera: Cessit his lacerans fortiter vngula: Nec carpsit penetralia.* ¶ Ad horum verborum, ac versuum intellectum præmittendum est hic, quid nomine furiarum accipiendum sit. Secundo quid per ferocia. Tertio quid per vngulam. Quarto quid per penetralia hic intelligamus, vt hic singula sint consideranda verba. Ad primum igitur dico, quod meo quidem iudicio per furias hic ego intelligerem malorum hominum, ac sceleratorum animum ad iram; vltionemq; atq; ad impietatem

Incolatus martyrum in mundo qualis.

Ioan. 15.

Mundus hic quid.

Flores mũdi qui.

Sapien. 5.

Furiarum nomine quid accipiamus.

Ferocia quid significent. pietatem assidue intentum. Per ferocia vero intelligerem eiusdem mali animi effectum, scilicet, crudelitatem, & sæuitiam, in sanctos martyres illatam: itaut huiusmodi malus animus cum effectu ferociam in martyres eruerit, adhibens etiam instrumentum ferreum *Vngula quid:* acuminatum, ac dentatum ad corpus martyrum istorum, carpendum, *Penetralia nomine quid hic accipiendum.* diuidendumq;, ac lacerandum, nec non, & dilaniandum. Non tamen vngula talis, licet fortiter puniret vltra quæuis tormenta; intima sanctorum martyrum carpsit: hoc est, per eam non fuerunt tracta, siue diuisa eorum viscera, præsertim interiora animi, non quidem corporis. Nam interiora etiam, vt dictum est; beatorum martyrum viscera potuerunt sæuis vngulis dilaniari; vt nonnunquam dissecta leguntur, sed non carpsit vngula penetralia, scilicet, animi. Non enim potuit virtutem animi in penitissimo eius sinu reconditam, abditissimisq; mentis recessibus, siue solitudine, euellere, aut discerpere: neq; corda eorum à constantiæ, & fortitudinis suæ sede dimouere. *Cæduntur gladijs more bidentium: Non murmur resonat, non querimonia: Sed corde tacito mens* *Hebr. 11.* *bene conscia Conseruat patientiam.* ¶ Sicut sententia ante expositorum carminum videbatur excerpta esse à Beato Paulo, scribente ad Hæbræos; sic de martyribus, nempe. Alij vero ludibria, & verbera experti sunt: ita hic primus versus videtur ex eiusdem Pauli scriptis desumptus; cum pergit de eis dicens. Secti sunt, *Bidens quid.* tentati sunt in occisionem gladij mortui sunt. ¶ Est ergo aduertendum ad horum verborum intelligentiam, quod bidens, aut bidentes, dicuntur oues; quæ per ætatem duos dentes altiores habent. Vnde secundum Hyginum Bidens est hostia, dentes octo, *Compar.* vt habeat oportet, sed ex his duos cæteris altiores, per quos apparet, eam ex minore ætate in maiorem transcendisse. Vnde versus: Mactat mœstas de more bidentes. Hæc autem comparatio occisionis sanctorum martyrum ad mactionem ouium ex psalmo sumpta esse videtur, hanc ipsorum vocem ad Dominum exprimente. Quoniam propter te mortificamur tota die, facti sumus, sicut *Querimonia.* oues occisionis. In hac autem eorum occisione ipsi sine murmuratione, querelaq; ac sine omni lamentatione admirabilium patientia mortui sunt, Christiq; martyres facti sunt; ac velut ouis coram ton- *Isai. 53.* dente ad occisionem ducti nunquã aperuerunt os suum. Vnde propter quod ita fortiter, & patienter pro amore Dei sic libenter passi sunt ludibria, verbera, furias, ferocia, & vngulas: ideo, ò Dñe Iesu Christe. *Quæ vox, quæ poterit lingua retexere: Quæ tu martyribus munera preparas? Rubri nã fluido sanguine laureis Ditãtur bene fulgidis.*

¶ Inef-

¶ Ineffabilia profectò sunt munera, dona, ac bona, quæ sanctis martyribus dantur in cælis à Deo, postquam in sanguine suo fluido, ac liquido, rubri facti sunt pro fide Christi. Laureis siquidem coronis bene claris, fulgidisq; ac splendidis, dicantur, coronanturq; ac adornantur ita, vt nec lingua hominum satis sit ad explicandum, ac exprimendum eorundem magna munera, ac dona, & bona; quibus illi à Deo in cælis ditantur, ac replentur. Laureola vero martyres laureantur, idest, gloria glorificantur in cęlis de inuicta substinentia mortis pro fide, & iustitia; & hoc fit quoniam laurus apud antiquos victoriæ erat insigne, & qui victores euaserant, lauro coronabantur. Ex supradictis versibus nota, quod eorum sententia desumpta esse videtur ex dictis Beati Gregorij dicentis. Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia: Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei cultum canere, in circumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affligi, incorruptionis perpetuæ munere lætari. *Te summa Deitas, vnaq; poscimus; Vt culpas abluas, noxia subtrahas: Des pacem famulis, nos quoq; gloriam Per cuncta tibi sæcula. Amen.* ¶ Te, inquam, ò summa, & vna Deitas, poscimus, & rogamus humiliter, vt deleas, culpas nostras, idest, facta nostra mala, hoc est, peccata omnia, quæ operati fuimus, & commisimus actualiter, & sic peccata operis præterita, & præsentia. Item te rogamus, vt subtrahas à nobis noxia, scilicet, peccata futura modereris, & pacem nobis famulis tuis concedas. Nos vero (si deleueris præterita, & præsentia emandaueris, & futura cohibueris) tibi gloriam cantabimus per cuncta sæcula, idest, in hoc, & futuro statu nostro, quem æternum hodie à te habere petimus. Amen.

Laureola martyrũ. *Laurus.* *Gregor. in Euang. Luc. 4.* *Culpa 3d.*

In Communi plurimorum Martyrum ad Matutinum Hymnus Vigesimussecundus.

AEterna Christi munera,
Et martyrum victorias:
Laudes canentes debitas:
Lætis canamus mentibus.
Terrore victo sæculi:
Pœnisq; spretis corporis.
Mortis sacræ compendio:
Vitam beatam possident.
Traduntur igni martyres:
Et bestiarum dentibus:
Armata sæuit vngulis
Tortoris insani manus.

Nudata pendent viscera:
Sanguis sacratus funditur:
Sed permanent immobiles
Vita perennis gratia.

Te nunc redemptor quæsumus:
Vt martyrum consortio
Iungas precantes seruulos
In sempiterna sæcula. Amen.

Philip. 4. *Nota.* SAncta Mater Fidei Ecclesia, sciẽs cum Apostolo, quod cum quid boni exercemus in corpore, aut per corpus; tunc Deo viuentem hostiam dicitur offerre, quam obrem cum& sancti etiam, ac fortes Christi milites, & in bello strenui, corpora sua tradentes propter Christum ad supplicia, se ipsos immolantes, vt hostias Deo sacris altaribus, verius, & ipsi quoq; dicantur corpora sua Deo exhibuisse hostiam viuentem, sanctam, & bene Deo placentem: proinde iterum subdit de istis sanctis, & Christi martyribus dicere, ab huiusmodi auspicando genere dicendi, scilicet. *Aeterna Christi munera: Et martyrum victorias: Laudes canentes debitas: Lætis canamus mentibus;* & quæ sequuntur. ¶ Vbi primo prædicta Dei Ecclesia per Beatum Gregorium præmissi hymni authorem; exhortatur nos canere lætanter martyrum laudes. Secundo eorundem martyrum laudes, ac victorias depromit; nec non eorum inuictam constantiam in perferendis pro confessione fidei tormentis. Tertio rogat, nos in istorum sanctorum martyrum consortium admitti. Secunda pars est ibi. *Terrore victo sæculi*, &c. Tertia est ibi. *Te nunc redemptor*, &c. ¶ Pro intelligentia istorum igitur primorum quatuor versuum vide hymnum supra Apostolorum, qui incipit: sicut hic præsens, nempe: Aeterna Christi munera, qui est eiusdem sententiæ, sicut est hic primus quaternio, ibique dictum est discrimen inter munera, & dona, & alia, de quibus vide ibi. lætis igitur mentibus, idest, hilari animo, lætoq; corde, canamus, ac cantemus æterna munera, dona, ac ineffabilia bona, quibus Dominus Iesus Christus ditauit, & impleuit sanctos martyres in cælis, quæ numera à Christo martyribus collata sunt eorundem sanctorum martyrum gloria de inuicta sustinentia mortis pro fide, & iustitia, quod vt supra dictum. Canamus etiam & eorum victorias, ac triumphos de tyrannis, tortoribus, tormẽtisq; ac pœnis spretis, & superatis, & victis inimicis. *Terrore victo sæculi: Pœnisq; spretis corporis: Mortis sacra compendio: Vitam beatam possident.* ¶ Si vellemus; præamandi fratres, in medium afferre quot, & quanti fuerint sancti, qui non timuerunt huius sæculi, idest, hominum malorum, ac impiorum, tyrannorumq; terrorem, nec minas eo-

Hui⁹ hymni author Beatus Gregorius.

Munera martyrum quæ.

Martyres multi vltro se obtulerunt tormentis.

nas eorum iudicum perfidorum, & quot pro Iesu Christo se vltro terroribus obtulerint, ac audacter omnes corporis pœnas aspernati fuerint, profectò potius nos tempus, quam copia desereret. Nam audi Beatum Andream; qui adductus ad locum martyrij, cum crucem vidisset, longe exclamare cæpit: O bona crux, quæ decorem, ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite armata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Quid de Beato Ignatio; qui dicebat: Vtinam fruar bestijs, quę mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia. & infra. De Stephano lege etiam aliquid. Obserua de Ioanne Baptista. Et considera tormenta Beatæ Agathæ. Per compendium ergo sacræ mortis vitam beatam possident nunc in cælis sancti martyres. Compendium enim via breuior dicitur, quasi ad latus constituta, citiusq; ad terminum ducens, quam ea, quæ publica, & pertrita est, vt in sacra legitur scriptura Achimas cucurrisse per viam compendij, & transisse Chusen, qui tamen prior ad cursum se cinxerat. Quoniam autem mors temporalis, quam pertulerunt sancti martyres, admodum breuis est in collatione ad vitam sempiternam, quam per mortem illam sunt assecuti: ideo rectè dicuntur hic in præsenti hymno possidere in cęlis vitam beatam per sacræ mortis eorum compendium, quasi mors illa fuerit via quædam compendiaria ad assequendum illum terminum, & metam, scilicet, vitam æternam. Hæc autem vita secundum Beatum Augustinum in Homil. Festi. S. Ioan. Euang. quam nunc sancti martyres possident; vere est in specie, vere est in æternitate mansionis, vere in requie, vere est in patria, vere in mercede contemplationis, vere non amplius cum hoste pugnat, sed sine hoste regnat, & tanta plenitudine gratiæ abundat, vt summo cohæreat bono, & proinde sapientia de istis martyribus cantat: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

Compendium quid est.

Martyres Dei quam possident vitam. Nota.

Sap. 5.

Traduntur igni martyres: Et bestiarum dentibus: Armata sæuit vngulis Tortoris insani manus. ¶ Ad istorum verborum intelligentiam videndum primo est, qui fuerint sancti, qui ignibus in mortem traditi sint, & qui bestiarum dentibus. Secundo videndum est, quid per tortorem hic intelligamus. Tertio, quid per vngulas accipiamus. Ad primum dicimus, quod traditi quidem sunt ignibus quam plurimi martyres, peculialiter læuita Laurentius: Martyr Ignatius, qui Troiano Imperatori dicebat: Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum

Martyres, qui ignibus perierunt, qui sint.

Christo fruar. Similiter Faustinus, & Iouita, qui in ignem iniecti à flamma integri, & incolumes saluati sunt. Bestiarum vero dentibus dati sunt multi præsertim præmemoratus sanctus Ignatius, similiter sanctissima virgo; & Martyr Beata Martina Romana, quæ leonibus obiecta (nomine enim bestiarnm leones haud dubie accipere hic possumus) virtute diuina eorum euasit immanitatem, quam, cum mihi sponsa sit, & patrona; ingressus sum enim suam sancta sacerdos, ac parochus; in æternum apud Deum aduocatam mihi esse rogo nunc, & semper. Amen. Prisca quoq; Euphemia, ac Thecla, Virgines dentibus bestiarum, ac feris fuerunt obiecta, & immissæ. Ad secundum dicimus, quod tortor hoc loco significat eum, qui carnificum officium exercet; & sic tortorem accipimus pro carnifice. Alias autem tortores sunt maligni spiritus, quibus miser homo ad puniendum traditur iuxta illud Matth. 18. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus. Ad tertium dicendum est, quod vngula dicitur de his animalibus, quæ digitos non habent; sicut vnguis eorum proprie animalium, quæ digitis sunt prædita. Sed hoc loco pro instrumento ferreo, vt pectine, dentibus acuminatis, aut alio quouis; quo dilacerantur, ac discerpuntur corpora hominum in equuleo extenctorum, quod, & supra annotauimus. *Nudata pendent viscera: Sanguis sacratus funditur: Sed permanent immobiles Vita perennis gratia.* ¶ Sacratus quidem sanguis sanctorum martyrum funditur, coram impijs, & tyrannis Imperatoribus, & iudicibus, & nihilominus eorum viscera, ac corda immutabilia audiuntur ad sustinendum martyrium pro Christi amore. Vel viscera nudata pendent, idest, munda, & impolluta sunt omni inquinamento, & mundano desiderio; ac sic pensi, & suspensi sancti martyres solum anhelant adipisci vitam æternam per gratiam Dei perennem; qua sic sustinent, & immobiles permanent. Gratia enim Dei id sum; inquit Paulus, quod sum, & paulo inferius: laboraui non ego; sed gratia Dei mecum. Et psaltes. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Adiuuante ergo gratia Dei, sustinuerunt omnia martyria.

Bestiarum dentibus qui martyres dati sint.

Sancta Martina obiecta fuit leonibus.

Tortor quid.

Vngula quid.

Viscera quid.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Psal. 113.

In

In communi Plurimorum Martyrum ad Laudes Hymnus Vigesimustertius.

Rex gloriose martyrum:
Corona confitentium:
Qui respuentes terrea
Perducis ad cælestia.
Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus:
Trophea sacra pangimus:
Ignosce, quod deliquimus.
Tu vincis in martyribus:
Parcendo confessoribus:
Tu vince nostra crimina:
Donando indulgentiam.
Deo patri sit gloria:
Eiusq; soli filio:
Cum spiritu paraclito
Et nũc, & in perpetuũ. Amẽ.

Mater sancta Dei Ecclesia cũ Beato Apostolo agnoscens, Christum primum omnium Martyrum sustulisse martyrium, semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo patri in odorem suauitatis tradisse (vnde propter hoc merito Rex martyrum gloriosus hic dicitur) idcirco adhuc alia martyrum merita iterum se accingit celebrare, sic pergens dicere. *Rex gloriose martyrum: Corona confitentium: Qui respuentes terrea Perducis ad cælestia.* & reliqua. ¶ Vbi primo ad Christum Ecclesia per Beatum Gregorium huius hymni author facit orationem, vt ob merita, & præclaras martyrum victorias, nostras preces benignus audiat. Secundo petit, vt peccatorum nostrorum veniam concedat. Tertio rogat, vt demum nobis conferat æternæ vitæ præmia. Secunda pars est ibi. Aurem benignam, &c. Tertia est ibi. Tu vincis &c. ¶ Ad istorum primi huius quaternionis versuum intelligentiam, primo aduertendum est, quomodo Christus sit Rex gloriosus aliorum martyrum. Secundo sit corona confitentium. Tertio, qui sint, quos Deus perducit ad cælestia. Ad primum dicimus, Christum Regem esse martyrum gloriosum quidem, ac supremum, & eminentissimũ, veteres omnes longe magis antecedentem, quam Rex quiuis subiectum sibi populum vnquam antecesserit: quoniam ipse Deus est, & homo, at alij homines tantum, ipse peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Alij homines dicunt, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ipse morti non fuit obnoxius, & indebitam mortem sponte su-

Ephes. 5. *Hui⁹ hymni author Beat⁹. Gregorius* *Huius hymni diuisio, & summa.* *Christus Rex martyrum, & quomodo.* *1. Ioan. 1.*

te suscepit. Alij homines omnes morti fuerunt debitores, & aliquando debitam mortem spontanee Deo obtulerunt. Ipse pro totius mundi salute oblatus est Deo patri in hostiam, & odorem suauitatis. Alij vero pro fratribus quidem posuerunt, sed peculiaribus tantum, & qui aut intuitu mortis eorum, aut auditu conuersationis suæ frugem inde accipere potuerunt, & quia plus quam omnes passus est. Nam reliqui à Deo confortati sunt, vt supra præcedenti hymno dicitur, scilicet, *Sed permanent immobiles Vitæ perennis gratia*, ipse vero non. Ad secundum dicimus, quod Christus est corona confitentium, scilicet confessorum, & eorum, qui vitæ sanctimonia claruerunt, non tamen suum sanguinem pro Christo fuderunt, sed placida morte pie defuncti sunt. Vel Christus dicitur corona, ac decus, & ornamentum, vt dictum est fusius supra in hymno. *Deus tuorum militum:* confitentium martyrum Christum coram hominibus in tormentis, & cruciatibus, & confitentium semper fidem, & iustitiam Christi, dum pro ea patiebantur. Ad tertium dicimus, quod Deus solum terrea, terrenaue, ac mundana respuentes tanquam friuola, ac vana, perducit ad cælestia: non autem illos, de quibus Baruch. 3. ait. Vbi sunt, ait, principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram, qui in auribus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt, & non est finis acquisitionis eorum, qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum suorum. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exsurrexerunt, scilicet, respuentes terrea. Vnde & Dominus dixit, qui non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, & agros, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Vis ergo habere diuitias? Ecce gloria, & diuitiæ in domo eius. Vis pulchritudinem? Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum absq; eo, quod intrinsecus latet. Vis habere pacem? Apostolus dicit de Christo. Ipse enim est pax nostra. Vis honorem? Audi Dauid. 138. Psal. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Male ergo dixerunt illi, qui beatum dixerunt illum populum, cui hæc sunt, scilicet, aurum, argentum, agri, ac campi, ac filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi, promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: Oues eorum fætosæ abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ: Non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatus est ergo ille populus, cuius est Dominus eius: non cui hæc supradicta sunt. *Aurem benignam protinus. Appone nostris*

Christus corona confitentium.

Quos Deus perducit ad cælestia. Baruch. 3.

Math. 5. Psal. 110.

Cant. 4.

Ioan. 4. Ephes. 2. Psal. 138.

Nota hic hunc locũ.

Populus beatus est, cuius est Dominus eius.

nostris vocibus: Trophea sacra pangimus: Ignosce quod deliquimus. ¶ Litera clara est, solum dico, quod in persona Christiani populi hunc ipse recitans versiculum: Te Christe humiliter precor, vt cum has sacras martyrum tuorum victorias pangimus, cantamus, ac celebramus, statim velis aurem tuam benignam nostris apponere vocibus, ac statim dimittere. & parcere nobis peccata, quæ in non obseruando præcepta tua fecimus, & deliquimus, & posthac surgere, ac dare nobis vires, animamq;, ac virtutem, vt mundo, carniq;, ac diabolo, resistamus. Amen. *Tu vincis in martyribus: Parcendo confessoribus: Tu vince nostra crimina: Donando indulgentiam.* ¶ Tunc certe Rex vincit in militibus, si miles contra tyrannum Regni occupatorem pugnat pro Rege, & victoriam assequatur profligato tyranno. Nam tunc miles non sibi, sed Regi certauit, à quo certandi munus, & potestatem accepit. Martyres autem omnes animosi sunt Christi milites, qui contra aduersas potestates, totum fere genus humanum occupantes, prælia Domini certarunt, ac eas antiquis sedibus suis fraude, & dolo occupatis eiecerunt, & vicerunt quidem ipsi, vt ministri, ac milites. Verius autem Christus in eis vicit, quia pugnandi, & vincendi vires illis suffecit: vt quam incoharent pugnam, prosequerentur, & conficerent, animum illis, virtutemq; ministrauit; & martyres ipsi non ad propriam, & suam ipsorum gloriam, sed soli Christo certarunt, vt Regi, & Domino suo. Ex quibus omnibus supradictis colligimus, quod vincere diabolum, tyrannum, corpusq; cruciatibus tradere, contemnere vitia, lassare tortorem, capere de iniurijs gloriam, de morte vitam, non virtutis humanæ, sed muneris est diuini, quia non solum datur nobis in ipsum credere, sed pro ipso pati, ait Paulus. Vnde viginti quatuor illi seniores apocalypsis adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Dei, & quid est coronas suas ante thronum Dei mittere, inquit Gregorius, nisi certaminum suorum victorias non sibi tribuere; sed authori, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. Tu ergo, ò Christe, existens intra martyres, dum torquebantur, ac patiebantur, vincis, ac superas pro illis tormenta, ac cruciatus, pœnasq; omnes, & hoc facis parcendo dolorem, & cruciatus omnes, tum animi, tum etiam corporis, singulorum martyrum confessorum, (martyres enim confessores dicuntur, quoniam confessi sunt in martyrijs suis fidem iustitiamq;, ac veritatem Christi Domini sui. Vulgari enim, adagio, ac sermone, dici solet: Gli hà perdonata la pœna, sic etiam hoc loco cum dicimus, parcendo confessoribus, idest, prohibendo, ac

Christum vincere in martyrib. quid.

Greg. lib. 22. moral. cap 10.

Philip. 1.

Apoc. 4.

Nota.

Litera constructio.

Martyres confessores dicuntur, & cur.

do ac arcendo, dolorem, ac cruciatum ab ipsis martyribus, confitentibus nomen Iesu Christi. Sic ò Domine, tu vince nostra crimina, ideſt, in nobis exiſtens, ſicut extitiſti in martyribus, vt vincerent, & crimina noſtra, ideſt, per diabolum nobis ſuggeſta crimina, & peccata, vince, fuga, ne nobis approximent, & de præteritis, ne recorderis amplius, donans nobis indulgentiam, de omnibus, & ſingulis commiſſis. Amen.

In comumni Confeſſorum Pontificum ad Veſperas Hymnus Vigeſimuſquartus.

Iste cõfeſſor Domini ſacratus,
Feſta plebs cuius celebrat per orbem:
Hodie lætus meruit ſecreta
Scandere cæli.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit, & quietus:
Vita dum præſens vegetauit eius
Corporis artus.
Ad ſacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modo ſanitati
Quolibet morbo fuerint grauata
Reſtituuntur.
Vnde nunc noſter chorus in honorem
Ipſius hymnum canit hunc libenter
Vt pijs eius meritis iuuemur
Omne per æuum.
Sit ſalus illi, decus, atq; virtus,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat
Trinus, & vnus. Amen.

Nostra, ac omnium mater Eccleſia cum huc vſq; profecto verba ſatis abunde de ſanctis Chriſti martyribus egerit: ipſi modo iuri conſonum videtur de ſanctis confeſſoribus, & aliqua laudum eorum carmina promere, & cantare. Non modica enim ipſi quoq; confeſſores digni ſunt apud Chriſtum remuneratione, ac gratia. Mundum enim aſpernati ſunt, carnem frenarunt, inſidias dæmonum declinauerunt, quæ tandem poſt huius vitæ curſum (vt videmus, hunc, cuius hodie feſta celebramus, confeſſorem cæleſtia ſcandere, atq; petere) aſſecuti ſunt, proinde dicit: *Iſte confeſſor Domini ſacratus: Feſta plebs cuius celebrat per orbem: Hodie lætus*

tus

tus meruit secreta Scandere cæli, & cætera. ¶ In quibus Dei Ecclesia primo dicit, quod iste, qui vis tu sanctus confessor hodie ad cælum ascendit. Secundo eius virtutes, ac sanctitas per eam celebrantur, & commemorantur. Tertio prædicti confessoris miracula, diuinæ bonitatis intuitu ad eius sepulchrum facta enarrantur. Secunda pars est ibi. Qui pius. Et infra. Tertia est ibi. *Ad sacrum cuius tumulum*. &c. ¶ Ad iam præmissorum quatuor priorum carminum intelligentiam, non est, quod pluribus vtamur verbis: sed solum notare debemus, quod iste sanctus confessor ob virtutes, (virtus enim est vitium fugere) & merita eius, quæ hodie sancta Ecclesia celebrat in toto orbe terrarum, & quæ infra in discursu hymni recitantur; euehitur, efferturq;, ac euolat in cælum hodie, quo Deus illum dignatus est, in locoq; aliorum sanctorum, ac beatorũ collocatur. *Qui pius, prudens, humilis, pudicus, Sobrius, castus fuit, & quietus Vita dum præsens vegetauit eius Corporis artus*. ¶ Certe si bene hęc prærecitata verba consideremus, quæ quotidie fere nobis sancta mater Ecclesia proponit cantanda, profecto quilibet nostri temporis confessor, & doctor, & Episcopus, dicet intra se: Si hæc in nobis inesse non curamus, vt pote Pietatem, Prudentiam, Humilitatem, Pudicitiam, Castitatem, & quietem, secreta cæli non scandemus, sicuti hodie iste confessor sanctus scandit. Sint igitur pij omnes Episcopi, confessoresq; doctores, prælatiq; etiam, ac præsidentes omnes, se omni creaturæ benignos exhibentes. Verum Deum pręalijs, patriam, & parentes, eosq;, qui loco parentum sunt, iusto ament cultu. Pij, inquam, sint poximo, inquantum est indigens, subuenientes, & inquantum est ad Dei imaginem, & similitudinem creatus. Sint & prudentes non solum literarum peritia, sed etiam negotiorum dispositione, parati enim esse debent reddere rationem omni poscenti satisfactionem de ea fide, & spe, quæ illis est, sint ergo prudentes sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ. Pæterea sint humiles, mites, & spiritu pauperes, idest; non inflati, & non in superbiam elati, neq; percussores, sed modesti: non litigiosi, sed humiles, quia Deus respiciet, & approbabit humilitatem eorum, sicut approbauit humilitatem ancillæ suæ. Sint casti in corpore, & anima, atque fatigent carnis iura, hoc est, oblectamenta mollia, & illecebrosa, & harum inclinationes, & pronitatem ad carnalia desideria, reprimant in se vigore, ac lege spiritus, quemadmodum Beatus Paulus se ipsum omnibus exemplum proponens reprimebat. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. Quam autem pudicitia retinenda,

Huius hymni author Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa

Virtus qd.

Verba hæc quam consideranda.

Episcopi quas partes habere debent.

Pij sint.

1. Pet. 3.
Math. 10.
Humiles.
Luc. 16.

Casti.

Luc. 1.
1. Cor. 9.

nenda, amandoq; fit, & castitas, præamandi fratres, ex Ioseph co-
Genes. 39. gnoscere clare possumus, siquidem quamuis ipse esset seruus emp-
Genes. 34. titius, & elegantis formæ iuuenis sine vxore, tamen sollicitatus à domina sua recusauit stuprum, & maluit offendere eam, quam perdere castitatem. Præterea etiam dicitur, quod Sichem violauit Dinam, ideoque rem fœdam operatus est. Vnde si hoc ante legem scriptam sub legis naturæ talis impudicia reprehensa
Sobrij sint. est, quanto magis sub lege gratiæ. Sint etiam sobrij in potuque
Sobrius vnde dicitur. excessum cohibeant, vt mensurati dicantur. Nam sobrius dicitur, quasi insebrius, idest, mensuratus. Briar enim est mensura, & per oppositum dicitur ebrius, idest, extra briam, idest, sine mensu-
Rom. 12. ra. Non ergo in commessationibus, & ebrietatibus ambulemus.
Venter vino plenus quid. Etenim venter mero æstuans, cito despumat in libidinem, ita vt sic existentes, non essemus ministri Dei, quia ambulans in via imma-
Psal. 110. culata, hic mihi, inquit, Dominus, ministrat. Vnde Dominus di-
Leuit. 10. xit ad Aaron: Vinum, & omne, quod in ebriare potest, non bibes tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne mo-
Iudit. 9. riamini. Notent pręterea & illud libri Iudith. 9. inter epulas, &
Isai. 28. pocula maledicebant Abimelech. Et illud Isaiæ. 28. Sacerdos, & Propheta nescierunt prę ebrietate: omnes enim mensæ repletæ vo-
Quieti sint mitu sunt, sordiumq;, &c. Quieti demum sint, & tranquilli, & non litigiosi, & non discoli, ac quasi à schola pacificorum diuisi, ac sa-
Math. 12. cerdotum, quia, qui non colligit mecum, contra me est. Et nota, quod sententia istorum quatuor carminũ desumpta videtur ex Pau-
Timoth. 3. lo ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. dicente: Episcopum oportet esse pru-
Tit. 1. dentem, sobrium, pudicum. &c. *Ad sacrum cuius tumulum frequenter Membra languentum modo sanitati Quolibet morbo fuerint grauata Restituuntur.* Certe monstratur hoc loco quantæ sanctitatis, & virtutis, auctoritatisq; essent sancti confessores apud Deũ & præsertim iste, quia, quocumq; morbo, & ęgritudine laborarent illi, qui ad eorum tumulum, idest, sepulchrum (tumulus enim di-
Tumulus vnde. citur, quasi tumens tellus, quoniam homine in terra sepulto, terra aliquantulum eleuatur) ibant, sanabantur. Vnde vere non tantum Apostolis suis, sed & istis dedit quoq, Deus virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, vt & languores curarent etiam post
Math. 19. eorum mortẽ. Cęterum de quibus membris sit intelligãdum hic ad-
Membrorũ genera quot sunt. uerte. Nam membra corporis nostri triplicia sunt, quædam sunt radicalia, vt iecur, cor, cerebrum, sunt genitalia, inter quæ tria prima sunt ad esse, in quibus sedem habet spiritus naturalis, vitalis, & animalis: sed membra genitalia sunt ad conseruationem speciei, & de istis non est hic intelligendum. Alia sunt membra deseruientia,

vt ve-

vt venæ, arteriæ, & nerui, per quæ vehitur ille triplex spiritus, & de neruis hic saltem potest intelligi. Alia sunt membra officialia, vt manus, pes, brachium, & huiusmodi, de quibus similiter hic potest intelligi, & etiam de membris artificialiter ordinatis, vt de cruribus, & de medijs, vt de brachijs. *Vnde nunc noster chorus in honorem. Ipsius hymnum canit hunc libenter: Vt pijs eius meritis iuuemur Omne per æuum.* ¶ Q. d. & propter prædictas virtutes, merita, & miracula mouetur nunc sancta Ecclesia ad canendum in honorem istius sancti confessoris hunc præsentem hymnum, siue laudatorium. Sed ad quid sic moueatur etiam canere huius sancti hymnicas laudes, subdit, dicens, vt pijs eius meritis, idest patrocinijs, & orationibus, quæ apud Deum maximi sunt meriti, semper, idest, in perpetuum, & sine fine adiuuemur, quod est, quod dicit, omne per æuum. Nam æuum est ætas perpetua, cuius neque initium, neq; finis noscitur. *Sit salus illi, decus, atq; virtus: Qui supra cæli residens cacumen Totius mundi machinam gubernat Trinus, & vnus. Amen.* ¶ Ad veram istorum vltimorum carminum, ac verborum intelligentiam videndum primo, quomodo Deo conueniat salus, decus, atq; virtus. Secundo quomodo dicatur residere supra cæli cacumen. Tertio sit trinus, & vnus. Quarto quomodo trinam mundi machinam gubernet. Quinto in quibus consistat ista trina mundi machina. Ad primum propositum dicimus, quod Deo, & Christo Domino conuenit, & attribuitur salus: quoniam in eo congregata sunt septem bona, scilicet: salus, vt omnes posset saluare, & à morte viuificare: Misericordia, vt omnes posset ab omni miseria releuare: Iustitia, vt posset iustificare: Pax, vt nos Deo reconciliaret: Benignitas, vt iram, & indignationem Dei mitigaret, & à nobis auerteret: Veritas, vt nostras tenebras ignorantiæ fugaret, & omnia scripta in lege, & Prophetis verificaret: Gloria, vt nos glorificaret. Item quoniam venit saluum facere, quod perierat. Vnde Propheta: Operatus, inquit, est salutem in medio terræ. Præterea decus Deo, & honor, & laus dari debet; quoniam multa, & famosa fuerunt eius gesta, & facta. Virtus quoq; quoniam virtutis author, & doctor ipse fuit. Vnde Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & quoniam vitium ipse, vt virtus, quæ est vitium fugere, fugit, & quoniam virtus est cordium, influens vitam gratiæ, & gloriæ. Sedet autem Christus super cæli cacumen, idest, Christus, vt Rex, & Dominus omnium, gubernator super omnes, & ab omnibus habet gloriam, & honorem, & cultum, & latriam, & adorationem, & hoc est sedere supra cæli summitatem. Et hic Dominus noster Iesus Christus dici-

Deo cur est ueniat salus &c.

Christus veritas. Psal. 73.

Deus cur.

Virtus cur

Sedere super cæli cacumê quid est.

tur

tur vnus, & trinus, quia Deus dicitur pelagus, & fons omnium perfectionum essentialiter: & isto modo, est nisi vnus solus Deus, vt probant omnes doctores supra lib. sententiarum. At in isto vno, seu vna vnitate naturæ diuinæ sunt tres personæ: gubernat autẽ, ac regit Deus huius mundi machinam? quoniam istud nomen Deus, & Dominus dicitur à dominando, quod idem est, quod totam domum disponere, regere, & gubernare ad suam voluntatem, & arbitrium, & propter semet ipsum mouere. & sic patet, quod vnus solus Deus, & Dominus, est vniuersi gubernator, & rector: quia sicut ab æterno pater dicendo ab intra producit verbum, & ambo spirando producunt spiritum per modum voluntatis: Ita pariter pater ex tempore dicendo ad extra per verbum produxit hunc mundum visibilem, & pater, & verbum spirando super omnia creata per Spiritum sanctum produxerunt ea in esse essentiæ. Vnde sicut Deus propter quem, & ad cuius facta sunt omnia: ita etiam solus Deus per se gubernat, & regit vniuersum, hoc est, totius mundi machinam, ex natura angelica quæ est incorporea, ex natura cælesti corporea, & incorruptibili: & ex natura elementali, quæ est corporea, & corruptibilis, & sic mundus est trinus, & vnus ad instar sui creaturis.

Deus quomodo machinã mũdi regit.

Mũdi machina in triplici cõsistit natura.

In communi Confessorum Pontificum ad Laudes Hymnus Vigesimusquintus.

IEsu redemptor omnium:
Perpes corona præsulum:
In hac die clementius
Nostris faueto precibus.
Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit:
Huius celebrat annua
Deuota plebs solennia.
Qui rite mundi gaudia
Huius caduca respuens:
Cum angelis cælestibus
Lætus potitur præmijs.
Huius benignus annue
Nobis sequi vestigia:
Huius precatu seruulis
Dimitte noxam criminis.
Sit Christe Rex pijssime
Tibi patriq; gloria
Cum spiritu paraclito,
Et nunc, & inperpetuũ. Amẽ.

NOstra sancta mater Ecclesia sanctorum patrum, ac Pontificum vestigijs, ac exemplis inhærendo, eaq; tanquam præuia ac salutaria

lutaria ad ea nimirum bona adipiscenda, quæ homines beant, sequens, ac stricte complectens: præclaram, nec non etiam eorundem sanctorum pontificum vitę sanctitatem nos imitari cohortans, immo eam semper præ oculis habendam nobis, ac cantandam; proponens, sic nos dicere docet, nempe. *Iesu redemptor omnium: Perpes corona præsulum: In hac die clementius Nostris faueto precibus.* & reliqua. ¶ Vbi primo ad Christum Dei Ecclesiam habetur oratio, vt huius sancti confessoris (cuius hodie diem festum cele bramus) placatus ipse sanctis eius precibus nobis, & peccatorum veniam tribuat. Secundo; oratur idem; vt det nobis gratiam imitandi præclaram, huius beati confessoris, ac vitæ eius sanctitatē. Secūda pars est ibi. *Huius benignus annuę Nobis sequi vestigia*, &c. ¶ Ad istorum igitur priorum carminum intellectum esset aliquid dicendum de hoc nomine, Iesus; & quomodo omnium sit ipse redemptor, ac quomodo sit corona sanctorum, & præsulum. Verum quoniam de omnibus istis supra in sexcentis fere locis dictum est, & præsertim in hym. Ascēsionis, sanctorum omnium, & in eo qui incipit: Deus tuorum militum: ideo tu pie lector require ibi. Nota tamen hic, quod præsules possunt intelligi præsidentes, siue principes sancti præteritorum sæculorum, quos Deus principes, hoc est, Episcopos, doctores confessoresq;, ac Apostolos; constituit super omnem terram. Erant enim isti præsules sicut hodie Episcopi, qui constituti sunt superintendentes ciuitatum, idest, populorum Christianorum, ac animabus eorum, qui alio vocabulo antistites vocantur. *Tui sacri, qua nominis Confessor almus claruit: Huius celebrat annua Deuota plebs solennia.* ¶ Adesto, inquam, Domine tu supplicationibus nostris, & inuocationibus hodierna die, in qua quidem iste sanctus confessor, ac tui sacri nominis, idest, potestatis, fideiq; ac iustitię, & veritatis professor, ac inuictus confessor, gloriosum se exibuit, claruitq; in conspectu Dei sui: Cuius annua solennia, idest, annua eius festa, seu annuum diem festū eius Ecclesia celebrat, & frequentat singulo quoq; anno. *Qui rite mundi gaudia Huius caduca respuens Cum angelis cælestibus: Lætus potitur præmijs.* ¶ Quoniam autem hic almus virgo scilicet, idest, sanctus iste confessor claruit, idest, clarus apparuit, & inuictus professor nominis Iesu Christi ob fidem, spem, & charitatem, quas habuit cū operum misericordiæ obseruatione, nec non, & præceptorū Domini sui; ideo nunc lætus cum angelis potitur præmijs fidei suæ, spei, ac charitatis. quæ quidem præmia sunt clara, & facilis visio diuinæ essentiæ, & indiuiduæ Trinitatis: quæ quidem clara visio datur huic confessori in præmium, ex merito fidei, quam hic habuit. Datur etiam

Huius hymni autor Eccle sia.

Hymni huius diuisio, & summa

De nomine hoc, Iesus, & quomodo sit redemptor omniū remissiue.

Præsulum nomine, quid accipiendum.

Nominis sacri appellatione quid.

Solemnia diem festū significant hic.

Præmia, quæ potitur iste cõfessor quæ sint. ei,& aliud præmium,quod est perfecta,& secura possessio illius summi boni in præmium spei, quam hic in mundo habuit. Datur item præmium aliud,quod est sufficiens, & perfecta fruitio in præmium charitatis,quam hic habuit cũ effectu operum misericordię, & obseruatione præceptorum; ex quibus tribus præmijs resultat in ea vera,& perfecta beatitudo in anima. Nunc tandem vides, qua remuneratione remunerantur illi, qui mundi huius gaudia, honores, dignitates,& opes,& vana omnia,& mundana, ac caduca contemnunt. Nam cum sanctissima Trinitate,cum beata Virgine, ac cum angelis omnibus omnia desiderabilia possident,ijsq; toti replentur.

Vestigia, quæ sancti patres reliquerunt, quæ sunt. *Huius benignus annue Nobis sequi vestigia: Huius precatu seruulis Dimitte noxam criminis.* ¶ Sane vestigia vltra ea, quę hic de contemptu mundi dicuntur, quæ iste sanctus cõfessor nobis hinc ad cælum proficiscens,legauit,& reliquit:Beatus Petrus Christi Vicarius recenset, cum ad Clementem ait 8. q. 1. c. clemens singulos, inquit, prout potueris, iuua, & singulos releua. Iustis ergo nos oportet insistere laboribus: prius nempe nos met ipsos ab hoc sæculo immaculatos custodire,mentem,manum,linguam, ac membra corporis cætera ab omni inquinamento culpæ tentantis continere, ac diuinis perpetuo subiugare seruitijs. Deinde etiam proximi necessitatibus iuxta vires occurrere, esurienti cibum, potum sitienti, algenti vestitum ministrando, infirmum visitando, mortuum sepeliendo,eripiendo inopem de manu fortiorum eius, egenum,& pauperem à diripientibus eum; sed,& erranti viam veritatis ostendendo, ac cæteris se mancipando fraternæ dilectionis obsequijs, insuper etiam vsq; ad mortem pro iustitia certando. Item Augustinus, Quapropter,inquit,carissimi,mente integra,fide firma, virtute robusta,charitate perfecta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conseruantes fortiter Dei mandata in simplicitate, seruate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, indefessa veritate constantiam,indisciplinæ veritate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum in nobis desit. Hæc sunt vestigia,quæ nobis quiq; reuertentes in patriam reliquerunt, vt illorum semitis inhærentes sequeremur ad gaudia. Amen.

8.q.1.c.clemens. Nota bene. *Aug.in sermone omnium sanctorum.*

In communi Confeßorum Pontificum ad Laudes Hymnus Vigesimussextus.

IEsu corona celsior:
Et veritas sublimior:
Qui confitenti seruulo
Reddis perenne præmium.
Da supplicanti cœtui
Obtentu huius optimi
Remissionem criminum:
Rumpendo nexum vinculi.
Anni reuerso tempore
Dies illuxit lumine,
Quo sanctus hic de corpore
Polum migrauit præpotens.
Hic vana terræ gaudia:
Et lutulenta prædia,
Polluta sorde deputans
Ouans tenet cælestia.
Te Christe Rex pijssime.
Hic confitendo iugiter
Calcauit hostem fortiter
Superbum ac satellitem.
Virtutum actu, & fide:
Confessionis ordine:
Ieiuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.
Proinde te pijssime:
Precamur omnes supplices:
Vt huius almi gratia
Nobis remittas debita.
Gloria Patri Domino
Gloria vnigenito
Vna cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SAncta Mater Ecclesia in præcedẽti hymno exultauit, maximisq; laudibus affecit, præconizauitq; sanctissimos confessores, tanquam summos Pontifices, episcopos, ac antistites, ac tanquam cæteris digniores simplicibus confessoribus: & profecto bene fecit. Digniora siquidem (prout Vlpianus iure consultus admonet) semper sunt præferenda. Nunc vero de minoribus sanctis confessoribus, non pontificibus, sed dumtaxat abbatibus hodie canere, ac sanctæ festum diem agere intendit, dicens. *Iesu corona celsior: Et veritas sublimior: Qui confitenti seruulo Reddis perenne præmium.* & quæ sequuntur. ¶ Vbi per Dei Ecclesiam primo petimus, vt à nexu peccatorum per intercessionem illius sancti confessoris absoluamur. Secundo per nos laudatur hic confessor, qui (iuxta Ioannis 1. Ioan. 2. dictum, dicentis: Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non est charitas patris in eo) contemnens mundana, & inimicum superauit, & dapibus ille nunc supernis potitur. Tertio petimus, vt huius sancti gratia, ac merito remittat nobis Deus peccata. Amen. Secunda pars est ibi. *Anni reuerso tempore*, &c. Tertia est ibi. *Proinde te pijs-*

l. 1. & 2. de Albo scriben.

Hymni huius author Ecclesia.

1. Ioan. 2.

Christus quõ corona sit celsior & veritas sublimior. *te pijssime*, &c. ¶ Ad priorum quatuor istorum versuum, videndum primo est, quomodot Chistus Iesus sit corona celsior, & veritas sublimior. Secundo notandum est, quid intelligendum sit per confitentem. Ad primum dicimus, Ecclesiam vocare sponsum suum coronam, & dicit esse celsiorem omni alia corona quorumcumq; merentium coronam. Eundem itidem appellat veritatem subliniiorem omni veritate mundana, & profecto bene, ac congruenter. Nam licet sanctissimi Apostoli, sanctiq; martyres, confessores, ac virgines ob id, quod passi sunt, secti sunt, ac propter Christi fidem, trucidati sunt, & Christi fidem, veritatem, & iustitiam, excellentiamq;, atq; potentiam confessi sunt; digni sint corona, quia passi sunt, & Christum confessi sunt, & eius veritatem: Christo tamen nõ possunt comparari, quia ipse excessit in omnibus; Vnde dicitur: Christi excessus, cæterorum vero decessus. Et quia etiam in actibus nostris, vt nostri sunt, non inuenitur nisi peccatum. Vnde Augustinus ait: si quid boni agimus, illud non ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est secundum Apostolum. *August. 2. Cor. 3.* Est ergo Christus corona celsior, scilicet, omni corona cuiusuis hominis. Item est veritas sublimior omni veritate quorumcumq; confessorum, quoniam licet sancti veritatem Christi, & iustitiam eius, dixerint, prædicauerint, ac confessi fuerint in tormentis pro Christo; non tamen nostras tenebras ignorantiæ fugarunt, sicut fugauit Christus, immo omnia scripta in lege, & prophetis verificauit, & adimpleuit. Et ideo merito dicitur veritas sublimior. ¶ *Confitens cõfessor, & cõfessio quõ conueniũt.* Ad secundum dicimus, quod confitens, confessio, & confessor in eo hic sumitur significato; quo certum vnum, & proprium sanctorum ordinem, statum, & gradum insinuant, quia ab Ecclesia catholica confessores nuncupantur, qui, scilicet, post Apostolos, euangelistas, & martyres in confessione sanctæ fidei, & moribus, & vita perstiterunt, & per mundi contemptum, egregiasq; virtutes, præclari, placida tandem morte in Christo quieuerunt. *Da supplicanti cœtui Obtentu huius optimi Remissionem criminum: Rumpendo nexum vinculi.* ¶ Petimus hoc loco nodum, nexumq; imo & totũ vinculum peccatorũ, quo constringimur, ligamurq; solui, ac disrumpi: cum per prauam cogitationẽ, consuetudinemq; peccato adijcimus, peccatũ, & nos artius inaectimur. *Prouer. 5.* Vnde Sap. ait: Funibus iniquitatũ suarũ constringitur peccator. & psal. Funes peccatorũ circumplexi sunt me. *Psal. 118.* Hoc aũt vinculũ, & Isai. monet nos abijcere, dicens. *Isai. 58.* Si abstuleris de medio tui catenã, & desieris extendere digitũ, & loqui, ꝙ nõ prodest, &c. Dicit ergo Ecclesia: O Christe, da nobis plebi tuę, idest, ꝗ sumus fideles tui congregati in vnũ cætũ, in

vnam

vnam sanctam Ecclesiam Catholicam; veniam, & indulgentiam nostrorum peccatorum; confringendo omnia ligamina, quibus vincimur, ac quodamodo tanquam quibusdam laqueis in malum, illaqueamur in peccatum: & fac hoc Domine, ob amorem istius sancti confessoris, cuius hodie festum diem agimus, vt cum Dauide sancto posthac dicere cum effectu possimus: Dirupisti Domine vincula mea; & tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Verum quoniam potuisset aliquis dicere, & quis est iste, cuius deprecationem quæritis apud Deum pro absolutione peccatorum, & pro impetratione veniæ eorum? Resp. Ecclesia, quod hic sanctus profecto (cuius precibus, & interuentu poscimus hodie adiuuari) est tantæ bonitatis, & sanctitatis, quod Deus anno præterito, & superiori, cum cælo dignatus est, proinde subdit. *Anni reuerso tempore Dies illuxit lumine: Quo sanctus hic de corpore Polum migrauit præpotens.* ¶ Anni, siue duodecim mensium; tempore; idest, spatio; dies suo lumine, suaq; luce luxit eduxit, idest, lucem edidit, ac emisit: quo, idest, in quo, vel cum hic præpotens sanctus migrauit, idest, ex hoc mũdo profectus, polum, idest, in cælum. Cæterum præpotens hic sanctus confessor dicitur, idest, quasi præ alijs hominibus potens in sermone, & opere, & sacris abundans virtutibus. Et bene decebat hunc sanctum virtutibus sic esse præditum. Nam prælati, vt refert glossa in cap. magnæ deuot. extra de voto; sunt tanquam signum positi ad sagittam; vnde inferiores, vitam eorum respiciunt. *Hic vana terræ gaudia: Et luculenta prædia Polluta sorde deputans: Ouans tenet cælestia.*

Psal. 115 · *Confessor præpotens quis sit.* · *Qualis domini talis seruus.*

¶ Luculentum id dicitur, quod excellentiæ splendorem habet, & eminentiam. Ampla ergo prædia, & quotanis largos referentia fructus, hic luculenta dicuntur. Verum illa quantumcumq; fuerint & quantumuis speciosa: si ad cælestia, & sincera illa supernæ patriæ bona conferuntur: polluta sunt, & quasi sordida. Quoniam de æterna sapientia dicitur: omne aurum in comparatione illius arena exigua est. Vnde bene ait Beatus Gregorius. Terrena nanq; substantia, ait, supernæ fœlicitati comparata pondus est non subsidium: Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors potius est dicenda quam vita. Amplius de istis luculentis prædijs, siue lutulentis, & luto quodamodo plenis audi, quod dicit Basilius Magnus in sermone 2. tom. 1. Dic, quæso, inquit; quæ vtilitas, digitos vertere lapillis coruscantes, atq; obstentare? Quis pulchritudini, formæq; fingendæ studens vnam vitæ diem sibi prorogare poterit? aut cui mors ob diuitias parcit? Quousq; igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? Quousq; diuitiæ

Luculentũ quid. · *Sapien. 7.* · *Gregor. in Luc. 14.*

Diuitiæ aliquando multorum malorum sunt causa.

erunt belli materia; per quam fabricantur arma, & enses acuuntur? Propter opes propinqui, cognati naturam negant, fratres intra se digladiantur, loca deserta grassatoribus refercientur, mare piratis, ciuitates calumniatoribus complentur. Quis mendacij pater est? Quis falsæ accusationis minister. Quis periurij genitor? Non ne diuitiæ, ac circa diuitias studium? Item scriptura: factum

Nota. *Gen. 13. & 14.*

est, inquit, iurgium pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac propter possessionem ouium, & armentorum, & familiæ plurimæ. Preterea substantia Abraham, & Loth erat multa, & nequibant habitare communiter. Vnde & facta est rixa inter pastores gregũ Abraham, & Loth. Ad hæc nimis, inquit hystoria Regum, inhonesta facta

2 Reg. 15. & 18.

est discordia inter Absolon ambientem Regnum, & Dauidem patrem suum. Deniq; Absolon, qui eam mouit, suspensus est. ex quibus omnibus colligitur, quod bene instituit vitam suam hic sanctus confessor, cuius hodie diem festum agimus, qui deputans gaudia terræ, & huius sæculi esse vana, friuola, caduca, & emarcida; vt re vera sunt; similiter existimans, idest, bene indicans; luculenta, & ampla prædia, hoc est, possessiones opimas, & multos fructus reddentes, esse pollutas, atq; multorum ipsas originem esse, & caussam malorum, gaudens nunc, & ouans, idest, triumphans, & lætitia inenarrabili gestiens nunc cum effectu possidet cęlestia bona, donaq;, & regna. Quoniam ergo iste sanctus non curauit diuitias, nec luculenta prædia; sed spreuit omnia hæc, & fortiter contra satellitem; quem tandem pressit, pugnauit, vt hic infra nunc dicetur; ideo cęlestia bona potitur. & quoniam etiam. *Te Christe Rex pijssime Hic confitendo iugiter: Calcauit hostem fortiter: Superbum, ac satellitem.* ¶ Ad intelligentiam præmissorum versuum, primo videndum est, quomodo dicitur Rex. quomodo pijssimus. Secundo quid per hostem hic intelligimus, & quid

Christus pijssimus dicitur, & quomodo remissiue. *Hostis qd.* *Superbus satelles qd. signat.* *Caro quid.* *Diota de carne.*

per superbum satellitem. Quantum ad primum, nempe, quomodo Christus dicitur Rex pijssimus; supra dictum est hoc diffuse in hymno ad matutinum in dominica in albis, & in hymno primo lib. primo in fine. Quantum ad secundum similiter dictum est in hymno completorij. De satellite vero dictum pariter est in hymno primo Innocentium lib. 3. Verum non est hic tamen omittendum, quod sicut per hostem, hoc loco, recte intelligitur diabolus; qui totius humani generis antiquus est hostis, & aduersarius; ita per superbum satellitem apte subtrahitur caro nostra: quæ satelles est animæ, quia illi data est in obsequium, & ministerium, sicut ancilla in famulatum dominæ; superbus tamen est satelles, quia ea concu-

Galat. 5.

piscit aduersus spiritum: quod est, animam, & in peccati captiuita-

rem plerunq; pertrahit. Nunquam tamen hunc sanctum confessorem pertraxit: imo eam ipse fortiter prostrauit, & domauit eam ad suam voluntatem. Nam carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs suis crucifixit. Cum enim illa mollia ei suggerebat,& carnalia, ipse respondebat: Quam pulcra est casta generatio cum claritate? immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deũ nota est, & apud homines. Sap. 4. Fieri ne ergo potest, vt per te perdam illa? Non, non: cum non intret coinquinatum aliquid in Ciuitatem sanctam Hierusalem; & sic tali sapientia fortiter calcauit, & domauit carnem suam, vel carnem, idest, hostem, & diabolum. Vnde de Beato Benedicto legitur, qui carnem edomauerit. Nam vt ieiunia prætermittantur eius quotidiana, & cibi,potusq; tenuitas, ac parsimonia: cum semel incitante antiquo serpente libidinum incendia pullularent in eius carne; se nudum in spinis, vrticis, ac vepribus iniecit, vt illorum aculeis sauciatus in corpore, prurientes extingueret ipsius voluptates, quarum hoc remedio victor euasit, vt est author Beatus Gregorius in lib. 2. dialog. immo & ego miser peccator Michael fui multoties in loco illo spinarum, quas vidi, tetigiq; propter deuotionem anno 1588. die 15. septembris; fortiter ergo hostem suum, & Dei sui superbum satellitem domauit, imo & calcauit; & veluti super aspidem, & basiliscum ambulauit. Item iste hostis dicitur superbus, ac satelles; quoniam valde, & nimis superbijt, cum in corde suo dixit: In cælum ascendam super altitudinem nubium; & (ô superbe, & peccati inuentor) similis ero altissimo. Satelles vero dicitur, quia ita sagax est, ac satagit, vt nos perdat: sicut satagit satelles temporalis pro sontibus capiendis. Vnde Beatus Petrus monet nos dicens; Fratres sobrij estote, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide. *Virtutum actu, & fide: Confessionis ordine: Ieiuna membra deferens: Dapes supernas obtinet.* ¶ Ad intelligentiam horum verborum omnium videndum est primo, qui nam fuerint habitus, ac virtutes istius sancti confessoris. Secundo qualis fuerit erga Deum, & proximum. Tertio qui nam sint virtutum actus. Quarto videndum, quod hic per fidem sit accipiendum. Quinto quid per confessionis ordinem. Ad primam præpositionem aduertendum est, quod Rex noster Christus suis militibus, ac confessoribus, quosdam habitus diuinos infudit, veluti arma, quibus vtantur aduersus principes, & potestates; aduersus rectores tenebrarum harum: de quibus loquitur Paulus Christi militibus dicens. Accipite armaturam Dei,

Quomodo calcauit superbum satellitem iste confessor.

Apoc. 21.

Nota.

Greg.

Psal. 90.

Hostis noster cur superbus dicitur.

Isai. 14.

Diabolus cur satelles dicitur.

1. Pet. 5.

Habitus, idest, virtutes istius confessoris, qui.

Ephes. 6.

Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succinti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus. Hæc autem omnia supradicta sunt virtutes, quarum actu, & exercitio hic sanctus noster victoriam de mundo, & diabolo, & carne reportauit, videlicet, in vera castitate carnis, & cordis, in perfecta iustitia legis, & euangelij: in omnimodam affectuum mortificationem, doloris, scilicet, & gaudij, timoris, & spei, confidentiæ, & desperationis, odij, & amoris, auaritiæ, & prodigalitatis, continentiæ, & vindictæ iniuriarum, ex qua affectuum mortificatione perfectam euangelij pacem obtinemus. Ad hæc, & cum ijs etiam omnibus habebat, & sanctam illam fidem, velut scutum

Rom. 10. contra tela ignea Sathanæ, de quibus loquitur Apostolus, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde propterea hic dicitur in litera hymni, quod hic confessor omnes veræ fidei ordines confessorum amplectebatur, & confitebatur. Habebat

Spes vt ancora fixa. Gladius amoris Dei dicit. & spem salutis æternæ, quam sicut ancoram habebat firmam, & tutam, penetrantem vsq; ad interiora cælestis velaminis. Et tandem in manu gestabat gladium spiritus, nempe, verbi Dei amorem, per quem inclinabatur ad diligendum Deum super omnia, & proximū

Virtutes morales istius sancti confess. Nota laudes istius sancti cōfessoris. propter Deum, sicut seipsum. Amplius præter istos habitus fultus etiam erat virtutibus moralibus. Nam bona rationis fulciebantur prudentia, vnde nec negligentia, nec præcipitatio, nec inconsideratio, nec carnis prudentia, quæ est mors, sed nec astutia, doliq; non vana sollicitudo, quæ ipsum à spiritualibus distraherent, quietquā in ipsum poterant: sed in omnibus diligens, consideratus, sibi cōstans, boni operis semper executor, & ad debitū finē cū omni simplicitate vocis, & cordis, diuina adiutus prouidētia omnes ipsius rationis actus dirigebat. Sic etiam in exterioribus operibus, tam erga Deum, quam erga proximum, ac etiam erga seipsum dirigebatur ab ipsa iustitia: sobrie viuens ad se, iuste ad proximum, pie ad Deum.

Qualis erga proximū. Iustitia enim talis est virtus, inclinans voluntatem humanam ad cōstanter, fæliciter, & immortaliter reddendum vnicuiq;, quod suum est. Sic sanctus iste confessor sibi peccata attribuebat: humiliter de se sentiebat, & inter omnes se minimum existimabat, vt olim

1.Cor. 15. Act. 9. sanctus Paulus de se dicebat: Minimus sum Apostolorum, cum nihilominus ex testimonio Domini nostri esset vas electionis. Suum proximum omni honore præueniebat, non malum pro malo reddebat: sed semper malum in bono vincebat, nulli intulit contumeliam;

conui-

conuicio contristauit, improperio diffamauit, irrisione erubescere fecit nullum, aliquem non maledixit, alterius famæ, & honori non detraxit: non susurrator in populo: magnatibus adulari nesciuit, vi rem alterius non rapuit, nec quenquam fraudolenter decepit: ad vsuram pecuniam non dedit, nec munera super innocentem accepit: sed è conuerso infirmis compatiebatur: afflictos consolabatur: aliorum peccata, quantum iuste fieri poterat, tegebat, & in spiritu lenitatis instruebat: vacillantes confirmabat, omnibus benedicebat, gaudebat cum gaudentibus: flebat cum flentibus, quantum erat in se cum omnibus pacem habebat, illamq; inter homines diligenter curabat, vitia præcipue procerum tanquam magis nociua arguebat, rem propriam pauperibus liberaliter erogabat, quantum poterat deceptos adiuuabat, & à deceptoribus liberabat: Deo tantum fœnerabatur abscondendo eleemosinam in sinu pauperum, & muneribus pauperibus collatis peccata sua redimebat. Erga Deum fuit religiosus cultu, & honore; amore & timore, deuotione, & oratione, adoratione, & sacrificij oblatione, votorum redditione, & diuini nominis inuocatione, demum in hymnis, & canticis exercitatione, ab eo semper fuit aliena superstitio, Dei tentatio, periurium: sacrilegium, tanquam odibiles pestes: fuit puræ, & integræ religionis, voces hæreticę prauitatis, seu simonię tantum in ipso sonitu auribus eius horrendæ erant, sic absuit in diuino cultu ab omni specie mali, & sicut his virtutibus regebat omnes actus rationis, & voluntatis, ita reliquis duabus, videlicet, temperantia: & fortitudine, omnis actus concupiscibilis potentiæ, & irascibilis dirigebat, vt actu virtutum, quod cantatur in hymno verificetur de ipso, quibus præualuit Sathanam, carnem, & mundum, contra peccatum, mortem, & infernum. Nam hac adiutus virtute modificauit, & refrenauit concupiscentiam, actus cibi, & veneris: expulit etiam tristitiam, quæ carnalibus prædominari solet propter abstinentiam delectabilium. Vnde sanctus hic noster semper fuit turpitudinem morum, temperantiæ contrariam: vt omnem honestatem, & decorem, quæ sunt temperantiæ pulchritudo totis viribus prosequutus est. Fuit etiam abstinens ab omni gulæ vitio, sobrius, castus, pudicus, clemens, mansuetus, modestus, humilis, studiosus, in omnibus actionibus moderatus, siue essent graues, & serię, siue ciuiles, vrbanæ, vel iocosę. Non minus contra ardua pericula vtebatur fortitudine, regente potentiam irascibilem, cuius virtutis officium est præcipue firmare bonum rationis in ijs, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet, in arduis, & grauibus periculis, & fortitudo ipsa vertebatur circa timores,

Qualis erga Deum fuerit.

Aliæ laus confessoris

mores, & audacias, quasi timorum cohibitiua, & audaciarum moderatiua: cuius actus sunt aggredi, & sustinere, & inter hos duos principalius est substinere, & inter sustinentias omnes martyrium est principalius omnium: vnde in hoc sustinentes maxime dicuntur fortes. Quod si sancto nostro fuisset datum pro Christo pati, vtiq; fortissimus fuisset. sicut fuit fortis ad omne opus difficile, factibile, tamen ad honorem Dei, patiens, longanimis, in bonis perseuerans: semper abfuit ab illo omnis timiditas, quæ fortitudini contrariatur. Similiter præsumptio, ambitio, inanis gloria, & pusillanimitas, quæ contrariatur liberali, & magnanimo, non tamen imprudenter exposuit se periculis, doloribus, & tristitijs, quando, & pro quibus oportebat: quia hoc non esset patientia, sed imprudentia: nunquam tamen passus est defectus debitæ tolerantiæ, vt pro minori bono maius dimitteret bonum, sed semper in maiori bono fuit fortis, & perseuerans: nec ab aliquo exterius impediente potuit amoueri, quin constaret fortis in fine sibi pro Dei honore præfixo. Hęc sunt virtutum acta, quibus hic confessor, cuius hodie diem festum agimus, se in vita sua exercuit, & cum quibus Sathanam calcauit cum reliquis inimicis suis. Sed nequis crederet hæc omnia sua quasi virtute fecisse, additur aliud verbum, nempe, & *fide*. Quod non de fide illa intelligitur, quæ est vna theologicarum virtutum, sed de fiducia illa erga Deum, quam sanctus Iob. 17. petebat, dicens: Pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contra me: quam habebat sanctus Paulus. 2. Cor. 3. quando de admirando euangelij ministerio loquabatur dicens: Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Hac fiducia de Deo armatus noster caput contriuit serpentis: ita cum Paulo sancto dicere potest: plus omnibus laboraui non ego, sed gratia Dei mecum, sic sanctus noster. Sed, & *confessionis ordine*. Dignum verbum quidem, & temporibus nostris profecto necessarium. Nam fiducia sola, & actu solo, sine ordine confessionis, idest, sine sanctorum patrum doctrina sanctus hic noster non præualuisset contra diabolum, sed in vanum cucurrisset. Nam, & diabolus habet suos martyres, qui habent singularem confessionem, & non illam à patribus traditam. Et ne sanctus Paulus ex talibus esset, & inuanum (vt ipse dicit) curreret, post annos quatuordecim, quibus Christi euangelium prædicauerat per diuinã reuelationem, Hierosolimam ascendit cum suo socio Barnaba, & contulit euangelium, quod inter gentes prædicabat, tantum valet ordinem confessionis habere, & non ex proprio loqui. Nam qui à semetipso loquitur, iuxta Domini

Fides hic fidentiam, spẽ ve, aut opinionem denotat.

Confessorũ ordo capitur pro doctrinã sanctorum patrum.

mini sententiam, gloriam propriam quærit, quod faciunt hæretici; sed sanctus noster non à se locutus est, sed confessionis, idest, cum choro, cætu, congregatione credentium, & confitentium veram fidem, & doctrinam & Christi professus est vitam, propterea diabolum vicit. sequitur. *Ieiuna membra deferens.* Dicit Dominus, est genus dæmoniorum, quod non eijcitur, nisi ieiunio, & oratione: Hoc est, & aliud genus armorum, quo vincitur diabolus, & forte est præcipuum genus. Nam sicut gula fuit genus omnium malorum & initium, ita ieiunium est omnium bonorum principium. Sanctus enim noster Beati Pauli sequebatur præceptum, sicut exhibuistis, inquit, membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita, & nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Præterea sicut Adam exhibuit gulam diabolo, & victus est, propter quod semper esurijt, etiam oportuit in sudore vultus sui comedere panem suum. Quod attendens noster sanctus exhibuit non solum gulam ieiunio, sed omnia membra sub lege ieiunij regebat. Ieiunabat oculis, ne videret vanitatem. Auribus audire nolebat otiosa verba. Nares à peregrinis odoribus, qui ad libidinem prouocant, cohibebat, & linguam à detractoribus abstinebat: manus ab immundis tactibus fugiebat: pedes ne in malum currerent conseruabat; & sic deferebat corporis sui membra omnia ab omni malo ieiuna. Vnde non est mirum, si dapes supernas obtinet, & non dicit cibos supernos, sed dapes, quæ sunt cibi, & opis pari apparatus. Et sic in hoc nostro beato sancto confessore verificatur promissio Dei per sanctum Prophetam Isaiam minantem: Vos, inquit, qui reliquistis Dominum, qui obliti estis nomen sanctum meum: qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam: vulnerabo vos gladio, & omnes in cæde corruetis pro eo, quod vocaui, & non respondistis mihi, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis: propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis: ex qua sententia clarissima licet considerare, quod impijs maneat: & e contra quales sint dapes, quas sanctus noster possidet, & nec vnquam amittere possit in perpetuum obtinet hæreditatem. *Proinde te pijssime Precamur omnes supplices: Vt huius almi gratia Nobis remittas debita.* Amen. ¶ Quid autem debiti appellatione debeat hic intelligi, ac in multis Sacræ Scripturæ locis: dictum est supra in hymno de aduentu Domini. Ideo require ibi.

Ioan. 7. *Aliud armorum genus datũ est à Deo suis confess.* *Marc. 9.* *Rom. 6.* *Nota quid sit deferre membra ieiuna.* *Isai. 65.* *Debiti nomine quid intelligatur.*

ibi. Horum vero præſentium verſuum ſententia eſt, ſcilicet: Quia ô Domine, admiſiſti iam dictum ſanctum confeſſorem in conſortiũ aliorum beatorum, te inceſſanter fruentium, propter quod tibi eſt: proinde te pijſſime nos hic in mundo miſeri, accliui, & humiles precamur te, vt eius amore, gratia, & fauore, nobis remittas, & condones debita, ideſt, omnia peccata noſtra, quantumcunq; grandia, & grauia. Amen.

De communi Virginum ad Veſperas Hymnus Vigeſimuſseptimus.

Ieſu corona virginum:
Quem mater illa concipit:
Quæ ſola virgo parturit:
Hæc vota clemens accipe.
Qui paſcis inter lilia;
Septus choreis virginum:
Sponſas decorans gloria,
Sponſiſq; reddens præmia.
Quocumq; pergis virgines
Sequuntur, atq; laudibus
Poſt te canentes curſitant,
Hymnoſq; dulces perſonant:
Te deprecamur largius:
Noſtris adauge ſenſibus:
Neſcire prorſus omnia:
Corruptionis vulnera.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri, & filio,
Sancto ſimul paraclyto
In ſæculorum ſæcula. Amen.

Pſal. 61. A Spiritu ſancto, qui vnicuiq; reddit iuxta opera ſua: edocta ſancta Mater Eccleſia ſuum vnicuiq; ipſa quoq; tribuere ſemper intendens (poſt perſolutas Apoſtolorum, Martyrum, ac confeſſorum laudes) & ſacrarum etiam Virginum, præconia, & laudes celebrare inſtituit. Virginitatem enim cum humilitate admiratur ſancta Eccleſia, & continentiam cum caſtitate & religionem Deo acceptiſſimam dicit. Cum virginitas repleat paradiſum. 32. q. 1. c. Nuptiæ. Quid enim Deo gratius eſt virginibus? qui Virginem Mariam ita adamauit, vt digna eſſet ſuo in ventre ſacratiſſimo, & caſtiſſimo portare, quem cæli capere non poterant, quem cæli, & terra, pontus, æthera colunt, adorant, prædicant, & trinam etiam regentem machinam: vt & ſic gratiſſimum Dei templum, & Spiritus ſancti ſacrarium fieret. Cum enim, ait, Chriſtus Beata Maria ſuper omnem humanam naturam caſtitatem ſeruaret, propterea Chriſtum Dominum in ventre concepit. Cum ergo ita gratæ ſint Deo

Virginitatem & continentiam admiratur Eccleſia. Maria ſuper omnem humanitatem caſtitatem ſeruauit. Chriſ. in ſer. de natiuitate B. M. Virg.

Deo Virgines: ideo merito de Virginibus sancta Ecclesia laudans Christum earum sponsum canit, dicens: *Iesu corona virginum. &c. Quem mater illa concipit: Qua sola virgo parturit: Hac vota clemens accipe.* & reliqua. ¶ In quibus primo Dei Ecclesia per Beatum Gregorium huius hymni authorem laudat purissimum virginũ sponsum Christum, quod sacratissimas virgines sponsas suas ex hoc mundi ergastulo euexerit ad cælestem thalamum. Secundo dicit, quod eas gloria, & honore coronauit. Tertio dicit, quod eas canticum nouum canente habet quocunq; ierit sponsus suorum gressuũ comites. Quarto petit ne sensus nostri peccatorum plagas accipiant. Secunda pars est ibi. *Qui pascis inter lilia.* Tertia est ibi. *Quocunq; pergis.* Quarta est ibi, *Te deprecamur largius.* & infra.

Hu⁹ hymni author Beat⁹ Gregorius. Huius hymni diuisio, & summa.

¶ Ad istorũ igitur verborum, ac carminum intelligentiã primo videndum, quomodo Iesus sit corona virginum. Secundo videndum est, quo de virgine Christus concipi, ac nasci voluit. Tertio aduertendum est, quomodo conceptio humana perficiatur. Ad primum dicendum est Christum coronam virginum esse: quoniam ipsarum decus est, & insigne ornamentum, quo in æterna vita venustantur. Super enim omnem pulcritudinem, & decorem, quem obtinent sancti in gloria, eminet ille ornatus, quo à Deo habitante in eis, & immanente, quinimo, & circumambiente eos, & circumamplectente eos (sicut corona caput) adornantur. Ad secundam propositionem dicendum est, quod congruum quidem fuit, vt si Deus concipi, vel nasci debuit, non nisi de virgine conciperetur, vel nasceretur. Item si virgo conceptura, vel paritura erat, non nisi Deum conciperet, vel pareret. Secunda ratio secundum Damascenum est, vt qui in cælis patrem habet sine matre: in terris haberet matrem sine patre. Tertia secundum Augustinum, vt figuraret membra sua mystica de sacra Virgine Ecclesia, secundum spiritum, nascitura; ideo decuit eum de virgine nasci. Quarta, vt sicut primus Adam de terra virgine: ita secundus Adam de virgine homo fieret. Quinta, vt sicut per Euam virginem facta fuit humani generis perditio: ita per Mariam Virginem fieret eiusdem reparatio. Hæc ex compendio theologiæ. Quo vero ad tempus conceptionis Iesu Christi, nempe, quo tempore fuerit conceptus, dicendum quidem est, clarum esse Christum in sexta ætate conceptum, ac natum esse. In qua sexta ætate aduertendum hoc admodum est, quod numerus senarius non vacat à mysterio. Christus enim conceptus est in sexta ætate: quia ab ipso omnia habebant perfici: numerus si quidem senarius perfectus est. Item sexta chiliade, idest, millenario, qui est limes omnium numerorum, & Christus est limes

Christus corona virginum, & quomodo.

Christus cur cõcipi, & nasci de virgine voluit.

Nota.

Lib. 4. c. 5. de conceptione salua toris.

omnium

omnium entium. In sexto mense, quia in illo mense factus est mundus, qui per ipsum refici debebat, sicut per ipsum factus fuerat: Item sexta feria, quia illa die homo est creatus, & per ipsum recreari debebat iam perditus, & ideo similiter eadem ætate, eodem mense, ac eadem feria passus est, reuolutis triginta tribus annis. De hac Christi conceptione, ac incarnatione supra lib. 3. hymno 4. diximus multas præcessisse figuras, quas ibi, si vis, vide. Cæterum, vt ad tertium etiam propositum demus responsum, notandum est, quod conceptio humana, secundum Henricum in Homil. diei purific. Beat. Mar. Virg. dicitur sic perfici, vt primis sex diebus, quasi lactis habeat similitudinem: sequentibus nouem diebus conuertitur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidatur, aliis decem, & octo diebus formatur vsq; ad perfecta lineamenta membrorum. Refert tamen Bartholomæus Placentinus in sua summa de abortu, tempus animationis in masculo esse spatium dierum quadraginta: in fœmina vero octoginta dierum, vel circa. Dicit ergo litera hymni: O Iesu corporia, decusq; ac insigne ornamentum omnium virginum: quem Iesum Mater illa, scilicet, iam notisima virgo illa, ad quam missus est Angelus Gabriel, vnus de primis principibus regni Dei: Illa inquam, ad quam dixit Angelus: Aue gratia plena Dominus tecum: Illa, dico, ad quam Spiritu sancto repletam Elisabeth dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: Illa, inquam, ad quam Angelus, ait: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: quæ Angeli verba concordant cum primis nostri huius hymni verbi. Illa Maria, quam pastores transeuntes vsque Bethleem inuenerunt, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Illa notissima iam, & generosissima Mater, de qua Angelus dixit Ioseph: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel. Illa, inquam, virgo, & mater concepit, quæ sola Mater inter alias virgo parturit, & sola post partum permanens virgo, has nostras orationes, preces, votaq;, ac desideria, omnia nostra benignus, & clemens, audi, & libenter accipe: Tu dico, ô Christe. *Qui pascis inter lilia: Septus choreis virginum: Sponsas decorans gloria: Sponsisq; reddēs præmia.* ¶ Quod autem hic dicitur Christum pascere inter lilia, hoc desumptum est ex canticis canticorum, vbi spiritualis sponsa de dilecto sponso suo dicit: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, hoc est, inter virgines. Liliorum enim nomine (virginitatis nanq; lilia insignia sunt) candidissimum sacrarum virginum cœtum recte hic accipimus, inter quas pascitur Dominus: veluti,

Conceptio humana quomodo perficitur.
Nota.
Litera construct.
Luc. 1.
Luc. 2.
Math. 2.
Cant. 2.
Liliorum nomine qd veniat.

veluti, pastor inter gregem. Est enim Christus, & lilium conuallium: Vnde dicit: Ego flos campi, & lilium conuallium, diuersaturq; etiam inter eas, ac spiritualı earum tripudio, & dulcissimæ societatis ambitu circumseptus, tanquam in ipsarum medio consistens. Agnus enim, qui in medio throni est, idest, inter beatos, omnium corda habitans; regit eas, & deducit ipsas ad vitæ fontes aquarum, idest plenitudine sapientiæ, & exuberantia gaudiorum, inundantia æternalium diuitiarum, eas fine fine reficit, & potat. Et hæc est gloria, qua sanctas has virgines decorat sponsus, & præmium, quod reddit ipsis. Et ita continuo hæ sanctæ Virgines reficiuntur, & inebriantur ab vbertate domus tuæ, ò Domine, quod, *Quocunq; pergis virgines Sequuntur, atq; laudibus Post te canentes cursitant: Hymnosq; dulces personant*. ¶ Quatuor isti versus desūpti videntur ex Apocalipsi, vbi se vidisse scribit Ioannes agnum stantem super montem Sion, idest, triumphantem Ecclesiam, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis, & cantabat quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, hoc est, coram quatuor Euangelistas, ac cæteris precipuis sanctis Apostolis, nempe, Patriarchibus, Prophetis, atq; Præfectis, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt: Hi sequuntur agnum quocunq; ierit, hoc est, quadam singulari familiaritate adhæret, & quocunq; se verterit, quemcunq; visitauerit, ad quodcumq; se extenderit speciali eum prosequuntur affectu, feruore, atq; desiderio. Planum est enim cum his describantur præmia, illis indulta ob virginalem munditiam, etiam similia cælestis gloriæ munera ipsis sacratissimis virginibus, quę illis centum quadraginta quatuor millibus iam assignata, & adscripta sunt, vt quibus eadem sunt virtutum insignia, & merita, merces quoq; eadem deputetur. Quinimo per venerādum illum astantium cum agno supra montem Sion chorum non inepte, quis dixerit insinuari candididissimum sacrarum iubilantium virginum ordinem in cælo, ob cognationem, affinitatemq; virtutum inter has, & illos, & cælestia præmia, inibi expressa, virginalem coetum maxime decentia. *Te deprecamur largius Nostris adauge sensibus Nescire prorsus omnia Corruptionis vulnera*. Amen. Quamquam hic sancta Ecclesia cantat. *Nostris adauge sensibus*: Quidam tamen legunt sic. Largire nostris sensibus. Quod quidem vtrunq; recte stare potest, Hic enim largiri nostris sensibus id muneris, ac id boni petimus, vt sensus nostri pec-

Christus lilium.

Apoc. 7.

Christus pascere inter lilia quid sit.

Gloria, & premiū virginum qua

Apoc. 14.

Mons Sion Ecclesiam triumphantem signat.

Virgines sequi Christū quocumq; ierit quid sit.

Varia lectio.

catorum

catorum plagas, corruptrices animæ non sentiant, subineant, aut accipiant. Illic vero petimus bonum tanquam iam adeptum adaugeri in nostris sensibus, idest, mentibus. Et certe vtrunq; nobis est necessarium, vt scilicet, indulgeatur nobis hoc cæleste donum: deinde, vt indultum adaugeatur. Non enim, ait, sapiens, possumus esse continentes: nisi Deus det: neq; perstare, aut perficere cœpta continentia, nisi eodem Domino largiente, valemus. Vel dic sic. Te deprecamur, ô Christe, vt tu temetipsum adaugeas (sumus enim in te, & tu in nobis, vt in templo) sensibus nostris, visui, auditui, gustui, odoratui, ac tactui, ne irretiantur vanis, aut corrumpantur per mala colloquia, quæ corrumpunt bonos mores, aut grauentur crapula, & ebrietate, aut subodorent luxum inducentia, aut tangant aliqua pudenda. Amen. Quia si aderis in nobis pro nobis, quis contra nos?

Sap. 4.

In comumni Virginum ad Laudes Hymnus Vigesimusoctauus.

Virginis proles, opifexq; matris:
Virgo, quem gessit, peperitq; Virgo
Virginis festum canimus trophæum
Accipe votum.
Hæc tua virgo duplici beata
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexũ, domuit cruẽtũ Corpore sæclum.
Vnde nec mortem nec amica mortis
Sæua pœnarum genera pauescens
Sanguine fuso meruit secreta Scandere cæli.
Huius obtentu Deus alme nostris
Parce iam culpis vitia remittens,
Quo tibi puri resonemus almum
Pectoris hymnum.
Gloria patri, genitæq; proli
Et tibi cõpar vtriusq; semper
Spiritus alme Deus vnꝰ omni
Tempore sæcli. Amen.

Psal. 23. Sancta Mater Ecclesia cum Dauide sancto sponsum suum Christum Regem gloriæ, Dominum fortem, Dominum potentem, & Regem virtutum, simulq; eiusdem Christi miracula, ac victoriam, quam in martyrijs reportauit semper, canere auide ipsa cupiens:

sapiens, hodie reducit in memoriam nostram vnum miraculum grande; quod inter cętera potentiæ suæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulerit, & fortes etiam mulieres in martyrio ipse fecerit: & sic Deum laudans ipsa incipit. *Virginis proles, opifexq; Matris: Virgo quem gessit, peperitq; Virgo: Virginis festus, canimus tropheum. Accipe vota.* & reliqua. ¶ In quibus omnibus primo iam dicta Dei Ecclesia laudat Christum, Virginum sponsum, natumq; de Virgine Maria; quod eius dono hæc sancta Virgo, cuius hodie festum canimus trophęum, & carnem vicerit per virginitatis puritatem; & mundum per gloriam, quod pertulit martyrium. Secundo ad hanc eandem Virginem, in cuius præconium hymnus iste hodie concinitur; dirigitur supplicatio, quod eius oratione Deus nobis peccatorum remissionem clementer elargiatur. Secunda pars est ibi. *Huius obtentu.* & infra. ¶ Aduertendum est hic primo, quod proles Virginis Matris, est Christus secundum naturam humanam. Nam carnis substantiam vere ab ea accepit. Vnde Ioan. 1. Et verbum caro factum est. Et Ecclesia cantat: Natus ex Maria Virgine. De qua Christi incarnatione, ac natiuitate multæ figuræ, atq; prophetiæ extant. Nam dicitur in Gen. 22. Abraham descendit in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi. & in lib. Prouer. 9. Sapientia ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem. & Ionas 1. Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circumdabit virum suum. & Ioel. 3. Stillabunt montes dulcedinem. & Num. 17. Virga Aaron floret. Idem quoq; Christus opifex, idest, factus est Virginis Matris secũdum diuinam naturam; secundum quam cuncta creauit, fecit, & condidit. Adde, quod diuina sua virtute efficit Christus, quod ipsa & mater fieret, & Virgo integra permaneret: secundum quam rationem opifex etiam virginis matris non immerito dici posset. Dicit ergo: O proles, idest, ô filij Virginis Mariæ, & opifex, idest & creator etiam eiusdem Virginis matris tuæ: quem gessit, scilicet, te Christum portauit in ventre; quemq; etiam peperit, & parturijt: quoniam nos hodie festum canimus alterius Virginis, & victoriam, quam in martyrio suo reportauit: ideo eius intercessione intellige hodie orationem nostram, & vota, & preces. Nam: *Hac tua Virgo duplici beata Sorte, dum gestit fragilem domare Corporis sexum; domuit cruentum Corpore sæclum.* Hæc, dico, sancta Virgo, puta sancta Martina; cuius festum trophæum supra cecinimus; est beata duplici sorte, idest, propter duplicem sortem, contingentiamue: quoniam virginitatis integritatem seruauit, & martyrium passa est. Vnde quia duplicem deuicit hostem, vt pote carnem

Hymni author Ecclesia.

Hymni huius diuisio. & summa

Christus proles virginis dicitur secundum humanam naturam.

Figura incarnationis Christi.

Christus est factor virginis matris secundum diuinam naturam.

Litera expositio.

Sors quid

In Festo Dedicationis Ecclesiæ ad Vesperas & ad Matutinum Hymnus Vigesimusnonus.

Vrbs Beata Hierusalem
Dicta pacis visio,
Quæ construitur in cælis
Viuis ex lapidibus:
Et angelis coronata:
Vt sponsata comite.
Noua veniens è cælo
Nuptiali thalamo
Præparata, vt sponsata
Copuletur Domino:
Platea, & muri eius
Ex auro purissimo.
Portæ nitent margaritis
Et virtute meritorum
Adytis patentibus;
Illud introducitur.
Omnis, qui ob Christi nomen
Hic in mundo premitur.
Functionibus, pressuris:
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificijs.
Gloria & honor Deo
Vsquequo altissimo
Vna patri, filioq;
Inclyto paraclyto:
Cui laus, & potestas
Per immensa sæcula. Amen.

SAncta nostra mater, & magistra fidei, Dei Ecclesia, hunc canit præsentem hymnum, quotiescunq; agit commemorationem alicuius consecrationis Ecclesiæ: quam solemnitatem à temporibus sancti Siluestri Papæ, vt dicitur in cap. primo, de cons. dis. 1. omni cultu cæremoniarum celebrauit semper plebs fidelis, & tempore illo omnes ferè sanctorum memoriæ sub titulo consecrationis Ecclesiæ anniuersali celebratione venerabantur. Verum & si apud fideles à prædicto tempore talia anniuersalia cœperint in veneratione haberi, non fuit tamen nouum inuentum. Nam in lege naturæ, sub lege scripta, & in lege gratiæ, consecrationis festum fuit semper magnæ auctoritatis. Iacob enim locum Deo dedicauit, & oleo consecrauit, vt patet Genes. 28. Tulit nanq;. Iacob lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Similiter Moyses, Domino præcipiente, fecit templum, & sacrauit illud cum mensa, & altari eius, & æreis vasis, & vtensilibus ad diuinum cultum explendum, & non solum diuinis precibus ea sacrauit, verum etiam sancti olei vnctione, Domino iubente, liniuit. In

Cõsecratio Ecclesiæ vnde ortũ duxit.

Genes. 28.

Exod. vlt.

Ii 2 euan-

per gratiam: ex quibus patet, quod ex illa Hierusalem materiali exiuit Ecclesia, & sic Ecclesia, quæ ex Sion, & Hierusalem orta est, & incœpit, nil aliud est, nisi Sion, & Hierusalem; & sic retinet nomen, vnde orta est: sicut flumina semper retinent nomen fontis, à quo oriuntur: sicut Araxes ab Armenia: & Iberus ab Ibero: Orthogorra ab oppido Ortogorrea, sito in monte Caucaso. Per Hierusalem item in sacra scriptura triumphantem Ecclesiam intelligimus, quæ quidem in cælis regnat per gloriam. Nam sicut duplex fuit promissio, scilicet, terrena, & cælestis; Gen. 17. & 22. quando dixit Deus Abrahæ: multiplicabo semen tuum, sicut Stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris; vbi per stellas cæli intellexit filios spirituales in cælo collocandos, & per arenam, quæ est in littore maris intellexit filios terrenos. Ita est duplex Ecclesia terrestris, & cælestis, idest, militans, & triumphans, ad quam accedere sancti patres desiderabant, dicentes: Domine, ostende mihi faciem, & gloriam: & Dauid; Portio mea sit in terra viuentium, non in terra Chanaam, & in terrena Hierusalem, de qua potius cupiebat exire, & in cælesti collocari, dum dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Sed hæc Vrbs, & Ciuitas Hierusalem ideo hic dicitur pacis visio, eo quod componitur, ex duobus, scilicet, ex hoc nomine salem: quod interpretatur pax: & yrhe, quod interpretatur videre, siue videbitur: vnde dicunt quidam, quod hoc nomen fuit positum per duos sanctos viros. Nam primo Melchisedech, quem dicunt esse Sem, filium Noe; vocauit ipsam Salem, eo quod fuit in ea Rex, & sacerdos, & seruabat in eo iustitiam, ex qua sequitur pax: & ideo vocauit eam Salem, idest, pacificam, in qua, vt dictum est, obtulit panem, & vinum pro Abraham. Secundam vero partem huius nominis imposuit ipse Abraham. Dicunt enim, & est veresimile, quod in eodem monte; vbi nunc est Hierusalem, voluit Abraham sacrificare filium suum Isaac, sed quia fuit prohibitus ab angelo, & apparuit ei aries; hærens vepribus, & sacrificauit, & immolauit ipsum loco ipsius Isaac: ideo vocauit nomen illius loci Adonai yrhe, idest, Dominus videt, & sic vsq; in hodiernum diem dicitur in monte Dominus videbit. Genes. 22. in Hebræo, vero dicitur: Dominus demonstrabitur, siue videbitur; & sic ex hoc nomine yrhe, & hoc nomine Salem componitur Hierusalem, quod idem est, quod visio pacis, siue in qua Dominus pacificus videbitur, siue demonstrabitur. Quod quidem mysterim vere completum fuit in Hierusalem. Nam ibi Dominus fuit visus, & monstratus in carne, fuit ibi, & in templo præsentatus, & ibi prædicauit, & miracula fecit,

Ecclesia triumphans dicitur Hierusalem.

Nota.

Exod. 33.

Psal. 141.

Hierusalem vnde interpretatur, & à quo componitur.

Genes. 14

cit, ibi fuit sepultus, & misit Spiritum sanctum in discipulos, & ascendit in cęlum, & credendum est, quod in eodem loco crucifixus est, & visus in cruce, ubi Abraham immolauit arietem loco ipsius Isaac: & ideo recte dicitur locus, Dominus videbitur, siue demonstrabitur. Hierusalem autem hic beatam appellat Vates Ecclesiam cęlestem; & ipsam triumphantem Ecclesiam propter rationem suprapositam: quoniam, scilicet, ipsa regnat in cælo per gloriam, cuius gloriam desiderabat Ecclesia hæc militans per Dauid dicens: Tunc satiabor, cum apparuerit gloria tua, O Domine; quam habent nunc beati apud te in cęlis. Patet ergo, quod in Ecclesia triumphante visio est per apertam speculationem pacis veræ, ac perpetuæ, quæ nullo turbidine bellorum interciditur, aut interturbabitur. In militari vero Ecclesia visio est per fidem pacis internæ ad Deum, ad se ipsum, & ad proximum. Nam pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Sed & beata Hierusalem, viuis quidem ex lapidibus ædificatur quotidie vsq; ad finem mundi. Nam cæpit hæc ciuitas sancta condi primo in Abel, & quamuis per annos 1656. ad vniuersale vsq; diluuium, imo vsq; ad aduentum Domini nostri Iesu Christi ciuitas hæc cælestis non multum fuit aucta: vidit nihilominus propheta in spiritu futuro tempore maxime illam augendam fore, nec hoc nobis abscondit, vt non solum homines, sed integræ tribus illuc ascenderent. Nam dicebat, tanquam propheta de futuro per præteritum loquendo. Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Et isti fuerunt sancti martyres vere testimonium Israel. Similiter Isaias non ignorans hanc veritatem, dicebat de multitudine in futurum saluandorum. Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis, quoniam multi filij desertæ magis, quam eius, quæ habet virum. Comparabat enim paruum numerum ciuium huius Vrbis tempore synagogæ cum magno illo numero futuro tempore Ecclesiæ. quotidie igitur hæc cælestis Ciuitas Hierusalem construitur non quidem ex lateribus, luto, & platea; sed viuis ex lapidibus, idest, sanctis animabus sanctorum, & sanctarum, qui sunt viui lapides, & in æternum in ædificio tali permansuri, de quibus beatus Petrus ait; Et ipsi tamquam lapides viui superędificamini domos spirituales in sacerdotium sanctum. Licet etiam lapides viui dicantur omnes fideles, ex duobus populis excisi per fidem euangelicam, quadrati, & politi per baptismum, & pœnitentiam: tunsi si vero, & malleati per martyrium, vt infra dicemus: & quoniam sicut structura terrena, & materialis

Hierusalē cur Beata hic dicitur.

Psal. 66.

Psal. 118.

Hierusalē quibus ex lapidibus ædificata sit.

Tēpus præteritū pro futuro.

Psal. 121.

Isai. 54.

Lapides viui qui.

Petr. 2.

Hieru-

Hierusalem, idest, Ecclesia militans, & toto orbe diffusa per gratiam, habet sua fundamenta, quæ sunt articuli fidei, & Ecclesiastica sacramenta: ita hæc cælestis structura sancta constat suo fundamento Christo Iesu, videlicet, qui est primarius lapis, qui per fidem huic cælesti ciuitati substernitur, vt & Paulus nos docuit dicens: Fundamentum autem nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Et sicut terrestris Hierusalem sectione partium, & muris, qui sunt triplices, videlicet, fides, spes, & charitas: ita cælestis Hierusalem constat suis partibus, ac sectionibus, ac parietibus, qui sunt hominum animæ, & angelorum hierarchiæ, nec non eorum coronæ, & aureolæ. Nam aureolæ erunt in præmium accidentale; sed coronæ auræ erunt in præmium essentiale, nempe, Dei viuentis visio, securaq; illius possessio, ac perfecta de illo fruitio. Ideo subdit Ecclesia de ornamentis murorum structuræ illius sanctæ *Et angelis coronata: Vt sponsata comite.* Q. d. hæc sancta ciuitas est adornata numerosa, scilicet, angelorum multitudine, ac cætu beatorum spirituum, sicut sponsata est exornata comite, idest, viro suo connubialis fœderis socio, & consorte. *Noua veniens è cælo: Nuptiali thalamo: Praparata, vt sponsata Copuletur Domino. Plateæ, & muri eius: Ex auro purissimo.* ¶ Pro intellectu, & horum etiam sex versuum, præmittendum primo est; quomodo vrbs Hierusalem hic dicitur noua venire è cælo. Secundo, ex quo nam nuptiali thalamo egressa esse dicatur. Tertio videndum est; quando illam, sibi præparauerit Christus, vt copularetur Domino, idest, vt cum Domino esset, viueret, regnaretq; cum eo in cælo; quarto aduertendum est, quid hic per plateas, quid per muros, & quid per aurum purissimum, accipere, & intelligere possumus. Ad primum dicimus, sanctam ciuitatem Hierusalem, hoc est, Ecclesiam militantem ideo hic dici ipsam venire è cælo, idest, à Christo; quoniam ipse à cælo de sinu patris propter nos homines, & propter nostram salutem descendit; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: & sic diuinum verbum caro factum est, idest, Dei filius sibi vniuit carnem humanam. sicut ergo verbum diuinum assumpsit illam carnem, & humanam naturam in vnitate personæ, vt in illa pateretur, quæ quidem persona dicitur vnus Christus Deus, & homo: ita pariter Christus assumpsit, & vniuit, & desponsauit sibi sanctam Ecclesiam, & vnitatem fidelium in vnitatem corporis mystici, vt pro illa pateretur. Itaq; Christus, & Ecclesia dicitur vnus homo mysticus, & vnus Christus mysticus: cuius caput est Christus verus; & corpus, siue membra, dicitur tota

Fundamentum terrenæ ciuitatis Hierusalem, nec non & cælestis quodnam sit.

1. Cor. 3.

Hierusalem terrestris, & cælestis quibus partibus constet.

Vrbs Hierusalem quomodo à cælo veniat.

Ioan. 1.

Ecclesia fidelium, quæ per fidem, & baptismum est isti capiti vnita,& desponsata; & sic Christus dicitur sponsus, & caput Ecclesiæ. Ergo hæc ciuitas,hæc Hierusalem,hæc Ecclesia à cælo,idest,à Christo, qui à cælo venit in hunc mundum, originem habet. Vnde aduertendum est, quod duo homines sunt capita, & principia totius generis humani: vnus, scilicet,primus Adam fuit causa omnis peccati,& miseriç,& omnis mali,& alter,scilicet, Christus causa omnis boni,& omnis gratiæ. Nam sicut ille ex illo peccato omnes interfecit,& vænundedit,& captiuauit,& morti,& miseriæ subiecit: ita Christus ex suis meritis omnes à prædictis malis liberauit. Itaq; sicut primus homo fuit destructor, & dissipator totius generis humani per suum peccatum, & inobedientiam: ita Christus per suam obedientiam,& meritum,fuit liberator, & redemptor, & restituor totius generis humani. Et ab alio non potuit genus humanum liberari,nisi à solo Christo,mediatore,& Dei, & hominum. Ideoq; noua Hierusalem dicitur, quoniam Dominus Iesus Christos post vnitam sibi naturam humanam,& liberatam,& redemptã dixit: Ecce noua facio omnia. Ioan. in apoc.21. Hanc etiam nouam Hierusalem venientem è cælo. Idem Ioannes aliquando, vidit; cum in suis reuelationibus dixit. Ego Ioannes vidi sanctam ciuitetem Hierusalem nouam,descendentem de cælo. Tum vero subdit Ecclesia: *Nuptiali thalamo*, scilicet, exijt hæc Dei Ecclesia, quia ex ventre virginali, tanquam ex thalamo nuptiali, Dei filius caro factus prodijt, idest, natus est, ex quo Dei filio postea tota Ecclesia; cui nupsit Christus, emanauit: cuius Ecclesiæ caput est Christus, corpus vero eius, siue membra, dicitur tota Ecclesia fidelium; & sic Christus dicitur caput, & sponsus Ecclesiæ. Hanc autem sanctam Ecclesiam Christus sibi præparare cœpit, vt Domino copularet; quoniam cum ipse Abraham descendit in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi, & cum sapientia ædificauit sibi domum, & cum dixit per Ionam: Nouum fecit Dominus super terram, fæminam circundedit virum suum : & cum virga Aaron floruit: & huiusmodi in sacra scriptura dicta inuenis; tunc dic Christum Dominum sibi præsignasse, & præparasse Ecclesiam, vt copuletur Domino, idest, nubat Domino, & Domini sit sponsa, dominoq; adhæreat, & in cælis eo in æternum perfruatur, sicut nunc pars huius sanctæ sponsæ, & Ecclesiæ fruitur, quæ hic describitur habere plateas, murosq; ex auro purissimo. Vbi per plateas non male forte animas beatorum intelligemus, & corda ipsorum: quę animæ in corde hominum hic in mundo, dum viuerent, extabant, & in medio corporis humani, & inter membra eius-

Duo homines dicuntur principia generis humani.

Noua Hierusalē cur dicitur.

Ecclesia ex quo nuptiali thalamo egressa sit.

Christus quando sibi præsignauit Ecclesiam.

Genes. 22.

Ioan. 1.

Num. 17.

Cælestis Hierusalē plateæ quid indicent.

eiuſdem erant, veluti plaꝺa, quæ in medio ciuitatis ſita eſt, & extenditur. Per muros vero iſtius ſanctæ cæleſtis ciuitatis, (licet muri terreſtris Hieruſalem, ſint fides, ſpes, & charitas,) ego intelligerem ipſorum beatorum ſpirituum, ac animarum corpora glorificata, ac eorundem membra: quæ in corpore hominum videntur in eſſe, veluti muri in ciuitatibus terrenis interſunt fabricati. *Muri Hieruſalē qui ſint.* Iſtę vero plateæ; & muri beatæ Hieruſalem ex puriſſimo auro fabrefactæ ſunt, ideſt, ex ſinceriſſimo amore, & ex ardentiſſima, & puriſſima charitate in Deum, quia beati Deum poſſident, & à Deo poſſidentur ob amorem ardentiſſimum, & charitatem magnam in ſuum creatorem, quæ charitas comparatur auro, quod fornax tribulatinis probat: comparatur & theſauro abſcondito. per aurum ergo hic ego charitatem accipere, queadmodum ſic in Sacra Scriptura ſæpe capitur, vt apud Gratianum in cap. legimus diſ. 36. & apud Gregorium. *Aurū quid.* *Greg. lib. 4. moral. c. 31 & lib. 34. c. 7.* Nunc ad aliam huius ſanctæ ciuitatis pulchritudinem transeamus, quæ talis eſt. *Portæ nitent margaritis Adytis patentibus: Et virtute meritorum Illuc introducitur Omnis, qui ob Chriſti nomen Hic in mundo premitur.* ¶ Ad iſtorum etiam verſuum intelligentiam primo videndum eſt, quid per portas hic accipiamus, quid per margaritas, quid per adyta: & quæ nam ſit illa præſſura, quę ad ciuitatem ſanctam Hieruſalem ducit. Ad primum dicimus præ alijs, quod ſex iſti verſus exprimunt id, quod dixit Ioannes in Apocalypſi, & duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & portę cuius non claudentur per diem, nox enim illic non erit. *Apoc. 21.* Portæ igitur huius ciuitatis Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, ſunt Patriarchæ, Prophetæ, & Apoſtoli ſunt duodecim portæ Hieruſalem: de quibus dicitur ab Oriente partæ tres: ab Occidente partæ tres, ab Aquilone portæ tres, quæ quidem portæ nitent, micantq; margaritis, ideſt, prædicti ſancti Patriarchę, Prophetæ, ac Apoſtoli virtutibus in cælis relucent apud eum. *Portæ ciuitatis Hieruſalē, quæ ſurſum eſt, quæ.* Et omnes, qui eorum exempla: vitam, moreſq;, fidem, & doctrinam hic in mundo ſequuti ſunt, cæleſtem hanc Hieruſalem per has portas intrant quotidie. Patent enim adyta (ſunt enim adyta locus templi penitior, ac ſecretior in penetralibus illius ſanctæ ciuitatis, & patentia ſunt ſemper hominibus, qui adhæſerunt vita, moribus, fide, doctrina, prædictorum Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, portis præfatis præfatæ ſanctæ vrbis. *Adyta qq.* Patentia inſuper ſunt adyta ad hanc cęleſtem ciuitatem, & ijs etiam, qui hic in mundo pręſſi ſunt, vexati ſunt propter Chriſtum, & iuſtitiam eius. Beati enim, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum

cælo-

Math. 5. cælorum. Et hic quidem locus alludit ad illud Domini nostri dictum, dicentis: In mundo pressuram habebitis, sed confidite. Ego vici mundum. Et ad illum alium locum: A recta via, quæ ducit ad vitam. Aduertendum tandem est hic nobis, quod non omnis pressura mundi ad nostram ducit ciuitatem. Non enim pœna facit martyrem, sed causa. Nam & caro, & mundus, & diabolus, suos habent martyres, qui hic pœnas inferni incipiunt, illic nunquam finituras, propterea dixit hic auctor hymni: Qui premitur hoc in mundo ob Christi nomen. Martyr enim Christi ille vere dicitur fieri, qui pro Christo, & iustitia eius patitur, seu præmitur hic in mundo, vt Abel: pro lege Dei, vt Machabæi. Pro assertione veritatis, vt Isaias, & Hieremias. Pro argutione peccati, vt Ioannes Baptista. Pro salute populi, vt Christus. Pro fide, & nomine Christi, vt Stephanus. Pro libertate Ecclesiæ, vt Thomas Canturiensis. Pro Christo, seu loco Christi, vt Innocentes, & infantes, atq; pueri. *Tunsionibus pressuris Expoliti lapides suis coaptantur locis Per manus artificis: Disponuntur permansuri Sacris ædificijs.* ¶ Attende hic ad comparationem, qua, more ædificij materialis exprimitur hoc loco, quia aptissime ædificatio ciuitatis sanctæ Hierusalem in cælis, nempe in extruenda domo exciduntur lapides, & sculpuntur, tunsionibusq;, ac pressuris, idest, malleis tunduntur, atq; adaptantur ædificio: ita animæ sanctæ (quæ hic per lapides expolitos intelliguntur) accomodandæ extructioni cælestis Hierusalem hoc in mundo tribulationibus, doloribus, & persecutionibus premuntur, ac tunduntur, vt expolitæ, adornatæque tam sancto operi inserantur. Vnde Paulus ait. Per multas enim tribulationes oportet nos venire in regnum cælorum. Et Salomon ait etiam: Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atq; perfectis ædificata est. Sed cum ædificatur domus; inquit Gregorius, non malleus, non securis, ac non ferramentum audita sunt, quia illic dolati, atq; perfecti lapides dicimur, vt locis iuxta meritum congruis disponamus. Hic enim foris tundimur, vt illuc sine reprehensione veniamus. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta. In domo autem dei nulli ictus audientur, quia in æterna patria omnis iam percussionis strepitus conticescit. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animaduersio affligit. Nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foris seueritatis sententia proijcit. Nam in hoc mundo primo fideles omnes, qui hic in mundo etiam lapides viui dicuntur ex duobus populis, Iudaico, scilicet, & gentili per fidem euangelicam exciduntur: deinde quadrantur: & poliuntur per baptismum, & pœniten-

Marginalia: Pressura qua sit q duit ad vitam. — Martyr Christi qui bus de causis Martyr fiat. — Genes. 3. — Mach. 7. — Math. 23. — Comparatio de ædificio materiali ad structurã spiritualẽ. — Lapides expoliti q. d. — 1. Cor. 5. — 2. Reg. 6. — Greg. in li. mor. 34. cap. 9. — Nota.

nitentiam. Tertio tonduntur, & malleantur per martyrium, vt disponantur in cælis apud Deum per manus artificis, idest, per doctrinas, traditiones, ac authoritates sanctorum doctorum Ecclesiæ, ac prælatorum. Nam doctores, & prælati Ecclesiæ dicuntur artifices, ac ædificatores ipsius Ecclesiæ. Nam sicut ædificator adaptat lapides, & ordinat, & ex his constituit parietes: ita doctores, & prælati Ecclesiæ ex authoritatibus conficiunt sermones ad populum, vt ædificent populum super petram, quæ est Christus, qui est in cælis. Ita vero lapides disponuntur, vt in æternum permansuri sint in suis sacris ædificijs, idest, suis in locis, & mansionibus: mansiones enim sunt multæ in Domo Domini. Permansuri, inquam, sunt in mansionibus, vt nunquam inde auellantur, vel dinoueantur: imo vt potius detur eis, clara, & facilis Dei visio, & perfecta, & secura possessio summi boni, ac sufficiens, & perfecta eiusdem fruitio, veraque, & perfecta beatitudo in eis. Amen.

Manus artificis quæ.

Doctores Ecclesiæ sunt ædificatores ac artifices ciuitatis sanctæ Hierusalem.

Bona gloria quæ.

In Festo Dedicationis Ecclesiæ ad Laudes Hymnus Vigesimusnonus.

ANgularis fundamentum
Lapis Christus missus est:
Qui compage parietum
In vtroq; nectitur:
Quem Sion sancta suscipit:
In quo credens permanet.
Omnis illa Deo sacra,
Et dilecta ciuitas
Plena modulis in laude
Et canore iubilo
Trinum Deum, vnicumq;
Cum fauore prædicat.
Hoc in templo summe Deus
Exoratus adueni,
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe
Largam benedictionem
Hic infunde iugiter.
Hic promereantur omnes
Petita acquirere,
Et adepta possidere
Cum sanctis perenniter
Paradisum introire
Translati in requiem.
Gloria, & honor Deo
Vsq; quo altissimo
Vna patri filioq;
Inclyto paraclyito:
Cui laus est, & potestas
Per immensa sæcula Amen.

CVm supra sancta mater Ecclesia in hymno præcedenti descripserit ciuitatem supernam Hierusalem in regno sane regnantem,

tem, & triumphantem, olim à Domino præparatam, sed spirituali hodie ædificio in cælis ædificatam. Nunc in præmisso præsenti hymno: post laudes prædictæ cælestis Hierusalem, intendit ad angulare fundamentum Christum, nempe se vertere, ab eoq; humiliter petere: vt quemadmodum illa cælistis Hierusalem cum bona voluntate Deum prædicat trinum: ita suis ipsius orationem (in terris enim nunc ipsa illius cœtus beatorum animarum typum, & figuram gerit, quia sub Christo ipsa quoq, militat, Deumq; pie, ac religiose colit.) suppliciter exaudiri à Deo, & vota sua, precesq; eius suscipi: præsertim cum illa in templo materiali diuino nomini consecrata quotannis in ipso dedicationis die potissimum conueniat ad venerationem diuinæ maiestatis. Quare sic incipit. *Angularis fundimentum: Lapis Christus missus est: Qui compage parietum In vtroq; nectitur: Quem sancta Sion suscipit: In quo credens permanet*; & infra. ¶ In quibus primo Ecclesia Christum sponsum suum dicit esse angularem lapidem: in quo coniunguntur duæ naturæ, duæ leges, & duo populi. Secundo dicit, triunphalem Hierusalem Deum in cęlis prędicare trinum. Tertio rogat Christum, vt cum ad Ecclesiam accedunt fideles, suas axaudiat orationes, vt quod petunt consequantur. Quarto petit, nos transferri in paradisum, & in perenni quiete semper commorari. Secunda pars est ibi. *Omnis illa*, &c. Tertia est ibi. *Hoc in templo, & infra*. Quarta est ibi. *Cum sanctis perenniter*. & reliqua. ¶ Ad intelligentiam igitur priorum istorum sex carminum præmittendum primo est, quomodo dicitur hic Christus esse lapis, & quare. Secundo videndum, quomodo fundamentum esse dicitur. Tertio, quid per Sion hic intelligamus. Ad primum dicimus, quod Christus multipliciter dicitur lapis, & figuratur per lapidem in Sacra Scriptura veteris testamenti. Nam primo dicitur lapis capitalis, & fundamentalis: & sic præuidit Iacob ipsum in visione, cum fuit in illo loco, vbi modo est Hierusalem & post solis occasum tulit vnũ de lapidibus, & supposuit capiti suo, & dormiuit in eodem loco. Nam in quantum dormiuit super eum lapidem, & imposuit caput super eum, præuidit qualiter Christus debebat esse caput totius Ecclesiæ, & sic dicitur lapis capitalis. Secundo inquantum erexit eum in titulum, dicitur lapis refugij. Tertio dicitur lapis offensionis, & petra scandali, ratione Iudæorum, & Hæreticorum, inquantum Iudæi, & Hæretici, offenderent Deum, & scandalizati sunt, non credentes, nec recipientes ipsum, & sic ceciderunt in cæcitatem, & obstinationem, & sic Isaias. 8. vocat Christum lapidem offensionis, & petram scandali. Quarto Daniel. 2. vocat Christum

Huius hymni author est Ecclesia.

Hymni huius diuisio, & summa.

Christus quare dicatur lapis.

Capitalis, & fundamentalis Lapis Christus.

Lapis refugij.

Lapis offensionis, & scandali.

ftum lapidem contritionis, & comminutionis, in quantum contriuit omnia regna mundi, & comminuit omnia idola gentilium. Quinto vocat ipsum Moyses lapidem reprobationis, & contradictionis, num. 20. eo quod filij Israel non crediderunt, quod Moyses ex illo lapide posset aquam eijcere: tamen Moyses in virtute diuina percussione virgæ eiecit aquam de petra, vnde bibit totus populus, per quam petram fuit figuratus Christus, ex cuius latere percusso exiuit sanguis, & aqua copiosissima in remissionem omnium peccatorum. Sexto Dauid vocat Christum lapidem angularem, in quantum in eo coniunctæ fuerunt duæ naturæ, humana, scilicet, & diuina sub vna persona: secundo in quantum in eo coniunguntur duæ leges noua, scilicet, & vetus. Tertio in quantum in eo fuerunt coniuncti duo populi, Iudaicus, scilicet, & gentilis. Vnde Christus per quandam similitudinem dicitur lapis angularis. Nam sicut lapis vnus, & idem existens in angulo coniungit duas parietes: ita vna persona Christi, existens vna coniungit duas naturas in vnitate suppositi, & ita vnus Christus coniungit duos populos, ex duobus faciens vnum sub vno capite. Item sicut lapis angularis existens vnus, est finis vnius parietis, & principium alterius: ita Christus fuit finis totius legis veteris, quia omnia, quæ scripta sunt, vel dicta in lege veteri, figurabant, vel prænunciabant Christum, & omnia impleta sunt in Christo. Et sic Christus tanquam finis illius legis cœpit circumcisionem, & comedit agnum paschalem, vt daret finem illi legi, & fuit principium legis nouæ. Quia vt principum legis euangelicæ cœpit baptismum in Iordane, & instituit sacramentum Eucharistię, vt daret principium legi nouæ. Et sicut impleret omnia, quæ scripta sunt in lege veteri, & vt morerentur simulq; perirent, & extinguerentur omnes figuræ, & omnea cæremonialia, & figuralia, voluit mori, & voluit resurgere, vt veritas figurarum omnium cum eo resurgeret, & sic fuit lapis angularis, coniungens, & continuans istas duas leges, & sic ex duabus legibus fecit vna; quoniam præterijt vmbra, & mansit veritas. Item tertio sicut lapis angularis manens vnus coniungit duas parietes, & est caput vtriusq; parietis, ita Christus manens vnus coniungit duos populos Iudaicum, scilicet, & gentilem, & factus est vnum tantum caput vtriusq; populi, & per consequens ex duobus populis factus est vnus populus ratione vnius capitis. Nam Christus, qui est lapis angularis primo excidit, & quadrauit, & poliuit lapides de Iudaismo, scilicet, Apostolos, & discipulos, & hos sibis in parietem coniunxit, sed postea excidit alios lapides non mortuos quidem, aut inanimatos, sed viuos homines de populo gentili, & nu-

Lapis contritionis & comminutionis. *Lapis contradictionis.* *Lapis angularis dicitur Christus, & quo modo.* *Nota.* *Nota.*

xit sibi, & construxit alium parietem ex alio latere. Et sic ex lapide capitali factus est Christus lapis angularis, & caput duorum parietum, & nectitur per coniunctionem & compagem, & coniuncturam quandam spiritualem in vtroq; pariete, idest, in vtroque populo Iudaico, & gentili, & sic Christus dicitur lapis factus in caput anguli duorum populorum, siue parietum constructorum ex lapidibus viuis. Dicitur insuper Christus, fundamentum, & fundamentalis lapis: quoniam per illum lapidem, supra quem dormiuit Iacob. Genes. 28. quem vidit in spiritu, qualiter Christus, & Deus, & homo debeat esse ille lapis firmissimus, super quem tota Ecclesia erat edificanda. Et hic dicitur lapis missus Christus. Quoniam Deus per Esaiam dicit. Ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem, probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum. At per Sion hoc in loco Ecclesiam in terris militantem intelligimus, propterea quod in monte Sion; (vbi dauid ædificauit domum suam, & arcem, & fortalitium,) fuit primo Hierusalem, parua, & prima, quæ dicebatur ciuitas Dauid, in monte Sion, quam postea Salomon ex precepto Dauid ampliauit ex lapidibus, & lignis, & auro, & argento, ac cæteris necessarijs in eodem monte Sion. Vbi postea Christus Dominus ipse etiam præparauit omnia necessaria spiritualia, vt ædificaret Ecclesiam suam. Nam ibi prædicauit, ibi passus est, & resurrexit, ibi in monte Sion instituit verum sacrificium Eucharistiæ, & dedit legem euangelicam in die Pentecostes, exinde exierunt discipuli per totum orbem, & istis lapidibus viuis, & lignis euangelicis construxit Ecclesiam vniuersale in populo gentili. Ex quibus patet, quod Ecclesia Christi incepit in monte Sion in illis centum viginti congregatis, super quos venit Spiritus sanctus in die Pentecostes. Ex quibus patet, quod Ecclesia Christi nil aliud est, nisi Sion, & sic retinet nomen vnde orta est, sicut flumina semper retinent nomen fontis, à quo oriuntur, sicut Araxes ab Armenia, & Iberus ab Ibero; Ortogorra ab oppido Ortogorrea sito in monte Caucaso. Itaque sancta Sion, quæ credit in Christum, qui est fundamentalis, & angularis lapis, in hoc lapide angulari, & super hunc fundamentalem lapidem constructa, ac ædificata stabilis permanet, in eoque fundamento erigitur. *Omnis illa Deo sacra: Et dilecta ciuitas: Plena modulis, & laude: Et canore iubilo: Trinum Deum vnicumq; cum fauore prædicat.* ¶ Cum istis versibus transijt hic Vates noster de terrestri Sion ad cælestem, ac beatam Sion, de qua dicit; quod omnis illa cælestis, ac triumphans Ecclesia, ad honorem Christi Deo quidem sacrata, & dicata, & dilecta Deo, idest, quæ est vnica ipsi

Christus dicitur fundamentū, & quomodo,

Isai. 28.

Sion dicitur Ecclesia in terris militās

ipsi Deo, modulis est, idest, cantibus angelicis, referta, & plena omni laude, canoreq; iubilatorio, & exultatoria exultatione Deum trinum in personis, & vnum in substantia, & essentia, omni cum studio precum cantat, & glorificat. Modo de triumphante, ac cælesti Sion ad militarem Ecclesiam transitum facit, subdens. *Hoc in templo summe Deus Exoratus adueni: Et clementi bonitate Precum vota suscipe: Largam benedictionem Hic infunde iugiter.* ¶ Hic in alijs sex versibus fit per nos fideles supplex ad Deum oratio, vt in die dedicationis Ecclesiæ, & in annua etiam ipsius dedicationis celebritate, suæ maiestatis præsentiam, benignitatisque fauorem in spiritu infundat, expandatque, & concedat, & supplicum in templo suo vota, præcepsque libenter suscipiat. Sic etiam Rex Salomon in dedicatione templi magnifice à se Deo extructi, vtroque genu in terra posito, & sublatis in cælum manibus deuotam habuit orationem, dicens: Respice adorationem serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus. Audi Hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie, vt sint oculi tui aperti super domum hanc, nocte, & die super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem, quam orat in loco isto, & exaudias in loco habitaculi in cælo, & cum exaudieris, propitius eris, & reliqua, quæ magna cum pietate, & animi sinceritate, deinde diffuse prosequitur. 3.Regum.8 *Hic promereantur omnes. Petita acquirere: Et adepta possidere. Cum sanctis perenniter Paradisum introire: Translati in requiem.* ¶ Hoc est, in hoc materiali templo, & sanctificio tuo, quod hodie nos Ecclesiam, & ædem vocamus, omnes Christi fideles promereantur, ac digni fiant adipisci, & obtinere iustas, & sanctas suas petitiones, & bona per te eorum desideria compleantur, & adepta, idest, & quæ tu Deus eis concesseris, perpetuo mereantur eadem simul cum sanctis eius de labore ad requiem, de tristitia ad gaudium sempiternum, de maledictione ad benedictionem, de iniquitate ad iustitiam, de tribulatione ad fœlicitatem, & de morte ad vitam æternam, mereantur transferri. Amen.

De

De Beata Maria Virgine ad Vesperas Hymnus Trigesimus.

AVe maris stella
Dei mater alma,
Atq; semper virgo
Felix cœli porta.
Sumens illud aue
Gabrielis ore:
Funda nos in pace:
Mutans Eua nomen:
Solue vincla reis:
Profer lumen cæcis:
Mala nostra pelle:
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram:
Iter para tutum:
Vt videntes Iesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto.
Tribus honor vnus. Amen.

Hymnus iste cur in vesperis canitur. IGnorat nemo, hunc præsentem sacrosanctum hymnum in horis ab Ecclesia sancta canit versfertinis,& hoc quidem non sine magna emphasi. Quando quidem quemadmodum vespere, stella illa, inquam, quæ sole iam occiduo prima omnium, ex stellis lucere vesperi conspicitur, in prima nocte lucet, viatoresq;, ac mundi huius peregrinos, illuminat, dum in hac misera lacrimarum valle degunt, & agunt: ita virgo Maria maris, hoc est, mundi huius, ac cordium hominum, tanquam fulgentissima stella, & splendidissima, quæ inquirentes aliam ciuitatem, cælestem dico, illuminat, & ijs, qui in tenebris peccatorum sunt, atq; de nocte (si enim hunc mundum visibilem ad cælestem conferimus patriam, non secus ac tenebrosam noctem conspiciemus) spatiantur, ac deambulant, præsto est, vt illorum securum disponat accessum, atq; tutum iter, quod ad portum eos dirigat salutis, ac vt facilius ad eius filium ipsi penetrare valeant. Vnde sancta mater Ecclesia nunquam à vestigijs sui sponsi Christi abberrans, cuius prouidentia, in sui dispositione non fallitur, considerans huius sancti hymni verba, ac virtutem, cognouit etiam tempus, atq; horam, quibus ipse cantari debebat,

Marequid

bebat, esse debere in noctis crepusculo, vt stellæ spiritualis comparatio, ad temporalem, ac mundanam facta, melius, ac facilius dignosceretur. Vel, vt refert Beda, ad vesperas placuit Ecclesiæ hunc cantare hymnum; vt videlicet, fatigata per diem, & distenta diuersis cogitationibus; mens nostra incumbente tempore quietis, ad vnionem se suæ considerationis colligeret; iamq; salubriter admonita quicquid superfluum, vel nociuum diurna vagatione, denuo precibus, ac lacrimis ex tempore mundaret. Sic ergo beatam Mariam Virginem Ecclesiam salutat. *Aue maris stella: Dei mater alma: Atq; semper virgo: Fælix cæli porta*. Et quæ sequuntur. ¶ In quibus omnibus primo laudatur sacrosancta Virgo Maria; quod ab Angelo cælitus misso salutare, Dei mater est effecta. Secundo rogatur eadem; vt reddat nobis filium suum placatum, atq; benignum. Tertio fit ad eam supplicatio, vt per eundem filium suum, vt velit nobis dimittere peccata nostra. Secunda pars est ibi. *Sumens illud aue*. Tertia est ibi. *Virgo singularis*. & infra. ¶ Ad intelligentiam ergo horum priorum quatuor carminum primo videndum de vi verbi huius: Aue: secundo videndum est, quotuplex sit salutatio. Tertio quomodo Maria Virgo sit stella maris. Quomodo Dei sit & mater, & quomodo sit cæli porta. Ad primum dicimus, quod verbum hoc: Aue: hoc in loco habet vim salutationis, & congratulationis, quæ congratulationis salutatio magis est, quam deprecationis, vt sic talis habeatur sensus, & intelligentia. Vere, ô vnica, & incomparabilis Virgo nunc es sine omni vę, sine omni miseria, culpæ & pœnæ Vnde quidam eximius vir dixit: Fœlix Mater aue; væ facis esse breue. Apparet ergo hic salutationem hanc, neq; salutis optatiuam, neq; benedictionis, neq; gratiæ: quia istis sancta Maria Virgo prædicta est, sed vt diximus; congratulationis, lætitiæ, & gaudij: ac si diceret author noster sanctus: Regina cœli lætare, vel gaude tu gloriosa. Et de hac benedictione: Aue: vide quæ supra dixi in hymno sanctorum Innocentium, qui incipit. Saluete flores martyrum. lib. 3. At hic Virgo Dei genitrix maris stella dicitur, & bene: quia hæc inuocatio; qua semper sancta virgo stella maris appellatur, alludit ad interpretationem nominis eius. Maria enim stella maris interpretatur, vt refert sanctus Bernardus. Maria enim hebraice dicitur stella maris, vel illuminatrix. Latine ethymologicatur mare magnum. Syraice vero Domina nuncupatur. Ipsa fuit maris stella in Dei natiuitate: tunc enim emisit radium in totum mare magnum in filij passione, quia tunc ipsius

Beda in Hom. 1. ser. 6 dom. in aduen.

Hymni auther Eccle sia.

Hymni huius diuisio, & summa

Aue verbum quam hic habet vim.

Salutatio quotuplex remissiue.

Maria Virgo cur stella maris dicitur.

animam pertransiuit gladius, sed Domina in sua assumptione, quoniam, super choros angelorum est exaltata. Bene, inquam, Matri Virgini, & valde conuenienter adaptatur, vt stella sit maris, ipsa enim aptissime sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absq; sui læsione Virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem. Nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa igitur est nobis illa stella ex Iacob orta, cuius radius, vt diximus, vniuersum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras etiam perlustrans, & calefaciens magis montes, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessario subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Porrò non solum stella maris; sed & Dei mater alma, idest, Virgo, & sancta est virgo Maria. Nam Spiritus sanctus obumbrando ventrem Mariæ formauit, & organizauit corpus Christi, ex puris sanguinibus eius. Et sic patet qualiter ex obumbratione, & opera Spiritus sancti virgo Maria concepit sine semine viri, & sine opere Adam obseruata etiam præ uirginitate omni sorde, & corruptione, & absq; fidei coniugalis iniuria, & læsione. Et cum prolis fœcunditate facta est simul, & mater Dei, & fœcunda & virgo. Mater, inquam, Dei facta fuit naturalis, & carnalis: semper & ante partum, & in partu, & post partum fuit virgo: In qua nunquam inordinatus aliquis fuit affectus, cogitatus, aut motus. Demum cæli porta etiam esse dicitur hæc Domini Mater, quoniam sicut per Euam fuit obserata, & clausa porta terrestris paradisi; quæ tamen omnino per præuaricationem Adæ clausa fuit directè, & consummatè, sic per Virginem gloriosam reserata, & aperta dicitur cæli porta, quæ per Christum complete, & proprie dicitur reserata. Nam Christus est porta Domini; quia ipse est ostium, per quod intratur in ouile ouium Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis. Ioan. 10. Et quoniam, ò Virgo Maria tu es illa: *Sumens illud aue Gabrielis ore: Funda nos in pace: Mutans Eua nomen*. Quasi dicat hic Dei Ecclesia: ò Maria virgo, & Mater Dei, quæ accepisti olim ab Angelo, scilicet, ex Gabrielis ore, salutationem, quæ pacem cum humano genere Deum fecisse, & iniecisse indicauit. Genuisti enim etiam tu Deum & hominem, qui pacem Deus reddidit; in se reconcilians ima summis, idest, Deum patrem cum homine, funda nos in pace, quia & nos te in omnibus sectamur, & fidem illam profitemur, quam tu professa es coram Angelo, quia

Maria Mater Dei.

Maria Virgo quomodo sit Cæli porta.

tu es

tu es illa mutans, idest, quæ mutas Euæ nomen, ac conditionem. ¶ Ad cuius rei intellectum (omissis quorundam opinionibus; qui putant mutationem illam nominis Euæ in nomen Aue esse factam, quia ijsdem literis; sed è diuerso sumptis, illæ duæ dictiones Eua, & Aue, scribuntur; & etiam multis alijs, ac arbitrarijs interpretationibus, quæ huiusmodi dantur Euæ, & Aue) breuiter dicimus, quod illa mutatio nominis Euę à Beata Virgine est accipienda, secundum conditionem, & sortem ipsius Euæ omnino mutatam in oppositas proprietates per sacram virginem. Quippe maledictio illa Euæ per Mariam in benedictionem. Eua dolorem, & mortem nobis intulit. Maria Virgo gaudium, & vitam sempiternam attulit. Eua exilij, & expulsionis à regno cælesti causa fuit. Maria vero reuocationis in antiquam patriam, & introitus in paradisum præbet beneficium, & ita ceteras cõditiones inuenies in sacrosancta Virgine, quæ ob eam causam conuenienter, & rationaliter potest dici mutasse nomen Euæ. Quia ergo: ò Maria, mutasti maledictionem Euæ, & confudisti mortem, & diabolum, & illum disperdidisti: ideo modo *Solue vincla reis: Profer lumen cæcis: Mala nostra pelle: Bona cuncta posce*. ¶ Ad intelligentiam præsentium carminum dicas primo sic: O Maria Mater Dei: Quoniam tu es porta cæli: ideo solue vincla reis, idest, exporta, & exclude, & prouehe extra cæli portam vincla, idest, peccata, quibus vinciebantur ijdem rei; & sic vitijs purgatos, & vinclis solutos admitte eos intrare intra ianuam paradisi. Et quoniam similiter tu beata Virgo es stella maris: ideo ijs, qui nunc sunt in mundo, omnibus esto fulgentissimum sidus; quo illuminati & ipsi inueniant portam cęli, ac intra illam per te admittantur.

Maria quomodo dicitur mutara Euæ nomen.

Secundo pro sequentibus alijs duobus versibus intelligendis aduertendum est tibi, quod septem sunt mala, quæ traximus ex peccato primorum parentum; scilicet, tria mala culpæ, & tria mala pœnæ. Tria mala culpæ sunt originalis culpa, mortalis culpa, & venialis culpa. Mala autem pœnæ sunt separatio à Deo per peccatum: infirmitas ad bonum faciendum, & pronitas ad cadendum, & ad malum perpetrandum. Tertium pœnæ malum est fœditas libidinis. Contra mala culpæ instituit Christus contra culpam originalem baptismum, contra malum mortale instituit pœnitentiam, contra veniale malum instituit extremam vnctionem. Contra malum primum pœnæ instituit eucharistiam, per quam Deo reconciliamur. Contra secundum malum pœnæ instituit confirmationem ad roborandum fideles, vt valeant pugnare contra carnem, mun-

Mala septem sunt. Mala culpæ quæ sũt. Mala pœnæ.

dum, & diabolum. Contra tertium instituit matrimonium; ne libido imputaretur ad peccatum mortale in coniugatis. Hæc ergo mala culpæ, & pœnæ a Beata Virgine propellere de nobis petimus. Insuper aduerte, quod tria sunt genera bonorum gratiæ, quæ à Domina nostra S. Maria postulari pro nobis, & concedi per vnigenitum filium suum nobis rogamus: nempe, bona gratiæ sacramentorum, de quibus modo supradictum est: bona donorum Spiritus sancti, scilicet, sapientiam, intellectum, fortitudinem, consilium, scientiam, pietatem, & timorem: & Bona meritoria, & obseruantia præceptorum, & consiliorum Euangelicorum; nempe, obseruando præcepta negatiua non solum euadimus pœnas æternas; sed etiam meremur vitam æternam propter pugnam, & victoriam; sed iam meremur obseruando præcepta affirmatiua, scilicet, diligendo Deum super omnia in se, & propter se diligendo proximum, sicut se ipsum, vt in Deo, & propter Deum. Sunt & bona gloriæ; scilicet, facilis visio diuinæ essentiæ, & indiuiduæ Trinitatis; perfecta, & secura possessio summi boni, sufficiens, & perfecta fruitio eiusdem Dei. Sed vltra hæc tria bona animæ consequentur quatuor alia bona in corde glorificato, scilicet, immortalitatem, cum impassibilitate, & claritatem, & subtilitatem, & agilitatem, in quibus quatuor consistit gloria corporis. Sunt etiam bona naturæ, & bona gratuita: Bona naturæ, & naturalia sunt, scilicet, esse essentiale, & naturale, & actuale, siue sunt habere substantiam, virtutem, & operationem, siue principium, medium, & finem, quod idem est. Vel bona naturæ est habere obedientiam liberam carnis ad animam, & sensualitatis ad rationem. Et habere libertatem, & immunitatem ab omni pœna, & miseria corporali, quæ sit immortalis, & impassibilis: & habere scientiam inditam omnium rerum naturalium: & habere obedientiam omnium animalium, & vsum omnium rerum creatarum, & vsum sui; amicitiam parem aliorum hominum, quæ omnia habebat Adam ante peccatum. Bona gratuita habere est habere originalem iustitiam; gratiam gratum facientem, & charitatem, & scientiam omnium rerum; & cætera præmia originalis iustitiæ. Cuncta hæc supradicta bona per intercessionem tuam, ò Beata Virgo Maria, in præsenti, & in futuro obtinere, & habere, & potiri à Deo humiliter rogamus, & obsecramus. Amen. *Monstra te esse matrem: Sumat per te preces: Qui pro nobis natus: Tulit esse tuus.* ¶ O Maria Virgo, quę in primo gradu post Christũ filiũ tuũ prædestinata es ab æterno, & in libro vitæ iustitiã olim scripta, & sic nũc super choros angelo-

Tria genera bonorũ gratia.

Dona Spiritus sancti.

Bona meritoria.

Bona gloria.

Bona naturalia.

Bona gratuita.

angelorum in gloria collocata esse videris vere: Mediatrixq; inter filium tuum, & homines fieri digna fuisti: propter hæc tua merita monstra nunc te nobis esse matrem, & deprecatricem nostram apud eundem tuum filium, qui tulit esse tuus, idest, qui voluit ex te nasci, & tuus esse filius: & qui nobis, & pro redemptione nostra, & propritiatione natus est; vnde supra dicitur: Nobis datus, nobis natus ex intacta virgine: & ita, ò Beata Virgo, vt per te nostras exaudiat orationes filius tuus. Amen. *Virgo singularis: Inter omnes mitis: Nos culpis solutos: Mites fac, & castos.* ¶ Dictiones istę, scilicet, Virgo singularis, non sunt hic positæ sine magna emphasi, quippe cum hic illa, scilicet, Virgo Maria, singularis Virgo appelletur; habendo respectum ad quinq; prudentes virgines: de quibus Mathæus 25. Inter quas vna est, & vnica, & singularis; immo prima omnium est Maria mater Dei: cuius Dominus humilitatem respexit, & mitem eam inter omnes cognouit: quando dixit: Ecce ancilla Domini: contingat mihi, secundum verbum tuum: proinde, vt & nos mites efficiat, & castos, illam rogamus: quoniam respondit ad eundem angelum, quomodo parturiam filium Dei; quoniam virum non cognosco, idest, si sum virgo, & adhuc casta? *Vitam præsta puram: Iter para tutum: Vt videntes Iesum Semper collætemur.* Amen. ¶ Et sicut tu, ò Beata Virgo, semper puram egisti vitam; & castam duxisti tuam conuersationem, & semper fuisti virgo: sic nos, ò Mater puritatis, & castitatis; fac ducere puram in terris, & castam viuere vitam. Et sicut tutissimum iter tuum ad cælos, ò Beata Virgo, fuit: quia angeli animam tuam sanctam in manibus Domini tradiderunt vna cum cœlestium spirituum psalmodia, & symphonia: corpusq; etiam tuum incorruptum, & purum, & castum, apostolica hymnodia, & angelica sicut à Deo susceptum in cælum fuit: ita iter nostrum ad cælum, & accessum tu, ò beata Mater Dei, fac securum, & tutum: vt videntes Iesum post huius vitæ cursum semper tecum, & angelis, & Apostolis, & sanctis omnibus in paradiso, & in cælis collętemur. Amen.

Maria Virgo cur virgo singularis dicitur. Luc. 2. Beata Virgo mitis dicitur.

In Festo Beatæ Mariæ Virginis ad Matutinum Hymnus Trigesimusprimus.

QVem terra, pontus, æthera
Colunt, adorant, prædicāt
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ baiulat.
Cui Luna, Sol, & omnia
Deseruiunt per tempora,
Perfusa cæli gratia:
Gestant puellæ viscera.
Beata mater munere,
Cuius supernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cæli nuncio
Fœcunda sancto Spiritu;
Desideratus gentibus,
Cuius per aluum fusus est.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine
Cū Patre, & sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hymnus iste cur cātatur ad matutinū. SI consideremus quamobrem hymnus iste sanctus in matutinali cantetur officio: certe non erit difficile causam inuenire. Nam neminem fugit, Christum Dominum nostrum in media nocte, quando canitur hic hymnus, esse natum: nempe, quando totus mundus erat in tenebris. Vnde in missa, quæ in illa nocte celebratur, quando natus est, cantatur illa prophetia Isaiæ, scilicet: *Isai. 9.* Populus gentium, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam. *Ioan. 1.* Et Euangelium legitur sancti Ioannis, vbi dicitur: Et lux in tenebris lucet. Cum ergo hymnus iste præmissus editionem, seu natiuitatem Domini contineat, quæ in nocte contigit: idcirco bene factum ab Ecclesia, vt ad matutinum caneretur, quod à nobis in nocte exsolui debet. Dicit ergo. *Quem terra, pontus, æthera Colunt, adorant, prædicant: Trinam regentem machinam: Claustrum Mariæ baiulat.* & infra. ¶ In quibus omnibus eximia sanctissimæ Virginis Mariæ dignitas primo commendatur per beatum Gregorium, huius præmissi hymni authorem. *Huius hymni author Gregorius.* Secundo, quod cœli, & terræ Dominum, cui totus famulatur orbis, ipsa suo gestauerit vtero virginali. *Hymni huius diuisio, & summa.* Tertio, quod nunciante angelo, & Spiritu sancto eam superueniente, ipsa filium Dei conceperit; & ipsa virgo permanens in lucem ediderit. Secunda pars est ibi. *Claustrum.* & infra. Tertia est ibi. *Beata cæli nuntio*, &c. ¶ Quoniam per se clara est litera horum primorum versuum: ideo vi-

dendum est primo, quomodo mystice possunt hæc verba exponi. Secundo videndum est, quomodo creaturæ irrationales, & inanimatæ colant, & prædicent, laudentq; hunc Christum Deum nostrum. Tertio videndum est, quæ sit, & in quibus consistat hæc trina machina, quam hic dicitur Christus regere, quem Mariç Virginis claustrum, idest, venter olim portauit. Ad primum dicimus, quod per terram, homines in terris degentes: per pontum, homines in mari, hoc est, in insulis maris existentes: per çthera vero animas beatorum, atq; angelos cælestes intelligere possumus. Quomodo autem creaturæ irrationales, & inanimatæ Deum colant, adorent, ac prædicent, dicendum est; & quidem præmittendum hic primo esse videtur, quomodo Deus sit colendus; quomodo adorandus; & quomodo, & à quibus prædicandus. Aduertendum est igitur, quod sex modis colimus in Ecclesia hunc Mariæ filium Christum Dominum nostrum, scilicet, in iubilo interioris gaudij pro nostra liberatione: in vocis expressione confitendo beneficia: in cithara fidei, Trinitatis, & spei, & charitatis: sine quibus mereri non possumus: in psalterio decem cordarum, idest decem præceptorum, & duodecim articulorum: quia ex fide, & charitate formata operamur, & præcepta implemus: quæ omnia quatuor sunt omnibus Christianis necessaria. Quinto colimus Christum in tubis ductilibus prædicationis, quod conuenit prædicatoribus. Sexto colimus Christum in voce tubæ corneæ, quod pastoribus, & prælatis Ecclesiæ conuenit: qui in buccina pastorali oues suas vocant, & lupos arcent, & fugant a grege fidelium. Deus vero adoratur similiter sex modis, scilicet; in reuerentia, in honore, in laude, in gloria, siue in glorificatione, in confessione, & in adoratione. Nam reuereri est aliquod maius bonum in alio, quam in se existimare. Honorare autem est, reuerentiam exhibere propter illud bonum, Laudare est, honoratum commendare. Glorificare est, laudes ipsius honorati large, lateq; præconizzare. Confiteri est, Deum, & Dominum vniuersalem affirmare coram omnibus. Adorare est reuerendum, honorandum, laudandum, glorificandum, confitendumq; propter eminentiam omnipotentiæ, & sanctitatis colere; & spe omni alia postposita illi subiacere, & hoc soli Deo pertinet, & conuenit. Deum vero prædicare, idest, Deum, & opera eius, & miracula est annunciare inter gentes, & narrare mirabilia eius in choro, & pulpito, & euangelizare euangelium suum omni creaturæ. Quomodo nunc creaturæ irrationales, & inanimatç Deum colant, adorent, & prædicent, videndum est.

Terra, pontus, & athera, mystice, quid significant.

Sex modis Christum in Ecclesia colimus.

Necessaria Christiano qua sunt.

Deus sex modis adoratur.

Reuereri, quid est.

Honorare quid.

Laudare quid.

Glorificare quid.

Confiteri quid.

Adorare quid.

Deũ prædicare quid.

Et quidem creaturæ omnes possunt laudare Deum, & colere, & prædicare, vno modo, vocaliter, & sic solæ creaturæ rationales laudant Deum, eo quod solæ ipsæ habent sermonem, & sic laudant Deum in vtraque Ecclesia, scilicet, triumphanti, & militanti. Secundo modo laudant Deum creaturæ excitatiue, inquantum vestigium trinitatis, & diuinæ perfectionis lucet in omnibus creaturis, & sic omnes creaturæ tam inanimatæ, quam animatæ, & tam rationales, quam irrationales excitant angelos, & homines ad laudandum Deum, & benedicendum in eis propter diuinas perfectiones, quæ in eis lucent. Tertio dicuntur laudare Deum non solum rationales creaturæ, sed & irrationales, inquantum supra suam naturam ostendunt se obedire Deo in suis operationibus, & sic laudant mare, pontus, & insulæ, & mare rubrum, quoniam ad percussionem virgæ Moysi fuit diuisum, & præbuit iter filijs Israel. Item aquę Iordanis laudauerunt, & benedixerunt Deum, quando obediendo Deo reuersae sunt retrorsum. Item angeli, cęlum, & elementa omnia ludauerunt Deum, quando obediendo Christo dederunt signa suæ natiuitatis. Item venti, & mare Galileæ laudauerunt Deum, quando obediuerunt Christo, & ideo dixerunt homines illi, quis est hic quia mare, & venti obediunt illi? Item quinque panes, & duo pisces laudauerunt Deum, quando obediuerunt Christo & fuerunt multiplicati ad refectionem totius populi. Respondeamus nunc demum, quæ sit hæc trina machina, quam hic filius Beatæ Marię Virginis dicitur regere, & in quibus consistit. vbi aduertendum est, quod iste mundus, licet vnus esse videatur, nihilominus est etiam trinus, vnus & trinus ad instar sui creatoris, qui dicitur ideo trina machina, quę, & quia constat ex triplici, & trina natura, scilicet, spirituali, angelica, cęlesti incorruptibili & elementari corruptibili. Et quelibet istarum naturarum, est etiam trina, & vna. Nam tota natura angelica spiritualis distinguitur per tres hierarchias, idest, per tres sacros principatus, quarum prima dicitur supracęlestis, secunda cęlestis, tertia subcęlestis. Et quęlibet hierarchia continet tres ordines subhierarchiarum spiritualium. Vnde primus ordo primę hierarchiæ dicuntur Cherubim, idest, charitate feruentes, secundus ordo dicuntur Seraphin, idest, scientia, & sapientia splendentes. Tertius ordo dicuntur Troni, idest, sedes, in quibus Deus residet, & quiescit. Primo autem ordo secundę hierarchiæ dicuntur dominationes, secundus dicuntur principatus; tertius dicuntur potestates. Primus autem ordo tertię hierarchię dicuntur virtutes, secundus dicuntur Archangeli, tertius ordo dicuntur

Creaturæ rationales quomodo Christum laudent.

Creaturæ inanimatæ, & irrationales quomodo laudent Deum.

Trina machina quã Christus gubernat, quæ est.

Hierarchia quid est.

cuntur Angeli. Item ſicut natura ſpiritualis angelica diſtinguitur per tres hierarchias: ita pariter natura cæleſtis incorruptibilis diſtinguitur per tres conditiones, & gradus cælorum. Nam primum cælorum dicitur empyreum, eo quod eſt totum luminoſum, & immobile propter quietem ſanctorum, quia eſt locus beatorum. Secundum cælum dicitur aqueum, ſiue criſtallinum, non à frigiditate, ſed à tranſparentia, & velocitate, eoquod in 24. horis mouetur ab Oriente in Occidentem, & reuertitur ad eundem punctum. Tertium autem cælum eſt cælum aſtrorum, & planetarum, eo quod mouetur ſuper polos Zodiaci circo obliquo. Similiter iſta machina inferior generabilium, & corruptibilium, diſtinguitur per tres partes, ſcilicet, in elementa, elementata mixta. & in meteorica, quæ nec ſunt elementa pura, nec miſta perfecta, ſicut ſunt cometæ, & fulmina, & corruſcationes, & cætera tranſparentia, quæ apparent in aere, quæ tenent medium inter elementa, & miſta perfecta. Item iſta Eccleſia habet tres hierarchias, ſcilicet, ſacerdotum, contemplatiuorum, & coniugatorum. Et ſic patet, qualiter Deus totum mundum, & quamlibet eius partem, creauit in trinitate, & vnitate ad inſtar ſui ipſius. *Cui luna ſol, & omnia Deſeruiunt per tempora: Perfuſa cæli gratia Geſtant puellæ viſcera.* ¶ Vere dignum, & iuſtum, & iuri conſonum eſt, vt ei, qui trinam mundi machinam regit, omnia ei inſeruiant. Ideo igitur dicit: Huic Chriſto, ex Virgine Maria nato non tantum luna, quæ ſole minor eſt, verum & ipſe cæleſtis lucis fons, & dux, & princeps ſol, qui eſt reliquorum luminum, ſcilicet, ſiderum, quæ à ſole ſplendorem capiunt, moderator, famulantur: quinimo etiam, & cætera luminaria: quæ quidem per tempora, hoc eſt, pro temporibus diſtinguendis, nempe, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: ac omnia etiam animantia, & inanimata, quæ in cælo, quæ in terra & quæ in mari viuunt, & ſunt, huius Chriſti ditioni, & imperio ſunt ſubiecta. vnde Daniel. Aſpiciebam, inquit, in viſione noctis: Et ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ſeruient ei. Vel myſtice ſic dicamus, luna, ideſt, non tantum regalis, & imperialis poteſtas, ſed & ſol etiam, ideſt, ſed & pontificalis authoritas, paret huic immenſo nato, & filio. Q. d. non ſolum, ſæculares, & layci, ſed & ſacerdotes, & religioſi Chriſto obſequium præſtant. Luna enim eſt totus populus ſimplicium: ſol vero eſt ſanctiſſimum Papæ, & Cardinalium

Natura cæleſtis per tres gradus cælorũ diſtinguitur.

Natura elemẽtaris in quot diſtinguitur partes.

Eccleſia habet tres hierarchias.

Sol quid.

Daniel. 7.

Luna quid.

Sol quid.

dinalium collegium, à quo lumen sumunt Christicolæ omnes, & influentiam, vt habetur in c. Frater. dist. 17. Viscera ergo puellæ, idest, Beatæ Mariæ Virginis perfusa, madefacta, rigata, repleta cæli rore, & gratia, idest, Spiritu sancto, humiliter portant illum filium, & Deum, cui luna, solque, ac omnia deseruiunt per tempora. *Beata mater munere: Cuius supernus artifex: Mundum pugillo continens: Ventris sub arca clausus est.* ¶ Sub cuius, scilicet, matris suæ arca, ventreue virginali, & secreto pectoris, supernus artifex, & altus cæli, & terræ factor, qui mundum pugillo continet, clausus est, & obstrusus iacet, ille, inquam, qui non solum mundum pugno continet, sed & qui mensus est pugillo, secundum Isaiam, aquas, & cælos palmo ponderauit, & appendit tribus digitis molem terræ. Ipse est enim, secundum Apostolum, portans omnia verbo veritatis suæ. Beata es ergo mater Dei munere, idest, dignitate, & propter dignitatem, ac priuilegium, quibus Christus filius tuus in vtero tuo existens dignificauit, & te beatificauit. Beatam enim Virginem Mariam appellamus primo, quia singulariter eam Christus ab æterno prædestinauit, secundo quia singulariter eam in sua creatione sanctificauit, & ab omni peccato præseruauit: tertio quia in vtero matris, in ea vsum liberi arbitrij, & rationis singulariter ad merendum reuelerauit. Quarto quia in eius coniugio fidem virginitatis simul cum fide coniugali seruauit. Quinto quia singulariter, sine viro, & corruptione concepit, & absque omni ærumna peperit: Sexto quia in tali conceptu, & partu Mater Dei, & filij Dei est effecta. Septimo quia in illa obumbratione Spiritus sancti intellectum purgatum, & heroicum est adepta, & Propheta, & Euangelista simul effecta est. Octauo quia familiarius, diutius & laboriosius Christo ministrauit. Nono quia coronam, & aureolam martyrij super omnes Apostolos, & Martyres est consequuta. Decimo quia à sententia incinerationis fuit excepta. Vndecimo quia super omnes hierarchias hominum, & Angelorum in cælo immediate post filium est collocata, & exaltata. Duodecimo quia mediatrix est inter hominem, & ipsum in singulare præsidium est constituta. *Beata cæli nuntio, Fæcunda sancto Spiritu: Desideratus gentibus Cuius per aluum fusus est.* ¶ Ad horum verborum, ac carminum intelligentiam præmittendum, quid nuntij nomine hic accipiamus. Secundo, cur Christus desideratus gentibus venit, & non Iudæis. Tertio videndum est, quid verbum, fusus, importet. Ad primum dicimus, quod hoc loco nuntius,

[Margin notes: Isai 40. — Nota. — Hebr. 1. — Virgo Maria cur beata dicitur.]

Nuntij nomine quid intelligimus.

tius, seu nuntium, pro re nuntiata, siue nuntiatione sumitur, non autem pro ipso nuntiante. Q. d. ò Maria es facta beata annuntiatione, idest, per annuntiationem, & salutationem tibi factam per Angelum. Nam ei credendo, & ei respondendo: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, & temetipsam offerendo in obsequium Domini, statim fæcunda (cooperante Spiritu sancto) facta es, & Spiritu sancto plena, & abundans. Ad secundum dicimus, quod gentibus Christus venit desideratus, & non Iudæis: quoniam iste populus gentilis fuit benedictus à Deo, vt probatur in Genesi, quando Deus dixit Abrahæ: In semine tuo, idest, in Christo benedicentur gentes. Hoc idem dictum est ipsi Iacob, quando Dominus dixit: Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo omnes tribus terræ, idest, omnes homines saluandi. Vbi ostenditur, quod per benedictionem, & regenerationem in Christo totus populus gentilis erat futurus filius Israel, & Iacob, secundum spem, & fidem, & per consequentiam erat desideraturus Christum futurum: de quo dicit Propheta Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius: donet veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Et Aggæus adhuc, inquit, vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cuntis gentibus. Non venit autem Christus desideratus Iudæis propter duas causas, prima, quia venit pauper, & deiectus, præter opinionem eorum, quia expectabant illum venire cum potestate temporali, vt eos temporaliter liberaret de potestate, & subiectione Romanorum, & omnes temporaliter prosperaret, sicut ipsi erant temporales, & carnales, & ideo videntes eum sic pauperem, & deiectum, ipsum contempserunt. Secunda causa fuit, quia eius euangelica doctrina erat contraria moribus, & desiderijs, & studio eorum. Nam ipsi quærebant dignitates, & diuitias temporales in hoc mundo. Christus autem prædicabat contra eorum superbiam, & auaritiam, & simoniam, & vsuram, & suadebat amare cælestia, vt relictis & contemptis mundanis, ponerent spem, in Deo & futura beatitudine. At verbum: fusus: positum in vltimo carmine tantundem signat, atque, conceptus ex sanctissimis Mariæ Virginis sanguinibus, ac demum in lucem editus, & quidem bene dicit Ecclesia: fusus, quæ enim cito effunduntur, cito efficiunt, & quasi mox sparguntur, sic egressus, & effusus, & exitus Christi de Virgine Matre sua fuit instantaneus: non corporaliter, visus à matre, sed natum & ante se in terra situm Virgo beatissima statim hilari vidit animo & deuotissime, quem genuit, adorauit, & ma-

Christus desideratus gentibus, & non Iudeis cur venerit.

Genes. 2.

Genes. 28.

Genes 49.

Agg. 2.

Christus duplici de causa non venit desideratus Iudeis.

Verbũ fusus positũ hic quid.

nitus

nibus è terra ſubſtulit, & brachijs ſtinxit, pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit, qui nunc viuit per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De Beata Maria Virgine ad Laudes Hymnus Trigeſimuſſecundus.

O Glorioſa domina
Excelſa ſuper ſidera;
Qui te creauit prouide
Lactaſti ſacro vbere.
Quod Eua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt aſtra flebiles
Cæli feneſtra facta es.
Tu regis alti ianua:
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum patre & ſancto Spiritu:
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Hic hymnus in aurora canitur.

PAri modo cur in aurora concinatur & hic præmiſſus hymnus forte quæret aliquis, cui dicimus, ſed poſtquam Chriſtus natus eſt, tunc homines cæperunt ipſum ſcire, & lumen aliquale maius habere, nec amplius ſic (vt prius) in tenebroſo erant ſtatu. Vnde canitur in miſſa, quæ in aurora dicitur: Lux fulgebit hodie ſuper nos. Quo circa cum hymnus iſte commemoret, Virginem Mariam filium ſuum lactaſſe, ac dicat ablata per Euam hoc almo germine filio ſuo Chriſto eam reddidiſſe, manifeſte apparet lucem aduentare. Si enim Eua poſuerat nos in tenebris, & in valle lacrimarum: & lux orta eſt hodie quæ, illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum; conſequens eſt, vt lumen videre incipiamus. Bene igitur ſancta Eccleſia in aurora cantat hunc hymnum, dicens. *O glorioſa domina: Excelſa ſuper ſidera: Qui te creauit prouide Lactaſti ſacro vbere.* & reliqua.

Huius hymni author Eccleſia.

¶ Vbi primo dicitur, quod Maria Virgo authorem ſuum virginea lactauit. Secundo ipſa laudatur, quod lapſus humani generis fuerit reparatrix, inſtauratrix vitæ, cælique reſeratrix, nunc ſuper omnes cælos exaltata, glorioſa reſidet in throno cæleſti. Tertio ad eam fit ſupplicatio fidelium.

Huius hymni diuiſio, & ſumma.

Secunda pars eſt ibi. *Quod Eua triſtis abſtulit.* &c. Tertia eſt ibi. *Vitam datam.* & infra. ¶ O igitur Maria Virgo Dei Mater, & filia ſimul, profecto es glorioſa domina, quæ cum vnigenito

nito filio tuo es cæli, & terra domina gloriosa, & Regina in cælis per eundem filiuum tuum constituta, imo exaltata es super choros Angelorum, & super omnes hierarchias hominum, & Angelorum in cælo immediate post filium tuum etiam super sidera excelsa participes eius iurisditionis in cælis facta es. Illum enim, qui creauerat illam, ipsamet sacro vbere de cælo pleno, sacro quidem, & virgineo lacte de cælis sibi præstito, sapienter, prudenterq; lactauit. O Res mirabilis, quis vnquam æstimare posset, vt panis Angelorum aleretur: in manibus fœmineis portaretur portator orbis: & virtus cælorum infirmaretur, & vita moreretur? *Quod Eua tristis abstulit: Tu reddis almo germine: Intrent vt astra flebiles: Cæli fenestra facta es.* ¶ Aduertendum est, quod licet flebile sit, secundum quosdam, quod fleri dignum est ob miseriam, & calamitatem illam, iuxta illud Boetij: Flebilis heu mœstos cogor inire modos, & licet etiam homines ex lapsu primorum parentum, & propria fragilitate miseri sint, & miserabiles, ac digni, vt super illis lamenta, & luctus, ac fletus fundentur, & flebiles recte dicantur, nihilominus hoc in loco per flebiles ego intelligerem illos pœnitentes, & flentes sua peccata. Q. d. Quod Eua tristis, & misera abstulit à nobis, quod erat vita æterna, ac perpetua beatitudo: Tu, ò Virgo Maria, Mater Dei, sancto tuo gemine, hoc est, tuo sancto ventris tui fructu, Iesu Christo, nempe, reddis, & restituis, scilicet, Paradisum per Euam clausum pandis: vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus, vbi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla fælicitas, & fælix suauitas, & suauis iucunditas. Cæli etiam fenestra facta es, non tantum lucem spiritualem miseris vt edas; verum, vt per te etiam intrent, & ingrediantur omnes, qui in Christum credunt, & qui pœnitentiam de peccatis egerunt, & peccata sua luxerunt. *Tu regis Alti ianua: Et porta lucis fulgida: Vitam datam per Virginem Gentes redemptæ plaudite.* ¶ Non solum Maria Mater Dei cæli fenestra facta est, vt per illam Christi fideles intra beatitudinis ianuam admittantur: verum & facta est primo omnium alti Regis Christi ianua, nec non etiam, & porta lucis fulgida. Alti Regis ianua, inquantum castæ parentis viscera cælestis intrauit gratia, idest, Christus à sinu patris descendens in ventrem, qui fuit ei ad ingressum ianua Matris suæ Maria. Porta lucis fulgida, inquantum domus pudici eiusdem Matris suæ pectoris repente factum est templum Dei. Gentes ergo redemptæ canite cum lætitia, & plausu magno extollite, & prædicate vitam vobis datam per Virginem Mariam, eo quod effecta est, alti, idest, excelsi Regis primus ingressus

Maria virgo cur gloriosa dicatur domina.

Flebile quid.

Flebiles quid.

Germen quid.

Virgo Maria fenestra cæli.

Maria alti Regis est ianua.

Maria porta lucis dicitur.

INDEX
ALPHABETICVS AMPLISSIME
MATERIAS HVIVS EXPOSITIONIS
Ecclefiafticorum Hymnorum comprehendens.

A

Cor-

Galli-

L

N

Nati-

Pro-

Q

R

S

Sors

T

Viscera

Errata.

Fol. 3. *Constitutio.*	*Constructio.*	94. *quato.*	*quanto.*
7. *fauendum.*	*fouendum.*	94. *alias.*	*alijs.*
8. *omnino.*	*omni*	98. *claudeunt.*	*claudunt.*
11. *absolutus.*	*absolutos*	99. *qua.*	*in aqua.*
14. *sensu.*	*sensus.*	107. *à stobis.*	*à vobis.*
14. *Deum.*	*Dum.*	111. *literam.*	*litera.*
14. *retudisse.*	*retundisse.*	114. *aliud.*	*non alium.*
18. *Patris.*	*Patrum.*	115. *proine.*	*proinde.*
19. *vocatur.*	*vacetur.*	118. *erat.*	*eras.*
21. *ingrediamus.*	*ingrediamur.*	140. *nescere.*	*noscere.*
26. *cantus.*	*cnatu.*	141. *esse.*	*esset.*
35. *nam iust.*	*non iust.*	144 *proprijs.*	*proprij.*
38. *soli.*	*solis.*	148. *veritatum.*	*vanitatum.*
38. *Nox.*	*Nos.*	148. *separa.*	*sperat.*
40. *transitiosijs.*	*transitorijs.*	148. *vestris.*	*vestis.*
42. *in spiritus.*	*in spiritu.*	151. *ana.*	*vana.*
45. *semitur.*	*sinitur.*	159. *termine.*	*termino.*
49. *princeps.*	*principes.*	177. *non non.*	*Non.*
49. *sus.*	*suas.*	182. *ignes.*	*ignis.*
50. *peccassant.*	*peccassent.*	193. *scripturam.*	*scriptura.*
58. *quid.*	*qui.*	194. *elegi.*	*elegit.*
59. *intelligenum.*	*intelligendum.*	197. *hoc.*	*in hoc.*
59. *quato.*	*quarto.*	197. *contentum.*	*contemptum.*
60. *megacos.*	*microcosmus.*	200. *fui.*	*fuis.*
62. *ob*	*ab*	212. *dicis.*	*dicit.*
73. *cadant.*	*calant.*	217. *nostro.*	*nostras.*
73. *comprehendas.*	*comprehendant.*	217. *scrutator.*	*scrutatorem.*
79. *conformet.*	*conformet.*	252. *lignum.*	*lingua.*
79. *olio.*	*odio.*	259. *animalibus.*	*animabus.*
83. *dicitu.*	*dicitur.*	293. *non valent.*	*non valens.*
85. *qua nos.*	*quo ad nos.*	314. *His.*	*is.*
88. *epamarentur.*	*Enomerentur.*	333. *Apostolis.*	*Apostoli.*
89. *domandans.*	*domandas.*	347. *vana.*	*varia.*
90. *pe.*	*per.*	362. *sustentamus.*	*sustentamur.*
91. *hymno.*	*ex hymno.*	362. *hollium.*	*ostium.*

350.

460. *peccatis.*	*peccati.*	489. *obuerit.*	*irruerit.*
409. *dicens.*	*diceris.*	409. *dicantur.*	*ditantur.*
404. *Habendi.*	*Habenti.*	471. *armata.*	*amata.*
415. *montonem.*	*mentionem.*	473. *author.*	*Authorem.*
427. *Christi.*	*Christus.*	493. *canite.*	*canentes.*
418. *dignare.*	*dignari.*	493. *quo.*	*quomodo.*
419. *se*	*seu.*	494. *verbi.*	*verbis.*
433. *Christum.*	*Christo.*	495. *partriarcabus.*	*patriarchis.*
435. *arrenam.*	*aream.*	493. *his.*	*hic.*
438. *negabit.*	*negauit.*	505. *tribulatiuis.*	*tribulationis.*
445. *duobus.*	*duodecim.*	505. *placta.*	*platea.*
444. *erat.*	*erat.*	508. *suis*	*sui.*
450. *potuisset.*	*posuisset.*	508. *offenderent.*	*offenderunt.*
451. *sanis*	*sannis.*	512. *canit.*	*cani.*
454. *quidem.*	*qui de.*	520. *primo.*	*primus.*

Regestum.

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll.

Omnes sunt Duerniones, præter ✱ quod est simplex.

ROMÆ,

Apud Gulielmum Facciottum. M. DC. II.

SVPERIORVM PERMISSV.